Patris Damasi Szczepański
1791. A. 10 Jan.

Solum qui agunt puram vitam
Sunt Dei Sacerdotes.
S. Clemens Alexandrinus.
Nihil est, si n[on] castus. S. Chry[so]s[tomus] de vi[...]
Sacerdos n[on] polluat San
ctuarium Domini, quia
Oleum S[an]c[t]æ Unctionis Dei sup[er]
eum est Levit. 12 v. 12:
sunt [...] Dei.
Pudicitia Sacerdotalis n[on] solu[m]
ab opere se immundo absti
neat, s[ed] [et]i[a]m ab ictu Oculi et
cogitationis errore mens
Christi Corpus Conficientis
ra. sit libera.
S. Hieronimus.

[illegible]

EXAMEN
ORDINANDORUM,
APPROBANDORUM, ET INSTITUENDORUM;
SIVE
INSTRUCTIO
Pro Ministris Ecclesiæ
AD ORDINES, CONFESSIONES,
ET BENEFICIA PROMOVENDIS,
DILUCIDA BREVIQUE METHODO
COMPLECTENS
Doctrinas omnes ad ea Officia necessarias,
atque opportunas.

AUCTORE
FRANCISCO ERASMO PREISS,
ECCLESIÆ COLLEGIATÆ KIELCENSIS CANONICO,
IN ZAGNANSKO CURAT. EXAMINATORE
PROSYNODALI.

BASSANI, MDCCLXXXI.

SED PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU.

PERILLUSTRI
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO

JOSEPHO OLECHOWSKI

U. J. D.

Ecclesiæ Cathedr. Cracov. Archidiacono, Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Sandomiriensis Custodi, Curiæ suæ Illustrissimæ Celsitudinis Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ Auditori generali, Domino observandissimo, Protectori gratiosissimo.

PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE

CUM ad multorum vota exilem hanc operam publicæ luci dare statuerim, qua tum novellis Spiritualibus, tum Curatoribus

Animarum majori commodo esse volui, non diu suspensa tenebar mente, sub cujusnam auspiciis id laboris exequi debuissem; protinus etenim obveneras votis, cui pro voto præsto semper est amor literarum, PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE, PROTECTOR GRATIOSISSIME. *Quamvis ea, quæ in hocce opusculum congessi, ex gravissimis ac probatissimis Authoribus deprompserim, nihilominus, si in quo deficit, ex* NOMINE TUO *accrescat, cujus honori opus hoc ideo sacratum esse optabam, ut lubentius manibus legentium tractaretur. Norunt etenim cuncti perbelle, materiam hujusmodi muneri Tuo Archidiaconatus Cathedralis non incongrue dicatam esse, quo Præside Ordinandorum, Approbandorum, Beneficiandorumque qualitates, & animi ad trutinam revocantur.*

Neque

Neque hæc una propositi mei ratio est; accedunt enim plurima in hac alma Diœcesi merita Tua, quam tot annis injurio tempore, velut famelicam alter JOSEPH, eximia vitæ innocentia, rara prudentia, ac provido consilio rexisti Ægyptum. Scivit cui credidit Ovile suum sollicitus Pastor, CELSISSIMUS PRINCEPS, ILLUSTRISSIMUS ANTISTES NOSTER, utinam diutissime nobis superstes! constituens Te LOCUM TENENTEM cum plenitudine potestatis; quam dignitatem seu verius quod altissimum onus afflictissimis temporibus, summa omnium approbatione, & encomio totus nimirum infatigabili sollicitudini intentus, quatenus laudabilis in hac Diœcesi Ecclesiasticæ disciplinæ vigor floreret constans semper, ac immutabilis; omnia in-

nata Tua gravitate , leni affabilitate , vere Paterne egisti. Et dum Cælo propitio viduatum tandem gregem depressa iniqua sorte , redux ab exteris salutaret PASTOR ILLUSTRISSIMUS , inter festivas , queis excipiebatur exultationes , illud sibi magni Patriarchæ ingeminare visus sit : sufficit mihi, si vivit JOSEPH.

Utque perennius bono Ecclesiæ prodesse queas, probatissima Virtus Tua, summa in rebus gerendis dexteritas Tua, illaque sublimis Juris Utriusque notitia effecerunt , ut ad dirimendas negotiorum difficultates , ac ad enodanda variarum difficultatum arcana , prosperumque florentissimæ hujus Diœcesis successum JUDEX , AUDITORQUE GENERALIS Causarum Curiæ Suæ ILLUSTRISSIMÆ CELSITUDINIS esse merearis , o-

mnibus

mnibus hisce ornatus dotibus, quæ magnis innatæ esse solent animis. Habent etenim in Te cuncti vitæ ac probitatis exemplar: gravitatis, affabilitatis, justitiæ aliarumque speculum virtutum, quas multi in Te admirantur, venerantur universi. Has excelsas animi Tui dotes PRINCEPS CELSISSIMUS *specialibus gratiis ac favoribus cumulare non desinebat, usque dum eas ad altissimum, in quo emines,* ARCHIDIACONALIS DIGNITATIS *erexerit fastigium.*

Mitto alia, quibus recensendis prolixus, & innatæ modestiæ Tuæ forem molestus. Cæterum non possum non meminisse bene affecti, beneficique erga me animi Tui, cui ad respondendum cum imparem me experiar, admittes PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE,

in monumentum perennis, ac obligatissimæ gratitudinis humile hocce laboris obsequium ab eo, qui Te semper majoribus in Ecclesia honoribus auctum, ac ad omnium vota, commuNeque solatium diu superstitem exoptat.

Nomini & Honori
PERILLUSTRIS REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Devinctissimus servus
Franciscus Erasmus Preiss. mpp.

AUCTORIS MONITUM AD LECTOREM.

ANNI sunt quindecim ex quo typis mandaveram, *Examen &c.* distractis plusquam quinquemillibus exemplaribus, plura in multis locis jam ab aliquot annis desiderabantur. Hinc ex consilio multorum admovi manum labori ad denuo typis imprimendum hocce Opusculum, quod a variis mendis, quæ primis typis irrepserant, expurgavi; atque plurimas tum ex Theologia Morali, tum Dogmatica, ac Rubro quæstiones superaddidi scitu summe necessarias, præcipue in his Septemtrionalibus partibus variis hæresibus infectis (attenta insuper præsentis nimis corrupti sæculi in dies crescente ingeniorum perversorum improbitate) quatenus S. Ordinibus initiatus, sublimiori doctrina instructus, dum occasio tulerit, in-

trepide inimicis Orthodoxæ Religionis imo & malis, solo nomine Catholicis, sæpe autem evidentem, in suis scandalosis discursibus, hæresim spirantibus, pectus opponere audeat, valeatque prudenter ac intrepide respondere. Cæterum ex hoc exiguo opusculo, quod excipere hilari vultu, constanti percurrere studio, tuoque probari fructu, summopere cupio, & exopto, si quid boni, si quid fructuosi obvenerit; uni Deo bonorum omnium Largitori acceptum refer; reliquum tenuitati ingenii mei adscribe. Fateor autem candide, nullam responsionem me hic inseruisse, quæ Authoritati tum totius Ecclesiæ Catholicæ, tum gravium ac probatissimorum Doctorum non inniteretur.

Quæ omnia Judicio & Censuræ S. Matris Ecclesiæ Romano-Catholicæ omni qua par est humilitate ac reverentia submitto.

F. E. P.

CEN-

CENSURA THEOLOGICA.

Ex commissione Illustrissimi & Reverendissimi Domini Josephi Olechowski, Diœcesis Cracoviensis Administratoris Generalis, legi librum sub titulo: *Examen &c.* qui quidem jam ante annos aliquot multo labore Perillustris Admodum Reverendi Francisci Preiss, Canonici Kielcensis conscriptus, ac luci publicæ datus, nunc utilioribus, iisque selectioribus materiis Theologicis, opera ejusdem Authoris cumulatus, cum nihil contrarium Catholicæ Fidei, moribusque bonis contineat, quinimo eis, in quorum gratiam est elaboratus, via plana ac media ad consequendum notitiam Ecclesiasticis viris omnino necessariam ducem agat, dignum proinde censeo, ut ad utilitatem publicam typo mandetur. Dabam Kielciis 11. Octobris 1772.

Laurentius Augustowski,
Can. Kielc. Examin.
Pro-Synod. Semin. Vice-Regens. *mpp.*

IMPRIMATUR.

Dat. Varsav. 27. Octob. 1772.

Josephus Olechowski,
Can. Cath. Cracov.
Administr. in Spiritualibus Generalis.
mpp.

(L.S.)

EXAMEN Ordinandorum, Approbandorum & Instituendorum, olim editum, nunc longe amplissima ubertate locupletatum, atque ex Mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini JOSEPHI OLECHOWSKI, Diœcesis Cracoviensis Administratoris Generalis scrutinio Theologico commissum, cum nihil in se contineat, quod Sapientiæ Divinæ, Augustissimam Sedem vel in minimo lædere possit, imo tanta doctrinæ excellentissimæ dignitate sit præditum, opera atque studio Perillustris Admodum Reverendi Domini Francisci Erasmi Preiss, Canonici Kielcensis, ut & Clericis Ordinandis, & Sacerdotibus jam approbandis, jam ad Curata Beneficia instituendis facillimam aperiat viam; proinde æquum censemus, ut tam proficuum Sacræ Scientiæ Cultoribus Opus in lucem publicam prodeat.

Kielciis 16. Januarii 1772.

Joannes Stephanus Funk, S. Theolog. Speculativo-Dogmaticæ Actualis Professor. *mpp.*

Nicolaus Czapizynski. Theologiæ Dogmatico-Moralis Professor. *mpp.*

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Examen Ordinandorum, Approbandorum, & Instituendorum &c.* *stamp.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Giuseppe Remondini* Stampator di *Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 13. Luglio 1781.

(Andrea Querini Rif.
(
(Girolamo Ascanio Giustinian Kav. Rif.

Registrato in Libro a carte 13. al num. 102.

Davidde Marchesini Segr.

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

Examen pro Ordinibus.

CAPUT PRIMUM.

De Rudimentis Fidei. pag. 1
Oratione Dominica. 2
Salutatione Angelica. 3
Symbolo. 4
SS. Trinitate. 8
Incarnatione. 9
Veneratione Sanctorum. 12
Et Imaginum. 14

CAPUT SECUNDUM.

De peccatis in genere. 15
Et in specie. 18
Scandalo. 20
Virtutibus. 22

CAPUT TERTIUM.

De Requisitis ad primam Tonsuram. 23
Essentialibus primæ Tonsuræ. 28
Requisitis ad Ordines. 33
Illegitimis. 35
Ordinibus in communi &c. 39
Ministro Ordinis. 47
Dimissoriis. 51
Pœnis malæ Ordinationis. 52

CAPUT QUARTUM.

De Minoribus Ordinibus in particulari. 53.
& seqq.

CA-

CAPUT QUINTUM.

Pro Subdiaconatu.

De Virtutibus Theologicis: Fide. 60
Sacra Scriptura. 64
Traditionibus. 68
Ecclesia. 72. Et Capite ejusdem. 73
Infidelitate & hæresi. 81
Schismate & Apostasia. 84
Libris hæreticorum. 85
Judæis. 87
De *Spe Christiana*. 88
Charitate Dei. 90. Et proximi. 91
Fraterna correctione. 94
Purgatorio. 96
Inferno. 98
De Subdiaconatu. 99
Titulo. 103
Voto. 106
Horis Canonicis. 114
Ritu Officii Divini 121

CAPUT SEXTUM.

De Censuris in genere. 130
Absolutione a Censuris. 136
Censuris in particulari. 139
Percussione Clerici. 144
Cessatione a Divinis. 154
Irregularitate. 155

CAPUT SEPTIMUM.

Pro Diaconatu.

De Diaconatu. 163. 165
Præceptis Decalogi. 166
Legibus & Canonibus. 168

Primo

Primo Præcepto Decalogi. 171
Cultu Religionis. 176
Blaſphemia. 179
Sacrilegio. *ibid.*
Simonia. 188
Secundo Præcepto. 191
Adjuratione. 196
Tertio, quarto, quinto Præcepto. 197. & *ſeqq.*
Bello. 206
Duello. 207
Sexto, & ſeptimo Præcepto. 219. & *ſeqq.*
Reſtitutione. 220
Contractibus. 225
Uſura & Cenſu. 229
Teſtamento. 231
Judicio. 233
Octavo Præcepto. 234
Reſtitutione Famæ. 237
Mendacio. 239
Nono, & Decimo Præcepto. 240

CAPUT OCTAVUM.

De Præceptis Eccleſiæ.

De Primo Præcepto. 242
De reliquis Præceptis Eccleſiæ. 243 & *ſeqq.*
De Conſiliis Evangelicis. 253

CAPUT NONUM.

De Sacramentis in genere. 254 & *ſeqq.*
Miniſtro & effectu Sacramentorum. 262 & *ſeqq.*
Merito. 270
Juſtificatione. 272
Neceſſitate bonorum operum. 273
Libero Arbitrio hominis. 276

Sa-

Sacramentalibus. 278
De *Baptismo*. 280. & *seqq.*
Patrinis &c. 287
De *Confirmatione*. 290

CAPUT DECIMUM.

Pro Presbyteratu.

De Ordine Presbyteratus. 293
Eucharistia. 296
Viatico. 304
Sacrificio Missæ. 307. & *seqq.*
Requisitis ad Missam. 322
Effectu Sacrificii. 324
Defectibus in Missa. 326
Loco Sacrificii. 328
Tempore. 329
Ritu & Rubricis Missæ. 331
Stipendio. 337
Votivis. 338
Missa pro Defunctis. 342
Reductione Missarum. 344
De *Extrema Unctione*. 345

CAPUT UNDECIMUM.

De Sacramento Matrimonii. 348. & *seqq.*
Cœlibatu. 355
Impedimentis Matrimonii. 361
Divortio. 383
Dispensatione. 384

EXAMEN II.

De Approbatione. 389
Officio Confessarii. 392

Scientia & Prudentia Confessarii. 400
Pœnitentiæ Sacramento. 410
Distinctione peccatorum. 413
Dolore. 415
Confessione. 417
Satisfactione. 418
Forma Pœnitentiæ. 421
Sigillo. 425
Sollicitatione ad turpia. 429
Reliqua scienda de Confessione. 431

CAPUT SECUNDUM.

De Reservatis. 438
Actibus Humanis. 448
Conscientia. 451
Indulgentiis. 457
Jubilæo. 461

EXAMEN III.

De Beneficio 465
Requisitis ad Beneficium. 466
Jure Patronatus. 470
Parocho. 473
Obligatione Parochi. 475
Potestate. 479
Sepultura. 481

Adduntur Casus nonnulli speciales, Parocho scitu summe necessarii. 484

Decreta S. Congreg. scitu necessaria. 505

EX-

EXPLICATIO
NONNULLORUM TERMINORUM,
Qui passim in Theologia Morali occurrere solent.

ABSOLUTE, idem significat, quod *universim* & sine exceptione, restrictione, comparatione. *Comparate*, seu *Respective* significat rem, vel materiam aliquam hoc vel isto modo acceptam, aut cum alio comparatam; sic furtum acus, est *absolute* in se materia levis, *comparate* autem seu *respective* ad pauperem opificem, qui ea acu, & se, & familiam sustentabat, erit gravis.

Adæquate idem est, quod totaliter. *Inadæquate*, idem quod partialiter.

Abstractive cognoscere, id est per species alienas, vel per similitudinem alterius, ver. gr. nos in præsenti vita cognoscimus Deum *abstractive* per creaturas. *Intuitive* vero cognoscere, id est per speciem propriam, prout res est in se, ver. gr. Beati in cœlo vident Deum *intuitive*.

Actus varie sumitur. *Actus primus*, est ipsa potentia ad aliquid operandum, ver.

ver. gr. *in actu primo* operari, est idem, ac posse operari; *Actus secundus* est ipsa actualis operatio sive bona sive mala.

In actu exercito, seu *implicite* dicitur, quando sine reflexa intentione opus exercetur, deliberate tamen ac humano modo: sic qui audit devote Missam die Festo, habet *in actu exercito* intentionem satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, quamvis de ea reflexe non cogitet. *In actu signato & reflexe fit*, quando expressa intentio antecedit opus, ut dum quis ante, vel in auditione Missæ, reflexe cogitat: volo satisfacere præcepto Ecclesiæ.

A parte rei, quando res aliqua actu existit nemine cogitante. *Intentionaliter*, quando res solum habet esse in intentione, seu intellectu.

Active se habere, est agere aliquam rem. *Passive se habere*, est pati, seu recipere aliquid. Sic bene dicitur: *Scandalum activum* in eo, qui scandalizat alium, seu qui dat scandalum: *Scandalum Passivum* dicitur in illo, qui scandalizatur, seu qui patitur scandalum.

Bonum Morale est aliquod opus bonum, & laudabile in genere moris. *Malum Morale* est actio peccaminosa, seu est ipsum peccatum. *Bonum Physicum*, quod habet perfectionem, & integritatem suorum prædicatorum. Sciendum potest esse aliquid *malum Physicum*, &

ba-

bonum Morale, sic martyrium, jejunium est *malum Physicum*, sed *bonum Morale*.

Causa Physica, quæ producit effectum per se ipsum, seu per realem influxum in effectum. *Causa Moralis*, quæ influit in effectum imperative, directive, ver. gr. dominus imperans servo, ut aliquem occidat; dominus erit *causa Moralis* occisionis; servus vero *causa Physica*, si occiderit.

Causa principalis, quæ propria virtute agit. *Causa instrumentalis* est, quæ virtute aliena facit, ut patet in exemplo immediate dicto.

Certitudo alia est *Metaphysica*, quæ neque divinitus potest se aliter habere. *Physica*, quæ non potest aliter fieri naturaliter, potest tamen divinitus seu miraculose. *Moralis*, quæ potest aliter fieri, sed difficulter, secundum æstimationem moralem, ver. gr. certum est moraliter committendam esse ebrietatem ab illo, qui contraxit habitum ebrietatis.

Certitudo Fidei Divinæ, quæ habetur ex revelatione Divina, ver. gr. certitudo Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis &c.

Concomitanter seu *Simultanee*, quæ simul evenit cum aliqua re neque ante, neque post, ver. gr. Deus concurrit ad omnes actiones nostras per concursum simultaneum. *Antecedenter*, quod evenit anterius. *Consequenter*, quod evenit consecutive.

Dire-

Directe, quod ratione sui intenditur. *Indirecte*, quod ratione alterius intenditur, ver. gr. qui in ebrietate scandalizat alios, si talis inebrietur, ebrietatem intendit *directe*, scandalum vero *indirecte*, seu *in causa*.

Ens aliud est *Physicum*, estque res, quæ datur a parte rei, & actu existit. Aliud *Ens Logicum*, quod fit per operationem intellectus. *Ens Possibile*, quod potest esse. *Ens Chymericum*, est Ens rationis fictum, seu impossibile. *Ens Morale*, quod habet esse secundum prudens hominum judicium, ver. gr. actus bonus vel malus.

Essentialiter dicit prædicata talia, sine quibus res nequit esse nec concipi. *Accidentaliter* significat prædicata, quæ possunt abesse. Sic peccatum essentialiter est malum; jam vero, ver. gr. recreatio accidentaliter potest esse mala, si fiat cum aliquo excessu.

Extensive, quando res extenditur eadem in sua qualitate ad plura, vel tempora, vel loca, vel objecta. *Intensive*, quando intra se habet plures gradus vel perfectiones. Sic damnati omnes habent pœnam æqualem *extensive* æternam; *intensive* vero unus præ alio majorem, prout quis meruit.

Exclusive & *inclusive* dicitur, id est *includendo* vel *excludendo*. Sic consanguinitas naturalis dirimit Matrimonium *inclusive* ad quartum gradum, quia hic gra-

gradus includitur in lege prohibente adhuc in eo nubere ; ad quintum autem gradum dirimit *exclusive* , quia quintus gradus excluditur ab eadem lege , adeoque in eo valide contrahitur Matrimonium.

Formaliter varie sumitur , *primo* idem significat quod proprie . Opponitur ei *Analogice* , id est improprie translate . *Secundo* significat rem accipi secundum suam qualitatem ; opponitur *Æquivalenter* , id est secundum æquivalentiam , ver. gr. dum fur eandem rem ablatam reddit , dicitur , reddere eandem rem *formaliter* . Sic reddit pretium , *æquivalenter* ; si vero plus dat , quam accepit , reddit *eminenter* .

Geometrice , quando aliqua tantum est proportio , non omnimoda . *Arithmetice* , quando omnis æqualitas servatur . Sic inter gravitatem peccati , & quantitatem injungendæ Pœnitentiæ , debet esse proportio aliqua , id est : *Geometrica* sufficit .

Integrum est , idem significat quod liberum , seu licitum est , ver. gr. integrum est sponso de futuro resilire a sponsalibus , si sponsa cum alio rem habuerit.

In fieri , dum est aliquid in exercitio . *In facto* , quando jam actu aliquid factum est .

Mediate id est mediante aliquo inter rem & rem . *Immediate* , id est absque medio interveniente .

Naturaliter ſumitur 1. pro eo quod fit absque induſtria humana. Opponitur *Artificialiter*. 2. Idem ſonat quod viribus naturæ, ordinario rerum curſu; opponitur *Supernaturaliter*, quod eſt ſupra vires naturæ, ſeu cauſarum ſecundarum, id eſt miraculoſe.

Ordinarie, *Extraordinarie* idem ſignificant prout immediate dictum.

Par ſolvendo, *impar ſolvendo*, idem eſt ac potens, vel impotens ſolvere.

Secundum ſe, id eſt ex natura ſua. *Quoad nos*, id eſt ſecundum noſtrum modum concipiendi.

Motive, quod movet potentiam ad actum, ſic dum quis laudat peccatum, laus erit motivum ad peccandum.

Plures termini ſuis in locis explicantur.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De sciendis ad primam tonsuram.

§. I.

De Rudimentis Fidei.

Q. *Quid desiderat?* R. Examinari pro prima tonsura & Minoribus Ordinibus.

Q. *Quid scire debeat suscipere volens primam tonsuram?*

R. Rudimenta fidei, legere & scribere.

Q. *Quotuplicia sunt rudimenta fidei?*

R. Duplicia: Alia *necessaria necessitate medii*, quæ si homo ignorat, etiamsi invincibiliter, & inculpabiliter, salvari non potest, & talia sunt: 1. quod Deus sit unus in tribus Personis, creator omnium, remunerator bonorum, & vindex malorum; 2. quod Filius Dei sit incarnatus; 3. quod anima hominis sit immortalis. Alia sunt *necessaria necessitate præcepti*, & illa sunt, quæ quidem tenemur scire sub obligatione gravi. Interim, si quis invincibiliter ignoret & explicite non crederet, posset tamen salvari, & talia sunt, Pater noster. Ave Maria. Symbolum Apostolorum. Decem præcepta Decalogi. Præcepta Ecclesiæ, & septem Sacramenta.

§. II.

De Oratione Dominica.

Q. *Quid est Oratio?*
R. Est petitio decentium a Deo.

Q. *Oratio qualem efficaciam habet?*
R. Si omni ex parte talis sit, qualis esse debeat, habet efficaciam merendi, satisfaciendi, & impetrandi.

Q. *Solusne Deus orari debeat?*
R. Solus, ut principalis causa bonorum omnium, gratiæ præsertim & gloriæ, quæ in oratione petuntur. Illi ergo soli ea impendi debet oratio, quæ cultum Latriæ continet, Sanctos autem oramus ut Dei amicos.

Q. *Quæ est perfectissima ac excellentissima oratio?*
R. Oratio Dominica sic dicta, quia eam Christus Dominus primum Apostolos docuit, & est: Pater noster &c.

Q. *Quot ea oratio partes seu petitiones continet?*
R. Septem, quarum tres concernunt Deum & gloriam ejus: reliquæ quatuor concernunt nos, & nostrum commodum.

Q. *Quæ conditiones requiruntur ad bonam orationem?*
R. Quatuor: Puritas conscientiæ, fiducia in Deum, resignatio in Dei voluntatem, & perseverantia.

Q. *Quale regnum petitur adveniri?*
R. Imprimis regnum gratiæ, quo Deus in via regnat in nobis; deinde regnum æternæ gloriæ, quod nobis servatur tanquam filiis.

Q. *Qualis panis petitur?*
R. Non solum cibus, & alia corporalia, sed etiam panis spiritualis, uti sunt Verbum

bum Dei, oratio, inspirationes divinæ gratiæ, & principaliter panis Eucharisticus.

Q. *Cur petitur hodie?*

R. Ne de crastino solliciti simus, & ut quotidie ad Deum confugiamus.

Q. *Qualia debita petimus dimitti?*

R. Peccata tam mortalia quam venialia.

Q. *Quid est non induci in tentationem?*

R. Non est, non tentari, quia tentatio est vita hominis super terram, & Christus ipse tentatus fuit, sed est, non succumbere tentationi.

Q. *Quid est liberari a malo?*

R. Imprimis a dæmone, deinde a malis animæ, demum a malis corporis.

§. III.

De Salutatione Angelica.

Q. *Qualis est hæc Salutatio?*

R. Ave Maria gratia plena, &c.

Q. *Unde consuetudo Beatam Virginem salutandi emanavit?*

R. Ab exemplo partim Angeli Gabrielis, qui eam nomine Sanctissimæ Trinitatis salutaverat, partim S. Elisabethæ, partim pio & antiquissimo a tempore Apostolorum Ecclesiæ usu.

Q. *Quid inde infertur?*

R. Si Angelus Domini B. V. Dei genitricem salutavit, quomodo igitur esca vermium, id est homo miser, idem facere dedignabitur?

Q. *Qua de causa recitamus salutationem Angelicam?*

R. I. Ut illis generationibus annumerari mereamur, de quibus ipsa in suo Cantico prophetizaverat: *Ecce enim ex hoc beatam &c.* Luc. 1. 48. II. ut efficacius, quæ petimus, impetrare a Christo valeamus.

Q. *Credimusne in Beatam Mariam V.?*

R. Minime, in solum enim Deum credimus: ast de B. Virgine credimus, & profitemur, quod sit Mater Dei, adeoque singulari honore digna super omnes alias creaturas; quod sit gratia plena, ab omni peccato ex meritis Christi præservata, ante & post partum semper Virgo immaculata.

Q. *Adoramusne B. Virginem uti Deam?*

R. Non; hæc est impudens diffidentium calumnia; solum enim colimus eam veluti matrem Dei Salvatoris, ac invocamus, ut intercedat pro nobis apud Divinum suum Filium.

Q. *Diffidentes detrahunt nobis Catholicis, quasi æquali cultu B. Virginem ac ipsum Deum etiam prosequamur?*

R. Multorum Pastorum diffidentium consuetudo est, ut cum Scriptura & argumentis non valeant, convitiis & mendaciis saltem conentur proficere.

Q. *Sæpe similibus videmur uti verbis aut actionibus externis, ac etiam dum ipsum Christum invocamus?*

R. His tamen nunquam intendimus cultum Divinum exhibere B. Virgini. Porro actiones externæ, & voces juxta internam hominis intentionem pensandæ sunt, quam præterea intentionem toties omnibus manifestamus.

§. IV.

De Symbolo.

Q. *Quid est Symbolum?*

R. Est compendium Articulorum Fidei Catholicæ.

Q. *Quid est articulus Fidei?*

R. Est veritas aliqua antiqua infallibilis Deo revelata, vel per Ecclesiam definita, quam credere omnino tenemur.

Q. *Quot*

Q. *Quot sunt symbola?*

R. Tria, 1. Apostolorum, 2. Concilii Nicæni. 3. S. Athanasii.

Q. *Quot continet Articulos Symbolum Apostolorum?*

R. Duodecim.

Q. *Cur vocatur Symbolum Apostolorum?*

R. Quia est compositum ab Apostolis.

Q. *Ad quos inferos descendit Christus?*

R. Non ad locum damnatorum, sed ad Limbum, in quo animæ sanctæ Salvatorem suspirabant.

Q. *Cur dicitur in plurali descendit ad inferos?*

R. Quia etiam ad Purgatorium descendit, indeque multas animas liberavit.

Q. *Descenditne cum anima & corpore?*

R. Corpus reliquit in sepulchro, illudque postea tertio die gloriosum reassumpsit.

Q. *Quales vivos & mortuos judicaturus est?*

R. Per vivos intelliguntur electi, per mortuos vero reprobi.

Q. *Quid est communio Sanctorum?*

R. Quod Sancti & justi communicationem specialem habent tanquam membra unius corporis. Item quod fit in Ecclesia Dei communio rerum sanctarum.

Q. *Quæ sunt illæ res sanctæ in quibus communicamus?*

R. Sanguis redemptionis, Sacramenta, dona gratiæ, verbum Dei. Item opera bona, cum enim simus membra ejusdem corporis, dum quis orat, aut jejunat, non solum sibi, sed omnibus orat, jejunat.

Q. *Habentne etiam mali fructum in hac communione Sanctorum?*

R. Habent, tum quia boni suis precibus sæpe illis impetrant gratiam. Tum quia pro-

pter societatem cum bonis, sæpe evadunt afflictiones, & vindictam Dei.

Q. *An aliquem fructum etiam animæ Purgatorii percipiant?*

R. Omnino, quia cum sint membra viva nobis conjuncta, per eandem fidem, spem, charitatem juvantur satisfactionibus nostris.

§. V.

Christianus quis?

Q. QUid est esse Christianum?

R. Est per Sacramentum Baptismi, Unctionis, Christi participem, ejusque membrum effici.

Q. *Estne omnis Christianus catholicus?*

R. Non.

Q. *Quis ergo dicitur vere catholicus?*

R. Qui Baptismi Sacramento initiatus in Ecclesia Dei veram Christi doctrinam profitetur.

Q. *Hæretici suntne Christiani & Catholici?*

R. Sunt christiani, si sint legitime baptizati: non sunt catholici, quia adhærent Sectis & opinionibus ab Ecclesia catholica, seu universali alienis.

Q. *An hæreticus est capax primæ tonsuræ?*

R. Valide, sed illicite susciperet.

Q. *Quod est signum Christiani?*

R. Est signum sanctæ crucis.

Q. *Cur ad formandam crucem manus dextera adhibetur?*

R. Quia est dignior. Congruum autem est, ut ad obsequium Dei digniora membra corporis nostri adhibeamus.

Q. *Quare nominatur Pater, quando tangitur frons?*

R. Datur intelligi, quod sicut ex capite in

summo

ſummo corporis noſtri locato vita ad reliquum corpus derivatur, ita Patrem originem rerum omnium, ac principium eſſe agnoſcimus.

Q. *Cur Filius nominatur, dum tangitur pectus?*

R. Significatur Filium non ſolum ab æterno a Patre genitum, ſed etiam in tempore pro ſalute noſtra in utero Virginis conceptum, & tandem in viſceribus terræ ſepultum eſſe.

Q. *Cur nominatur Spiritus S. dum uterque humerus tangitur?*

R. Denotatur tanquam amor divinus a Patre Filioque tanquam uno principio procedere, ejuſdem cum utroque naturæ.

Q. *Dicat aliam rationem.*

R. Ad inſinuandum videlicet, quod Spiritus S. per Incarnationem Filii nos, qui a ſiniſtris filii iræ eramus, per gratiæ infuſionem ad dexteram transferendo fecerit hæredes regni Dei.

Q. *Formaturne ſignum crucis alio etiam modo?*

R. Formatur pollice & indice manus dexteræ conjunctis ſignando ſe ſigno crucis in fronte, ore, pectore.

Q. *Cur duo digiti conjuncti in hoc ſigno formando adhibentur?*

R. Id ſignificat duas naturas in Chriſto divinam & humanam.

Q. *Cur ad ſignum frontis* Pater, *ad ſignum oris* Filius, *ad ſignum pectoris* Spiritus S. *nominatur?*

R. Quia in fronte Patrem rerum omnium principium, in ore Filium, Verbum ab ore Patris procedens, in corde amoris ſede Spiritum S. amorem Divinum confitemur.

Q. *Cur ſigno hoc frontem, os, pectus, ſeu cor ſignamus?*

R. Significatur promptitudo animi ad confitendum semper crucis mysterium. *Cogitatione*, quæ in fronte residet, *verbo*, quod ab ore procedit, & *opere*, quod a cordis seu amoris imperio gubernatur.

Q. *Cur autem dicitur in nomine Patris &c. & non in nominibus?*

R. Quia per Nomen in singulari denotatur Patris & Filii & Spiritus S. trium Personarum Divinarum una natura.

Q. *Quæ mysteria contineantur in hoc signo crucis?*

R. Continetur summa Fidei Christianæ, quatenus per verba, Deum trinum & unum, per signum crucis vero passionem, & mortem Christi, & per eam redemptionem nostram profitemur.

§. VI.

De Sanctissima Trinitate.

Q. *Siquidem credit Sanctissimam Trinitatem, dicat quid sit illa?*

R. Est unus Deus in tribus Personis Patre, Filio, & Spiritu S.

Q. *In quo conveniunt & differunt hæ Personæ?*

R. Conveniunt in una natura seu essentia, in omnibus absolutis attributis, & in omni actione *ad extra*. Differunt autem in prædicatis relativis Paternitatis, Filiationis, Spirationis.

Q. *An & a quo producantur hæ tres Personæ?*

R. Pater est ingenitus & improductus; Filius a solo Patre producitur per generationem; Spiritus S. procedit ab utroque tanquam uno principio per amorem.

Q. *Cur sola tertia Persona vocatur Spiritus S. cum & Pater, & Filius sint Spiritus, & sint Sancti?*

R. Spiritus Sanctus non ideo vocatur sic, quia est substantia spiritualis & sancta; hoc etiam & reliquæ Personæ habent; sed quod speciali modo procedat per spirationem seu amorem.

§. VII.

De Incarnatione.

Q. QUid est Incarnatio?

R. Est unio Filii Dei, seu Verbi Divini, aut secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis cum humanitate. Vel est: assumptio humanitatis propria personalitate destitutæ ad unionem cum Persona Verbi.

Q. *An Christus solum corpus humanum assumpsit, an vero totum hominem?*

R. Totum hominem, id est corpus & animam unitam corpori, alias non assumpsisset naturam humanam, si solum corpus assumpsisset. *Fusius hoc in Symbolo S. Athanasii.*

Q. *Cum Christus Dominus conceptus sit de Spiritu S. an Spiritus S. sit Pater Christi?*

R. Quod dicatur conceptus de Spiritu S. intelligi debet, quod ex opere Spiritus S. non vero ex natura ejus, & hinc non potest dici Pater ejus, quamvis de ipso conceptus dicatur. Ille enim est pater, qui de substantia sua filium generat; qui autem opus aliquod, non de sua substantia, sed aliunde producit, non est pater.

Q. *Cur non prima Persona, nec tertia est incarnata, sed secunda?*

R. Quia convenientius erat secundæ Personæ incarnari, quam primæ & tertiæ.

Q. *Quæ convenientiæ a SS. Patribus assignantur?*

R. Hæ, quia major est affinitas hominis cum Verbo, quam cum Patre & Spiritu S. sicut enim Verbum est Imago Patris, ita homo est Imago Dei, adeoque convenientius erat similem simili uniri. *Secunda*, quia sicut homo creatus per Verbum Dei, ita decebat eum redimi per idem Verbum, quia per eandem Ideam opus lapsum artifex reparat, per quam illud produxit. *Tertia*, ut idem sit Filius Hominis, qui fuit Dei Filius ab æterno. *Quarta*, ut filius Dei adoptivus, id est homo redimeretur per Filium Dei natum. *Quinta*, ut mediator inter Deum & hominem non sit alia Persona, nisi media.

Q. *Quot naturæ, & Personæ sunt in Christo?*

R. Naturæ duæ sunt humana, & Divina: Persona unica Verbi Divini, nam licet Deus assumpsit hominem, non tamen Personalitatem hominis, quia Personalitas juxta Metaphysicam, est complementum naturæ, consequenter quid distinctum a natura, quod complementum hominis supplevit Personalitas Divina.

Q. *Quot sunt intellectus & voluntates in Christo?*

R. Duo sunt, creatus, & increatus seu divinus. Voluntates etiam duæ, creata & increata sive divina, quia sunt duæ naturæ, consequenter duo quoque intellectus, & duæ voluntates a Conciliis, & SS. PP. assignantur in Christo.

Q. *Habuitne Christus animam rationalem? vel Verbum Divinum fuit illi loco animæ?*

R. Nisi animam rationalem habuisset, non fuisset verus & perfectus homo.

Q. *Redemitne Christus omnes homines?*

R. Redemit omnes liberando ab impotentia salutis consequendæ, non autem in actu secundo omnes justificando, vel salvando.

Q. Cur

Q. *Cur non omnes redemit in actu secundo justificando, & salvando?*

R. Ex malitia ipsorum, nolentium præceptis Dei obtemperare, & adhibere media ad salutem necessaria.

Q. *In quo consistebat mors Christi?*

R. In separatione animæ a Corpore.

Q. *Ubi fuit tunc Anima, corpus, & divinitas Christi?*

R. Anima descendit ad inferos, corpus mansit in sepulchro, divinitas fuit unita utrique; *quod enim assumpsit, numquam dimisit.*

Q. *Quomodo autem facta est resurrectio Christi?*

R. Per reunionem animæ ad Corpus cum exitu de sepulchro.

Q. *Christus estne ubique?*

R. Christus duo significat Deum & hominem, ideoque Christus, ut est Deus, est ubique, ut vero homo, non est ubique, sed tantum in cælo, & in Eucharistia per replicationem. *Replicatio* est existentia unius corporis simul in duobus, vel pluribus locis supernaturaliter.

Q. *Quales vivos & mortuos judicaturus est?*

R. Scilicet electos, & reprobos.

Q. *Quomodo Christus invocandus, & colendus est orationibus nostris?*

R. Summo cultu tamquam Deus Redemptor, atque unicus talis inter Deum & homines mediator, qui pretioso sanguine suo pro peccatis totius mundi condigne satisfecit, omnibusque gratiam & gloriam (modo meritorum ejus per veram fidem ac Præceptorum observationem participes fieri velimus) promeruit.

§. VIII.

De Veneratione Sanctorum.

POtestne aliquis Sanctus pro peccatis nostris satisfacere?

R. Non, imo licet omnes Sancti merita, & passiones suas pro delictis nostris Deo offerrent, non tamen vel pro unico peccato mortali valerent condigne satisfacere.

Q. *Possuntne Sancti promereri nobis gratiam Dei?*

R. Quamvis orationibus suis impetrare nobis soleant gratias, non tamen mereri: Solus Christus illas nobis promeruit.

Q. *Quomodo orationibus nostris colendi & invocandi sunt Sancti?*

R. Velut fideles servi & amici Christi.

Q. *Sed qua de causa honorandi sunt Sancti?*

R. Quia honorat eos ipse Deus Pater, *Qui mihi ministrat, honorificabit eum Pater meus.* Joan. 12. 26. Honorat eos ipse Dei Filius: *Vos qui secuti estis me &c.* Matth. 19. 28. Honorat eos Spiritus S. Eccl. 44. Ergone homo peccator Sanctos colere tergiversabitur?

Q. *Daturne in Ecclesia Catholica præceptum invocandi Sanctos?*

R. Salutare consilium est solum.

Q. *Sacrificamusne, aut Templa extruimus Sanctis?*

R. Non. Sacrificium enim Missæ litatur, & Ecclesiæ eriguntur soli Deo, quantumvis sub titulo alicujus Sancti.

Q. *Fitne mentio intercessionis, & invocationis Sanctorum in Scriptura?*

R. Omnino. Zach. 1. v. 12. Iterum 2. Petri p. 15. Gen. 48. 16.

Q. *Uti-*

Q. *Utique Dominus ait: Invoca me in die tribulationis*. Pf. 46. v. 16.

R. Idem quoque Dominus dicit: *Ite ad servum meum Job, ipse orabit pro vobis, faciem ejus aspiciam &c.* Job 42. 8.

Q. *Quomodo igitur hi textus combinandi?*

R. Sic, solus quidem Deus principaliter invocandus est, tanquam Dominus ille, qui propria nobis potestate potest, & solet benefacere, sed præterea etiam Sancti veluti servi Dei, qui præcise orent pro nobis Deum.

Q. *Quare tempus hoc, quod alias invocationi Sanctorum, non potius laudibus Christi impendimus?*

R. Quia invocando Sanctos magis glorificamur Christum juxta illud: *Laudate Deum in Sanctis ejus*. Pf. 150.

Q. *Quare?*

R. Invocare enim Sanctos est in re convocare illos, ut una nobiscum coram majestate Domini nostri Jesu Christi procidant, eumque nobiscum laudent, glorificent, orent & adorent.

Q. *Possuntne Sancti in cælo nostras in terris scire necessitates?*

R. Omnino, si enim Angeli in cælo sciunt & delectantur pœnitentia peccatorum, Luc. 15. igitur & animæ Sanctæ, cum de iis dicatur, Matth. 22. 30. *Sunt sicut Angeli Dei*.

Q. *An invocari possunt infantes e vivis statim post Baptismum sublati?*

R. Privatim possunt, cum & Dei in æternum amici sint, & tenera in nos, quos in agone certantes vident, charitate pleni.

Q. *Quam ob causam credimus Deum per Sanctorum reliquias multa nobis beneficia præstare?*

R. Constat id ex continua tot sæculorum experientia.

Q. *Num de hac re aliquid sit in Scriptura?*

R.

R. Omnino. 4. Reg. 13. ad contactum ossium Elisæi Prophetæ revixit mortuus. Et Act. 19. 12. per attactum sudariorum & semicinctorum S. Pauli morbi curabantur, & maligni spiritus expellebantur.

§. IX.

De veneratione Imaginum Christi & Sanctorum.

Q. *Quare in veneratione habemus Imagines Sacras?*

R. Quoniam exprimunt, & memoriæ suggerunt Christum, ejusque beneficia. Item præclara Sanctorum opera, quibus ad similia excitemur.

Q. *Quid hac de re est in Scriptura?*

R. Exod. 25. 18. præceperat Deus supra Arcam Fœderis duos locari Cherubinos, quibus certe una cum Arca cultus aliquis deferebatur. Deinde Ps. 98. Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est.

Q. *Utique præcepit Deus* Deut. 4. Non facies tibi sculptile?

R. Sed additur ibidem: *ut adores illud*. Porro nos nullam Imaginem velut Idolum adoramus.

Q. S. Joan. Ep. 1. c. 3. ait: *Filioli, custodite vos a simulacris?*

R. Hic monet conversos a se ethnicos, ne redeant ad idololatriam.

Q. *Num requiritur, ut Imagines colantur cultu absoluto propter seipsas, quasi credatur ipsis inesse aliqua divinitas, vel virtus propter quam sunt colendæ?*

R. Non; sed solum possunt coli cultu respectivo propter respectum nempe ad sua Prothotypa.

Q. *Ut*

Q. *Ut quid genuflexiones coram Crucifixo vel Altari?*

R. Coram illo genuflectimus, quem Imago denotat, nimirum Christo ad dexteram Dei sedente.

Q. *Quomodo id fieri potest, quod Imagines aliquæ miracula operentur, cum sint res inanimatæ?*

R. Non Imagines, sed ipse Deus ex abyssali clementia ad glorificandum nomen sanctum suum, ubi, & in quo loco vult, miracula operatur per intercessionem Sancti, cujus Imago vel Reliquia veneratur.

Q. *Deus in omni loco exaudire potest, & miracula operari, ut quid ergo certo loco aut certæ Imagini talis operatio adscribitur?*

R. Deus, postquam præcepta Decalogi dederat Moysi, potuit in quocumque loco & sub quacumque specie rei creatæ apparere, & cuicumque hominum, id tamen non præstitit, sed tantum in monte Horeb, in ardenti rubo; non alteri, quam Moysi.

Item, Potuit Deus per quamcumque rem creatam operari miracula, id tamen non fecit nisi per baculum Moysis, nec alibi nisi in Ægypto operatus est. Incomprehensibilia sunt judicia Dei.

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

De Peccatis in genere.

Q. QUid est peccatum?

R. Est transgressio legis divinæ, naturalis & scriptæ.

Q. *Qui legem humanam Ecclesiæ transgreditur, sitne divinæ Legis transgressor?*

R.

R. Omnino, cum Deus ipse præceperit obedire Ecclesiæ & potestatibus.

Q. *Quotuplex est peccatum?*

R. Duplex, carnale & spirituale. 1. est, quod tendit ad inordinatas delectationes corporis, ut luxuria, ebrietas. 2. est illud, quod immediate ad animam pertinet; ut superbia, odium. Aliud est *Philosophicum*, id est dictum vel factum, aut concupitum contra legem naturalem, seu dictamen naturæ rationalis. Aliud est *Theologicum*, est dictum, vel factum, aut concupitum contra legem Dei. Peccatum aliud est *Commissionis*, & est transgressio præcepti negativi. Aliud est *Omissionis* & est transgressio præcepti positivi. Item peccatum aliud est *contra Deum* scilicet immediate, ut blasphemia. Aliud contra *Proximum*, ut diffamatio. Aliud contra *seipsum*, ut est ver. gr. ebrietas.

Q. *Quotuplex adhuc est peccatum?*

R. Aliud est *cordis*, ut prava desideria. Aliud *oris*, ut infamationes. Aliud *operis*, ut omne opus factum externum contra legem Dei. *Peccatum* aliud est *originale*, quod est carentia justitiæ originalis transfusa ab Adamo per virtutem seminalem in posteros. Aliud *personale* quod est prævaricatio legis a propria persona facta.

Peccatum *personale*, aliud est *actuale*, quod est actualis prævaricatio legis Divinæ. Aliud *habituale*, quod est macula quædam relicta ex peccato actuali moraliter in anima permanens. Utrumque aliud est *mortale*, quod adfert mortem animæ, *aliud veniale*, quod non adfert mortem animæ.

Q. *Quæ requiruntur ad peccatum mortale?*

R. Hæc tria: plena advertentia & deliberatio ex parte intellectus. 2. Perfectus consensus ex parte voluntatis. 3. Gravitas materiæ, ex

ex quibus si unum desit, fiet veniale, quod alias ex se esset mortale.

Q. *Quotuplex est peccatum mortale?*

R. Duplex. Unum est tale *ex genere suo*, quod scilicet est contra legem graviter obligantem, & aliud est mortale *per accidens* solum, nempe ex circumstantiis adjunctis.

Q. *Quotupliciter peccatum mortale ex genere suo potest transire in veniale?*

R. Tripliciter 1. ex parte intellectus, si non habeatur perfecta deliberatio seu advertentia malitiæ peccati. 2. ex parte voluntatis, si non sit perfectus consensus. 3. ex parte materiæ, si hæc sit parvi momenti.

Q. *Quot modis peccatum veniale ex genere suo potest transire in mortale?*

R. Quinque modis. 1. ratione conscientiæ erroneæ aut scrupulosæ, si videlicet ille actus, qui ex natura sua est levis, judicetur esse gravis. 2. ratione contemptus aut inobedientiæ formalis. 3. ratione nimii affectus in rem aliquam, si hæc ita appretiative æstimetur, ut peccator sit paratus potius præceptum Dei sub mortali obligans transgredi, quam illam omittere. 4. ratione ruinæ & periculi proximi imminentis per talem actum, qui ex natura sua est levis. Sic v. g. ablatio acus, ex se est levis, eritque peccatum veniale; si tamen illam quis auferat sartori pauperi unicam habenti, qui prædicta acu sibi ac suæ familiæ victum merebatur; erit mortale. 5. ratione periculi incidendi in mortale, quando nimirum aliquis absque sufficienti cautela facit id, per quod facile labitur in mortale.

Q. *Plura peccata venialia possuntne efficere unum mortale?*

R. Negant communiter DD. Disponunt tamen ad illud facilius perpetrandum.

Q. *Quot sunt effectus peccati?*

R. Pec-

R. Peccatum inducit pœnam temporalem, si ſit veniale, vel æternam, ſi ſit mortale. 2. Minuit plurima auxilia gratiæ Dei, quæ ad bene agendum conferri ſolent. 3. relinquit in anima maculam, & deformitatem, quæ eſt peccatum habituale. 4. Tandem peccatum ponit impedimentum ad bene operandum.

§. II.

De peccatis in ſpecie.

Q. QUot *ſunt peccata capitalia?*

R. 7. Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, & Acedia.

Q. *Quare dicuntur capitalia?*

R. Ideo quia dicuntur capita, & radices aliorum peccatorum.

Q. *Quid eſt ſuperbia?*

R. Eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

Q. *Quid eſt avaritia?*

R. Eſt inordinatus bonorum temporalium appetitus. Filiæ ejus ſunt, obduratio cordis, inquietudo mentis, & fraus, ſive dolus in facto.

Q. *Quale eſt peccatum avaritia?*

R. Per ſe eſt veniale, niſi ita ſit intentus divitiarum appetitus, ut cauſa ejus vileſcat obſervatio præceptorum Dei & Eccleſiæ.

Q. *Quid eſt luxuria?*

R. Eſt inordinatus appetitus venereorum, & eſt ex genere ſuo mortale.

Q. *Quot ſunt filiæ luxuriæ?*

R. Ex parte intellectus ſunt quatuor, ſcilicet: cæcitas mentis, quæ habetur tunc, quando ita eſt addictus intellectus alicui turpitudini, ut de cæleſtibus amplius non permittatur cogitare. 2. Præcipitantia. 3. Inconſideratio. 4. Inconſtantia.

Ex parte voluntatis ſunt etiam quatuor. 1. Amor ſui. 2. Odium Dei. 3. Affectus præſentis ſæculi. 4. Horror futuræ vitæ.

Q. *Quid eſt invidia?*

R. Eſt inordinata triſtitia de alterius bono prout illud eſt diminutivum propriæ excellentiæ, & eſt ex genere ſuo mortale.

Q. *Quot ſunt filiæ invidiæ?*

R. 1. Odium proximi. 2. Detractio. 3. Gaudium de malis proximi. 4. Suſurratio, quæ eſt oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipſius cum aliis, quam ſuſurro reſtituere tenetur non minus, quam detractor famam.

Q. *Quid eſt gula?*

R. Eſt inordinatus appetitus cibi & potus, & eſt ex genere ſuo veniale.

Q. *Quot modis fit gula?*

R. Quinque. 1. Si quis edat ante tempus. 2. Si nimis exquiſita. 3. Si nimis exquiſite præparata. 4. Si plus juſto comedat aut bibat. 5. Si voraciter.

Q. *Quid eſt ira?*

R. Eſt inordinatus vindicandi appetitus.

Q. *Quare dicitur inordinatus?*

R. Quia non omnis appetitus vindictæ eſt peccatum iræ, juxta illud Pſal. 40. *Iraſcimini & nolite peccare*; ſæpius enim ſuperiores iraſcuntur puniendo culpam ſubditorum, & tamen non peccant, ſi ordinate id faciunt.

Q. *Quid eſt acedia?*

R. Eſt faſtidium rerum ſpiritualium.

Q. *Quæ excuſant aliquem a peccato?*

R. Hæc tria: Defectus liberi conſenſus. 2. Inadvertentia ad malitiam peccati. 3. Ignorantia.

Q. *Quæ ſunt peccata contra Spiritum Sanctum?*

R. 6. Scilicet: Deſperatio propriæ ſalutis æter-

æternæ: Præsumere salvari sine meritis: Cognitam veritatem impugnare: Invidere gratiæ, & aliis beneficiis spiritualibus proximo a Deo concessis: Obstinatio in peccatis: Impœnitentia finalis.

Q. *Quare dicuntur contra Spiritum Sanctum?*

R. Quia cum Theologi approprient potentiam Patri, sapientiam Filio, & bonitatem S. Spiritui; hinc qui peccant ex fragilitate, dicuntur peccare contra Patrem, qui potens est; qui peccat ex ignorantia dicitur, peccare contra Filium, qui sapiens est; qui vero ex malitia peccat, dicitur peccare contra Spiritum Sanctum, qui bonus est.

Q. *Quare hæc peccata dicuntur irremissibilia?*

R. Omnia hæc peccata remitti possunt per Sacramentum Pœnitentiæ, si quis bene dispositus illa confiteatur, nihilominus hæc dicuntur irremissibilia, quia malitiose peccans raro, & difficile convertitur, proinde veniam peccatorum non obtinet.

Q. *Quænam sunt peccata in cælum clamantia?*

R. Quatuor. Homicidium voluntarium, crimen nefandum, seu sodomia, oppressio pauperum, orphanorum, & viduarum, defraudare operarios mercede propriis laboribus debita, hæc enim adeo gravia sunt, ut vindictam in Sacra Scriptura dicantur petere a Deo.

§. III.

De Scandalo.

Q. QUid est scandalum?

R. Est peccatum occasionatum. Dicitur vero tale, quia dat occasionem alteri ad peccandum.

Q. *Quotuplex est scandalum?*

R.

R. Duplex. *Activum* est dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Et *Passivum* est ipsa ruina seu peccatum ex alterius dicto vel facto secutum.

Q. *Quotuplex est scandalum activum?*

R. Est duplex: Unum *per se* tale, & aliud per *accidens*. Primum habetur tunc, quando directe intenditur alterius ruina, si nimirum ideo aliquid fiat; ut proximus ad peccatum inducatur.

Per accidens vero scandalum dicitur, quando indirecte & interpretative tantum causatur alterius peccatum, ut si v. gr. spiritualis verbum jocosum proferat coram sæcularibus, quos inde occasionem peccati sumpturos cognoscit, & a talibus verbis non abstinet.

Q. *Ad hoc ut scandalum activum sit peccatum, requiriturne, ut de facto ex illo sequatur ruina spiritualis proximi seu scandalum passivum?*

R. Non. Sufficit enim quod per illud data sit occasio, ex qua sequi possit ruina spiritualis proximi, ut si ver. gr. vellem aliquem inducere in ebrietatem, quamvis ipse non consentiat.

Q. *Qualiter ille peccat, qui scandalizat alterum?*

R. Mortaliter, si dat occasionem ruinæ mortalis (nisi indeliberatio excuset) venialiter autem, si dat occasionem ruinæ venialis, etiamsi hoc directe intendat.

Q. *Quot peccata committit scandalizans?*

R. Præter peccatum scandali, committit peccatum ejusdem speciei, ad quod alterum induxit, & ideo confiteri debet speciem peccati, per quod, & ad quod dedit occasionem cum numero scandalizatorum, etiamsi illos non induxerit directe ad peccandum, sed per accidens.

§. IV.

§. IV.

De Virtutibus.

Q. QUid *est virtus?*

R. Secundum S. August. est qualitas mentis, qua recte vivitur.

Q. *Quotuplex est virtus?*

R. Juxta Aristotelem. Alia est *Intellectualis*, quæ ad intellectum spectat, ut prudentia. Alia est *Moralis*, quæ ad voluntatem pertinet.

Q. *Quotuplex est adhuc virtus?*

R. Duplex: *Theologica*, quæ habet pro objecto immediate Deum. *Alia moralis*, quæ habet pro objecto immediato actiones humanas.

Q. *Quotuplex adhuc est virtus?*

R. Duplex: Alia est *actualis*, estque actus alicujus virtutis. Alia *habitualis*, quæ est qualitas inclinans potentiam ad actus virtuosos.

Q. *Quotuplex est virtus habitualis?*

R. Duplex. *Infusa*, quæ infunditur immediate a Deo, hujusmodi sunt habitus Fidei, Spei, & Charitatis. Alia *acquisita* quæ est facilitas quædam generata ex frequentatis actibus virtuosis inclinans hominem ad eliciendos prompte similes actus virtuosos illis, ex quibus fuit generata. Prima ergo datur ad simpliciter. Secunda vero ad faciliter operandum.

Q. *Quot sunt virtutes cardinales?*

R. 4. Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo.

Q. *Quare dicuntur Cardinales?*

R. Quia in illis tanquam in cardinibus universa boni operis structura nititur.

Q. *Quot sunt dona Spiritus Sancti?*

R. 7. Juxta Isaiam 11. Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Dei.

Q.

Q. *Quot sunt beatitudines?*

R. Juxta Matth. 5. sunt octo: Beati pauperes, Beati mites, Beati qui lugent, Beati qui esuriunt, Beati misericordes, Beati mundo corde, Beati pacifici, & Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.

Q. *Quot sunt virtutes Theologicæ?*

R. 3. Fides, Spes, Charitas.

CAPUT TERTIUM.

§. I.

De requisitis ad primam Tonsuram.

Q. *QUæ dispositio principalis sit necessaria volenti suscipere tonsuram?*

R. Vocatio Divina.

Q. *Quid est vocatio Divina?*

R. Est electio, quam Deus facit inter homines ad aliquem specialem statum, quem solet indicare aliquibus signis.

Q. *Quare hæc vocatio est necessaria ad statum Ecclesiasticum?*

R. Deus siquidem, cum illum instituerit, & ordinaverit, ad illum spectat vocare hos, quos voluerit.

Q. *Quid de illo sentiendum est, qui ingreditur statum Ecclesiasticum sine vocatione?*

R. Talis intrat contra Dei voluntatem, facit se indignum gratiæ ejus, mereturque juste ab eo derelinqui, & exponit periculo salutem suam.

Q. *Cui tales assimilantur?*

R. Christus Dominus illos comparat latronibus & lupis, qui intrant in ovile propter jugulandas oves vita sua scandalosa.

Q. *Quomodo Deus punivit præsumptionem, & temeritatem talium, qui aspiraverunt ad Ministerium Altaris sine vocatione?*

R. Præcipitavit aliquos in abyssum terræ, projecitque illos viventes in Infernum. Alii igne absumpti sunt, ut Scriptura docet in Libr. Numer.

Q. *Unde cognosci potest, utrum sit ex Deo vocatio ad statum Ecclesiasticum?*

R. Ex sequentibus signis. 1. Si vocatur per Episcopum pro necessitate & utilitate Ecclesiæ. 2. Si hoc genus vitæ suscipitur cum pura intentione Deo serviendi in castitate, & curandi pro viribus suam, & proximorum salutem. 3. Si acceptum est consilium a Confessario, vel alio homine docto, prudente, qui non sit ductus studio sui commodi habente zelum pro statu Ecclesiastico. 4. Si habentur dotes requisitæ, ut satisfiat digne obligationibus hujus status, quæ sunt: Sanctitas, scientia, amor summus castitatis, & sobrietatis, zelus, contemptus divitiarum, honoris, &c. 5. Si quis assumit spiritualem statum sine præcipitantia, sine intuitu rerum temporalium præparatione facta per exercitia spiritualia aliquot diebus.

Q. *Estne necessarium habere spiritum ecclesiasticum?*

R. Omnino ita. Deus enim nullum vocat ad hunc statum, ut illi statim non suggerat spiritum necessarium & auxilia opportuna ad sancte in eodem statu vivendum.

Q. *In quo hic consistit spiritus?*

R. In ubertate gratiæ, qua mediante peraguntur cum suavitate facile, & libenter ministeria Ecclesiæ.

Q. *Unde cognosci potest, quod quis habeat hunc spiritum?*

R. Si æstimat suum statum super omnes dignitates hujus mundi. 2. Si gestat externe signa sui status, talia sunt: Tunica talaris, corona, capilli breves &c. 3. Si peragit libenter fun-

functiones Ecclesiasticas etiam minimas. Si magnum zelum habeat, & fortiter laboret in ordine ad restituendam disciplinam Ecclesiasticam.

Q. *Quomodo conservari potest hic spiritus Ecclesiasticus?*

R. Per constantem & devotam orationem. 2. Per lectionem spiritualium librorum. 3. Per frequens exercitium muniorum Clerici. 4. Per conversationem cum bonis spiritualibus.

Q. *Qui est spiritus oppositus huic Divino Spiritui?*

R. Est spiritus mundi, qui consistit in amore inordinato divitiarum, voluptatum, honorum; hic spiritus est fons omnium malorum in Clero, & evidens funestissimorum scandalorum scaturigo in populo.

Q. *Quæ sunt signa malæ vocationis?*

R. Quando aspirans ad statum Ecclesiasticum assumit eundem compulsus per spiritum propriæ utilitatis, suorum parentum, consanguineorum, ut minuatur numerus personarum in familia, aut propter successionem consanguineo Beneficiato, aut propter alium aliquem finem temporalem.

2. Quando fit ingressus ad hunc statum propter vitam ducendam otiosam, ignavam sine cura, sine sollicitudine, ac si hic status esset locus quietis.

3. Quando fit ingressus propter se subducendum jurisdictioni sæculari, tributis &c. aut habeatur unde commode vivere, aut propter ditandos consanguineos, vel propter aucupandas Ecclesiasticas dignitates.

§. II.

De requisitis ex parte subjecti.

Q. *QUæ prærequiruntur ex parte subjecti ad valide recipiendam primam tonsuram?*

R. Ut sit mas, ut sit baptizatus, ut habeat usum rationis, ut voluntarie & non pure coacte initietur.

Q. *An ergo mas infidelis potest admitti ad primam tonsuram & Ordines?*

R. Non, quia per Baptismum non est aggregatus numero christianorum.

Q. *Et cur Baptismus prærequiritur?*

R. Quia est tanquam janua ad reliqua Sacramenta.

Q. *Cum Baptismus dicatur janua esse ad reliqua Sacramenta, an ergo omnia reliqua Sacramenta invalide suscipiantur ante illum?*

R. Invalide præter Eucharistiam.

Q. *Quæ ratio?*

R. Eucharistiæ enim sumptio cum a suscipientis intentione non dependeat, ea non invalide, sed solum infructuose, & materialiter sumetur.

Q. *Potestne fœmina valide accipere primam tonsuram?*

R. Nullo modo, quia sicut Ordines ipsi, ita & prima tonsura, tanquam dispositio ad Ordines non pro fœminis, sed pro maribus instituta sunt.

Q. *Utique leguntur fuisse Presbyterissæ, ac Diaconissæ?*

R. Harum aliæ deputatæ sunt cum aliqua forte benedictione ad Homilias in Officio Monialium recitandas; aliæ uxores virorum in Diaconos, Presbyteros, Episcopos ordinatorum,

rum, quæ ab illis separatæ cœlibem vitam ducebant.

Q. *An quando Monialibus præciduntur capilli, ipsa præcisio possit vocari tonsura directa ad Ordines suscipiendos?*

R. Non, quia non fit ab Episcopo, & cum ipsius benedictione, sed fit ab Abbatissa, vel ab aliquo alio in signum contemptus rerum sæcularium & perfectæ humilitatis Christianæ.

Q. *Quæ ad licitam tonsuræ susceptionem prærequiruntur?*

R. Confirmationis Sacramentum, legitima ætas, ut non sit irregularis, vel simili aliquo impedimento affectus, sufficiens literatura, intentio serviendi Deo, ut testimonium probitatis habeat.

Q. *Peccatne, si quis non confirmatus reciperet tonsuram?*

R. Probabilius est, quod tantum venialiter peccaret, quia *Tridentinum* non videtur id sub gravi præcipere.

Q. *Si quis esset irregularis, possetne accipere tonsuram?*

R. Non posset licite, quia sicut est incapax Ordinis, ita etiam dispositionis ad ordines.

Q. *Fieretne aliquis irregularis, qui tonsuram reciperet in censura?*

R. Non; cum tonsura non sit Ordo.

Q. *Tonsura debetne præcedere Ordines?*

R. Debet necessitate præcepti, non Sacramenti; unde qui reciperet Ordines omissa tonsura, valide esset ordinatus.

Q. *An prærequiritur ad tonsuram status gratiæ?*

R. Non prærequiritur saltem sub mortali, quia cum tonsura non sit Sacramentum, non ponitur obex gratiæ per peccatum in ejus susceptione.

R. *An tonsurandus obligetur communicare eo die, quo initiatur?*

R. Non; quia de nullo tali præcepto constat, & si quæ sit Rubrica, erit tantum consultiva.

§. III.

De essentialibus primæ tonsuræ.

Q. QUid *est tonsura?*

R. Est assumptio personæ in Clericum, *sive* deputatio ad canendum in Ecclesia, & ad ejus obsequium, sine tamen ullius ministerii potestate.

Q. *Cur vocatur prima tonsura?*

R. Quia ante omnes Ordines primo confertur. Dicitur tonsura, quia in ea tonduntur capilli.

Q. *Quid significat illa amputatio capillorum?*

R. Significat rerum temporalium contemptum, quia temporalia tanquam capilli vanitas sunt a spiritualibus contemnenda.

Q. *Cur in summitate capitis formatur ejusmodi tonsura?*

R. Ad ostendendam mentis eminentiam illius, qui decoratur tali signo.

Q. *Quam ob causam raditur corona Clericis?*

R. Tribus de causis: *Primo*, in memoriam coronæ, quæ contexta ex spinis Salvatoris nostri capiti imposita fuit. *Secundo*, ad declarandam regiam dignitatem, qua præfulgent ii, qui deputantur ad cultum Dei, cui servire, regnare est. *Tertio*, ad significandam perfectionem vitæ a Clericis susceptam, figura enim orbicularis est omnium perfectissima.

Q. *Quis instituit primam tonsuram?*

R. Apostolorum Princeps S. Petrus, primus omnium hunc morem induxit.

Q.

Q. *Quantæ latitudinis debet esse corona?*

R. In minoribus ordinibus existentibus sufficit si sit tanta, quanta est particula communicantibus distribui solita, in aliis vero major, similis hostiæ magnæ, quæ ad Missæ Sacrificium servit.

Q. *Tonsura estne ordo?*

R. Non.

Q. *Estne saltem Sacramentum?*

R. Cum sub Sacramento Ordinis non comprehendatur, nec sub ullo alio ex Sacramentis, non potest esse Sacramentum, sed solum est dispositio ad Ordinem.

Q. *Et cur non sit Ordo?*

R. Quia per illa non imprimitur character, nec ulla spiritualis potestas quidquam agendi circa Eucharistiam tribuitur, sed fit sola segregatio a statu sæculari, deputatioque ad statum ecclesiasticum Clericalem, ut eam suscipiens fiat capax ordinum proprie dictorum, jurisdictionis Ecclesiæ, Beneficiorum & Privilegiorum.

Q. *Quomodo ergo judicat tonsuratum se habere respectu ordinatorum?*

R. Eo fere modo, quo novitius respectu ceterorum Religiosorum.

Q. *Tonsura fuitne figurata in Lege veteri?*

R. Fuit figurata in Nazaræis, qui crine præcisi Divino cultui consecrabantur.

Q. *Habetne certam materiam & formam?*

R. Cum non sit Ordo & Sacramentum, vera materia & forma non indiget: habet tamen materiam improprie talem: abscissionem capillorum, & loco formæ verba ab Episcopo pronuntiata: *Dominus pars hæreditatis &c.*

Q. *An qui in capite totaliter calvus est, possit primam tonsuram suscipere, cum nequeat tonderi ab ordinante?*

R. Potest, quia cum prima tonsura non ha-

beat veram materiam & formam, sufficiet eandem ceremoniam adhibere, quantum fieri potest, quæ adhibetur cum capillatis.

Q. *Quid significat cereus accensus, quem tonsuratus portat in manu?*

R. Significat, quod tonsuratus debet esse lumen Ecclesiæ per suam doctrinam, & exemplum, & quod debet incendere quemlibet amore in Deum per fervorem sui zeli.

Q. *Cur induitur tonsuratus superpelliceo?*

R. Ad demonstrandum novum vitæ genus, quod suscipit. *Secundo*, Candor hujus vestis denotat puritatem cordis & corporis, quam habere debet accedens ad tonsuram.

Q. *Quis est Minister tonsuræ?*

R. Ordinarie, & per se solus est Episcopus, ex privilegio possunt esse & Abbates.

Q. *An autem a quocumque Episcopo potest conferri tonsura?*

R. Per se solum a proprio, seu ab ordinario initiandi, est enim actus jurisdictionis, quam ordinariam non habet, nisi ordinarius.

Q. *Quo tempore conferri potest tonsura?*

R. Quacunque hora, etiam post meridiem, etiam extra Missam.

§. IV.

De Clericatu & illi annexis.

Q. *INitiati prima tonsura, quo nomine nuncupantur?*

R. Vocantur Clerici, quod nomen illis tunc primum imponitur, ita ut tonsurati non sint amplius in statu sæculari, sed Clericali.

Q. *Unde desumitur hoc nomen, Clericus, & quid significat?*

R. Desumitur a voce Græca *Cleros*, quæ translata ad idioma latinum, idem est, ac sors, vel

vel hæreditas, tonſuratus dicitur Clericus, quia deputatus ad inſerviendum Eccleſiæ ex officio eſt ad ſortem, & hæreditatem Domini vocatus.

Q. *Quod eſt officium tonſurati?*

R. Eſt Eccleſiæ inſervire, & canere in ea Pſalmos, & ideo Pſalmiſta vocari ſolet.

Q. *Quæ ſunt obligationes tonſurati?*

R. Incedere in habitu, ſcilicet in veſte talari, ſeu decenter longa, & tonſura.

Q. *Quid venit nomine tonſuræ?*

R. Primario venit corona, quæ eſt ſignum diſtinctivum Clerici a laico.

Q. *Quis eſt effectus primæ tonſuræ?*

R. Tonſurati quatuor gaudent Privilegiis: *Primo*, *Privilegio Fori*: quod ſubdantur ſoli Judici eccleſiaſtico, ideo exempti ſunt a Foro ſæculari, quare in manibus laici non poſſunt jurare, niſi ab Epiſcopo licentiam habeant. *Secundo*, eximuntur a ſolutione gabellarum, aliorumque onerum, quæ ſubditis a ſæculari Magiſtratu imponuntur. Quod privilegium dicitur privilegium Fori. *Tertio*, gaudent privilegio *Canonis*, quod eſt diſtincta prohibitio percutiendi Clericum ſub pœna excommunicationis Papæ reſervata. *Quarto*, redduntur capaces Beneficii poſſidendi tam curati, quam non curati, & penſionum eccleſiaſticarum.

Q. *Gaudentne Clerici ſimpliciter his privilegiis?*

R. Non, niſi beneficium habeant, aut habitum clericalem & tonſuram deferant, alicui Eccleſiæ ſerviant, vel in Seminario Clericorum, vel in ſtudiis de licentia Epiſcopi verſentur.

Q. *Quod ſi Clerici ſint conjugati?*

R. Hi privilegio Fori non gaudent, niſi præter ſupra dicta obſervent etiam *Conſtit.* Boni-

nisacii VIII. ut non sint bigami, & tunc tantum gaudent in criminalibus. *Plura vid. inferius Cap. 6. §. 7.*

Q. *Quo jure spirituales sint exempti a judicibus laicis?*

R. Jure Divino, Gen. 47. Esd. 8. Exod. 21. 3. Reg. 9. Zach. 2. Psal. 71. Matth. 12. 17. & 27. Ita Bellet & innumeri alii, d. §. 1.

Q. *Estne effectus primæ tonsuræ etiam gratia sanctificans?*

R. Non, hic enim effectus est Ordinis, non dispositionis ad Ordines.

Q. *Recipiens tonsuram tantum ex intentione fugiendi Forum sæculare, vel ob accipiendum Beneficium, peccatne?*

R. Ad primum peccaret venialiter, quia habet inordinatam intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ. Ad *Secundum*, peccaret mortaliter, gravem enim facit injuriam statui Clericali, & pervertit in re gravi intentionem Ecclesiæ.

Q. *Tonsuratus censura aliqua innodatus, si exerceat aliquod officium, incurreretne irregularitatem?*

R. Non, quia tonsura nullum habet sibi annexum officium Ecclesiasticum solemniter exercendum.

Q. *Quæ serio prohibentur per Canones spiritualibus personis?*

R. Ne mercaturam exerceant: ne cohabitent mulieribus: ne crapulæ & ebrietati vacent; neque clamorosis venationibus; ne saltent, neque choreis intersint. Choreas seu saltus a Personis spiritualibus sine gravi peccato agi non posse plerique DD. & SS. viri asserunt, firmat Bened. XIV. *Instit. Eccl.* 76. §. 5. 7. Notent id, & considerent dissoluti, dignitatis suæ Sacerdotalis obliti!

Q. *Peccatne Clericus nutriendo comam, non fe-*

ferendo coronam, & portando prolixos capillos?

R. Card. de Laur. in Epist. *Verbo Clerici*, tum & alii gravissimi DD. *Bonacin.* T. 10. *de Sacris Ord.* Lay. l. 5. *Tract.* 9. affirmant talem mortaliter peccare, cum SS. Canones feriunt excommunicatione Clericos comam relaxantes, ut in Cap. *Si quis* 23. *de vita & honestate Cleric.* quæ pœna non infligitur, nisi ubi datur culpa gravis.

Q. *An non suffragari potest consuetudo particularium personarum vel locorum?*

R. Non, quia hæc tanquam abusus, & corruptela ubique terrarum declarata est, ac damnata infinitis propemodum *Constitutionibus*, quas collegit Caston *in Trid. de tons. & hab. Cler.*

§. V.

De requisitis ad Ordines.

Q. QUid sint requisita ad Ordines?

R. Sunt quædam qualitates, tam in ordinando, quam etiam in ordinante requisitæ ad hoc, ut valide & licite ministretur Sacramentum Ordinis.

Q. *Quotuplicia sunt hæc requisita?*

R. Alia ex parte ordinantis seu Episcopi; Alia ex parte ordinandi. Et alia ex parte Sacramenti.

Q. *Quid requiritur ad valide administrandum Ordinem ex parte ordinantis?*

R. Ut sit valide consecratus. Ut habeat intentionem. Ad hoc autem ut licite conferat Ordines, debet esse in statu gratiæ, non excommunicatus, suspensus, aut alio Canonis impedimento innodatus.

Q. *Quid ex parte Sacramenti requiritur?*

R. Materia & forma, utpote partes essentiales ejusdem.

Q. *Quid ex parte ordinandi requiritur ad valide suscipiendum Ordinem?*

R. 1. Ut ordinandus sit homo viator, id est, vivens, 2. ut sit mas, 3. ut sit baptizatus, 4. ut habeat intentionem.

Q. *Quæ, & quot sunt requisita ad licite recipiendum Ordinem ex parte ejusdem ordinandi?*

R. *Primo*, ut sit in gratia. *Secundo*, ut habeat confirmationem, & primam tonsuram. *Tertio*, ut habeat dimissoriales, si sit ex alia Diœcesi. *Quarto*, ut sit examinatus. *Quinto*, non innodatus aliqua censura. *Sexto*, ut per saltum non ordinetur, sed gradatim, idest primo Ostiariatum &c. *Septimo*, ut habeat annos requisitos. *Octavo*, ut sit ex legitimo matrimonio.

Q. *Qui anni requiruntur in ordinando?*

R. Pro prima tonsura & tribus minoribus ordinibus septimus annus completus. Pro *Acolytatu* 12. annus completus. Pro *Subdiaconatu* 21. completus. Pro *Diaconatu* 22. completus. Pro *Presbyteratu* 24. completus.

Q. *An qui dubitat de completa legitima ætate ordinari possit?*

R. Non, quia præceptum est in possessione.

Q. *Quando ætas computanda est, & tempus nativitatis ignoratur, quamdiu expectandum, ut secure procedatur in susceptione ordinum?*

R. Si nativitatis hora ignoratur; integer dies expectandus est: si ignoratur dies, & sciatur mensis; totus mensis expectandus; si mensis ignoretur, & anni notitia habeatur; expectetur integer annus.

Q. *Descendentes ex Judæis possuntne ordinari, & an sint capaces beneficiorum?*

R. Si ante usum rationis sint baptizati, possunt ordinari, & sunt capaces officiorum & beneficiorum.

Q. Ubi-

Q. *Utique neophitæ sunt irregulares?*

R. Id verum est de iis, qui nuper ad fidem conversi sunt, cujusmodi non sunt baptizati a nativitate. Sanct. *lib.* 2. *cap.* 28. Sed etiamsi non ante usum rationis sint baptizati, possunt admitti ad Ordines, & beneficia, si Episcopi judicio probantur.

Q. *Quæ scientia requiritur ad Ordines suscipiendos?*

R. Ad primam tonsuram sufficit scientia Articulorum Fidei. Ultra quam, ad quatuor minores Ordines debet uniuscujusque Ordinis notum esse officium, materia, forma, & intentio. *Ad Subdiaconatum & Diaconatum* requiritur scientia censurarum, & aliarum pœnarum Ecclesiæ, notitia Rubricarum, cæremoniarum &c. ut suo quisque Ordini satisfaciat ex officio. *Ad Presbyteratum* requiritur ut habeat illam scientiam, qua posset docere populum, & administrare Sacramenta.

§. VI.

De illegitimis.

Q. QUid est legitimatio?

R. Est quædam dispositio, decor, & honor incapaces faciens capaces ad successionem & honores.

Q. *Qui prohibentur a jure ordinari?*

R. Illegitimi.

Q. *Quinam sunt illegitimi?*

R. Sicut non omnes nati ex junctis matrimonio valido, & legitimo sunt legitimi: ita non omnes sunt illegitimi, qui ex non junctis matrimonio nascuntur. Si conjugatus fiat Sacerdos vivente uxore, de ejus consensu, etiam ipsa faciente votum continentiæ, si postea Maritus accedat ad eam, proles censetur il-

legitima, & irregularis, quamvis validum fuit matrimonium, quia ex sacrilego concubitu nata.

Econtra quando aliqui in facie Ecclesiæ contraxerunt bona fide, & postea lis orta est super validitate matrimonii, etiamsi per sententiam declaratum sit invalidum matrimonium, filii tamen ante sententiam nati, aut si concepti sunt, censentur legitimi.

Q. *Si quis vivente uxore mala fide contrahit cum altera ignorante; an Filii censentur legitimi nati ex illa secunda illegitima conjuge?*

R. Affirmative. Secus si cum sciente de altera uxore, nam tunc etsi postea mortua prima uxore contrahat obtenta dispensatione ob impedimentum criminis cum illa secunda, seu si ratificet matrimonium, filii non legitimantur.

Q. *An omnis, qui ex simplici fornicatione natus, est illegitimus?*

R. Non; nam natus ex soluta & soluto, qui fornicarie se cognoverunt, postea subsecuto illorum matrimonio, habetur talis pro legitimo, nec est irregularis.

Q. *Qui ergo sunt illegitimi?*

R. Qui ex illicito concubitu sive publico, sive occulto tali orti sunt, nec per subsequens matrimonium legitimati. Non omnes tamen vocantur *Spurii*, nec omnes *Naturales*; *Naturales* filii vocantur illi, qui sunt geniti a Parentibus, qui tempore conceptionis aut nativitatis matrimonio jungi poterant. *Spurii* vero econtra, qui geniti sunt a Parentibus, inter quos matrimonium dicto tempore esse non poterat. Unde

Si uterque conjux, vel alter solum post matrimonium ratum rite contractum ante consummationem illius ad religionem transeat, & in ea profiteatur, si postea se cognoscant, & filium

filium generent, talis filius est Spurius, quia per professionem Matrimonium nondum consummatum est dissolutum, & amplius inter eos esse non potest; secus si hoc contingeret tempore Novitiatus, nam natus filius ex tali copula esset legitimus, cum adhuc Matrimonium perseveret validum ante Professionem.

Si nasceretur autem ex Patre habente impedimentum aliquod solum impediens, vel ex constituto in minoribus Ordinibus cum soluta, talis esset filius naturalis, quia hi contrahere potuerunt.

Q. *Quis dicitur filius ex incestuoso, & sacrilego coitu natus?*

R. Ille qui nascitur ex filia & Patre, vel in gradu prohibito, vel ex Monacho, & Moniali, vel Sacerdote, quia isti committunt Sacrilegium.

Hi omnes illegitimi, quicunque illi sunt, & quantumvis occulti, irregulares sunt. Unde illegitimus sine dispensatione suscipiens ordinem, peccat mortaliter, & suspensus est ab executione ejus, non tamen novam incurrit irregularitatem, nisi exerceret Ordinem susceptum.

Q. *An illegitimi a Regibus legitimati possunt suscipere ordines?*

R. Non possunt, quia tales solum legitimantur ad hæreditates, dignitates sæculares &c.

Q. *An illegitimus occultus indiget dispensatione?*

R. Indiget, quam tamen dare potest Episcopus.

Q. *An infantes expositi censentur legitimi?*

R. Alii affirmant, alii probabilius negant: præsumptio enim sumitur ex his, quæ frequenter contingunt.

Q. *Quis potest dispensare cum Spuriis cæterisque illegitime natis?*

R. Epi-

R. Episcopus solum potest, ut ad minores Ordines, & ad Beneficia simplicia promoveri queant, ad Curata autem & dignitates solus Pontifex dispensat.

Q. *An Hermaphroditus ordinari potest?*

R. Hermaphroditus est ille, in quo sexus uterque reperitur, tale monstrum ordinari non potest; si in tali prævaleret sexus fœmineus, ordinaretur invalide. Si vero prævaleret Sexus virilis, valide quidem, sed illicite ordinaretur. Si post susceptos ordines fieret mutatio, in eo quod fœmineus prævaleret sexus, non posset valide consecrare nec absolvere, licet in anima character Ordinis remaneret.

Q. *Qui adhuc prohibentur ordinari?*

R. 1. Ignoti. 2. Bis baptizati, cum sint irregulares, & si scienter sunt bis baptizati, indigent dispensatione Papali, si vero ignoranter, Episcopali. 3. Bigami; Bigamia est iteratio Matrimonii consummati, seu divisio carnis in duas successive uxores, inducit irregularitatem ex defectu significationis Sacramenti, quo Christus cum unica sponsa Ecclesia conjungitur.

Q. *Quotuplex est Bigamia?*

R. Triplex. 1. *vera*, si re ipsa cum duabus uxoribus consummavit Matrimonium sive ante, sive post susceptum Baptismum. 2. *Interpretativa*, ut si quis in uxorem ducat, & cognoscat viduam, a priori viro cognitam, aut etiam non viduam, sed prius cognitam seu corruptam ab alio. 3. *Similitudinaria*, si Clericus in Sacris constitutus vel religionem professus cum virgine invalide contrahat Matrimonium, eamque cognoscat. Omnes hi Bigami sunt irregulares, & prohibentur suscipere Tonsuram & Ordines, & in susceptis ministrare.

Q. *Qui adhuc prohibentur ordinari?*

R. Neo-

R. Neophyti, corpore vitiati, homicidæ; per homicidam intelligitur omnis voluntarie occidens alium vel se mutilans, item Judex, Lictor, mandans, consulens; infirmos ut citius moriantur, vertens; non vero faciens id bona fide. Prohibentur aleæ, ebrietati, gulæ, & impudicitiæ dediti, *c. ut Cler. crapula.* Item Usurarii, Simoniaci, Sacrilegi &c. *cap. Cleric. de vita & hon.* Et Infames.

Q. *An privatio membri occulti inducit Irregularitatem?*

R. 1. Qui a Medicis propter aliquem languorem defectus est, aut a barbaris excisus, si alias dignus sit, potest ordinari.

R. 2. Irregularis est, qui sibi virilia amputavit causa castitatis. Cap. 5. dist. 55. Et ille qui abscidit, vel voluntarie permisit abscindi ad conservandam vocem.

Q. *Cujus sit judicare: an Ordinandus ex defectu corporis sit irregularis?*

R. Standum est judicio Episcopi, ejus, qui vult ordinari, etsi sit Religiosus. Cap. 3. de corp. vit.

§. VII.

De Ordinibus in Communi.

Q. *Quid est Ordo?*

R. Est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo Spiritualis potestas, & Officium confertur.

Q. *Differtne Ordo ab Ordinatione?*

R. Differt, quia ordinatio est signum sensibile sacrum, quod consistit in porrectione certæ materiæ cum quadam verborum forma, conferens gratiam, & potestatem circa Corpus Christi verum, seu physicum, & in Ordine ad Corpus Christi Mysticum: Ordini vero convenit dicta definitio immediate.

Q. Quid

Q. *Quid eſt Corpus Chriſti verum, & quid Myſticum?*

R. 1. eſt Sanctiſs. Euchariſtia, 2. eſt Eccleſia, id eſt congregatio Fidelium.

Q. *Quiſnam inſtituit Ordines?*

R. Chriſtus Dominus, qui etiam determinavit materiam, & formam Ordinum. Cæremonias tamen & alia ſervanda in decenti illorum collatione, Eccleſia præſcripſit.

Q. *Quomodo Chriſtus Dominus materiam & formam Ordinum inſtituit, cum alia ſit apud Græcos, alia apud Latinos?*

R. Chriſtus Dominus inſtituit pro Ordinum materia rem ſignificantem poteſtatem, quam ordinatus accipit in ordinatione, & pro forma, verba quæ exprimant collationem poteſtatis ei communicatæ ab Epiſcopo, & hæc immutabilia ſunt, modus autem exprimendi talem poteſtatem potuit ab Eccleſia variari. Variatio enim illa eſt accidentalis non ſubſtantialis.

Q. *Quot ſunt Ordines?*

R. 7. Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

Q. *Quotuplices ſunt Ordines?*

R. Duplices: *Minores*, ſeu non ſacri, & tales ſunt primi 4. Alii vero *Majores*, ſeu ſacri, & tales ſunt reliqui tres.

Q. *Quare primi quatuor vocantur minores, ſeu non ſacri?*

R. Quia verſantur circa minora, ac inferiora Miniſteria, & non habent annexum votum caſtitatis. Reliqui vero tres dicuntur majores & ſacri, quia verſantur circa majora officia, & habent annexum votum caſtitatis.

Q. *Epiſcopatus an non etiam eſt ordo?*

R. Non eſt diſtinctus ordo, ſed complementum majoris perfectionis Sacerdotii; Eo modo

quo

quo in Sacerdotio poteſtas abſolvendi a peccatis complet poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti.

Q. *Cur tam multi ordines in Eccleſia ſunt conſtituti?*

R. Id inſtitutum eſt propter dignitatem Sacerdotii, & Conſecrationis Euchariſtiæ, quæ cum ſit excellentiſſima actio in Eccleſia, requirebat plures Miniſtros, qui illi inſervirent, nec decebat, ut homines e ſtatu Laicorum ſtatim ad Sacerdotii culmen evolarent, ſed congruum erat, ut primum ſegregati per Tonſuram Clericalem, gradatim per ordines aſcenderent, ſicque ex officio Sacerdoti inſervirent.

Q. *Suntne ſinguli Ordines Sacramentum?*

R. Sunt, & quamvis ſint 7. ordines, & ſinguli ſint Sacramenta, non tamen plura, ſed unum ſunt Sacramentum unitate finis, & perfectionis, quia omnes referuntur ad Sacerdotium, & in eo perficiuntur. *S. Thom. in* 4. *diſt. Bellar.*

Q. *In tota S. Scriptura non legitur, quod Chriſtus Dominus inſtituerit has ordinationes?*

R. Licet in S. Scriptura non habeantur omnes 7. gradus ordinum, ex qua clare oſtendi poſſit eos a Chriſto fuiſſe inſtitutos, nihilominus hæc inſtitutio probatur a Chriſto facta ex Apoſtolica traditione, ex hac edocti ſunt fideles, gradus omnes ordinum fuiſſe inſtitutos a Chriſto.

Q. 1. Petr. 2. *Omnes fideles vocantur ab Apoſtolo: Genus electum, Regale Sacerdotium, omnes itaque fideles ſunt Sacerdotes?*

R. Vocantur Reges & Sacerdotes non vere, & proprie, ſed myſtice, & metaphorice, quia ſcilicet ſatagunt regere ſuas paſſiones, & offerre Deo ſacrificium laudum, & virtutum.

Q. *Debetne pro minoribus Ordinibus exhiberi teſtimonium de moribus & vita?*

R. De-

R. Debet a Parocho, & a Magiſtro Scholæ, in qua ordinandus educatur. *Conc. Trid. ſeſſ.* 23.

Q. *Habetne minores Ordines aliquam annexam obligationem?*

R. Non, niſi ad recitandos certos Pſalmos ſibi ab Epiſcopo in ordinatione impoſitos. 2. Horas Canonicas tenentur abſolvere ſi Beneficium habeant, vel ſi ſint Regulares choro addicti.

Q. *Ordinatus in minoribus, ſi in excommunicatione exerceat ſolemniter actum ſui ordinis, incurritne irregularitatem?*

R. Non, quia jam uſu receptum eſt, ut actus minorum Ordinum exerceantur etiam a Laicis.

§. VIII.

De materia & forma Ordinum.

Q. QUæ *ſunt eſſentialia Sacramento Ordinis?*

R. Materia, forma, & intentio tam in ordinante, quam in ordinando.

Q. *Quid intelligit per materiam, & quid per formam?*

R. Materia eſt res ſenſibilis, quæ datur ordinato ad tangendum, denotans aliquam poteſtatem in Eccleſia. Forma ſunt verba Epiſcopi, quæ pronuntiantur in traditione hujus rei.

Q. *Quotuplex eſt materia?*

R. Duplex, *Remota*, ſcilicet res, quæ porrigitur ab Epiſcopo, & *proxima*, ſcilicet ipſa porrectio rei.

Q. *Quomodo quis debet tangere materiam?*

R. Tactu phyſico, vero, & reali; ſufficiet autem unico etiam digito tangere, quia hoc ipſo verificatur verus contactus phyſicus, imo

juxta nonnullos sufficit tangere unguibus, cum & hi sint pars manus.

Q. *Quando sunt plures materiæ remotæ, estne necesse singulas tangere?*

R. In praxi tutius est singulas tangere.

Q. *Requiriturne contactus immediatus?*

R. Certum est non requiri contactum immediatum omnium omnino materiarum necessariarum, siquidem vinum in calice existens pertinet ad materiam necessariam Presbyteratus, neque tamen vinum tangendum est. *Ratio*, cum una materia in alia continetur, non est necesse eam tangere, qui enim tangit continens, etiam contentum tangere censetur. Imo *Bonacin.* docet vere etiam tangi materiam manu obvoluta chirotheca.

Q. *Riquiriturne ut materia, & forma sint simul, ut valide conferatur Ordo?*

R. Requiritur in omnibus Sacramentis, ut pro aliquo instanti physico simul sint; sufficit etiam existentia moralis, nimirum ut adhibita materia, statim proferatur & forma, & vicissim.

§. IX.

De Intentione.

Q. QUid est intentio?

R. Est voluntas aliquid faciendi.

Q. *Quotuplex est intentio?*

R. Quadruplex: Actualis, virtualis, habitualis, & interpretativa.

Actualis est illa, per quam quis actu intendit aliquid facere.

Virtualis est, per quam ipsa intentio actualis præterita, non retractata, virtualiter permanet in aliquo, quod influit in opus.

Habitualis est facilitas quædam generata ex fre-

frequentatis intentionibus actualibus inclinans hominem ad faciliter eliciendas intentiones.

Interpretativa est, per quam quis vult aliquid non in se, sed in causa. Ut si quis sciret se in ebrietate aliquod crimen consuevisse facere, talis dum vult inebriationem, vult etiam consecutive & crimen.

Q. *Quotuplex est adhuc intentio?*

R. Duplex. *Directa*, qua aliquid in se ipso volumus. Et *Indirecta*, qua volumus causam, aut aliquid cum re connexum; vel non impedimus existentiam rei, quam possumus & debemus.

Q. *Qualis intentio requiritur ad valide ministrandum Ordinem, ac etiam alia Sacramenta?*

R. Licet est optima intentio *actualis*, sufficit tamen *virtualis*. Communis DD. Ad valide autem suscipiendum Sacramentum Ordinis, & Matrimonii licet requiratur intentio actualis, aut virtualis, non tamen ad alia Sacramenta, ad quæ suscipienda sufficit habitualis aut interpretativa. *Ratio* est, quia cum Ordo & Matrimonium faciunt immutationem totius status, afferantque gravia onera suscipienti illa, & aliunde non sint simpliciter necessaria ad salutem, ideo requiritur ad illa recipienda perfecta intentio. Cæterum autem alia Sacramenta talia suscipientibus non imponunt onera, sed si imponant ver. gr. pœnitentia, sunt tamen necessaria simpliciter ad salutem. Ex quo patet, quod major intentio requiritur in Ministro Sacramentorum, quam in suscipiente illa, plus enim semper requiritur ad agere, quam ad pati.

Q. *Quotuplex est adhuc intentio?*

R. Duplex. *Absoluta*, per quam intenditur aliquid fieri absque ulla conditione. Et *Conditionata*, per quam quis intendit aliquid facere cum conditione.

Q. *Ad*

Q. *Ad hoc ut valide administret, aut suscipiat quis Ordinem, qualem debet habere intentionem?*

R. *Absolutam*, quia Sacramentum Ordinis est signum efficax gratiæ, non esset autem tale, si adesset intentio conditionata, nam talis intentio vel esset de futuro; & sic suspenderet collationem Ordinis, quia dependeret a conditione futura; vel esset de præterito; & tunc fieret absoluta & efficax, si adesset conditio, inefficax si deesset.

Q. *Ordinans Episcopus qualem intentionem habere debeat in ordinatione?*

R. Semper debet habere absolutam, nam licet ante ordinationem protestetur se nolle ordinare eos, qui aliquo impedimento Canonico sunt innodati, format tamen aliam intentionem absolutam, per quam vult ordinare omnes præsentatos. Unde etiamsi Irregularis accedat, valide licet, illicite ordinabitur. Quod verum est; nisi constet de contraria Episcopi voluntate persistente in ea negativa intentione. *San. Laym. Sa, &c.*

In administratione omnium Sacramentorum intentio consistit in voluntate faciendi id, quod intendit Sancta Mater Romano-Catholica Ecclesia, sive illa voluntas exprimatur verbo, sive etiam per actum internum.

§. X.

De effectu Sacramenti Ordinis.

Q. QUI *sunt effectus Sacramenti Ordinis?*

R. Spiritualis potestas ministrandi in certo gradu, & jus faciendi aliquid circa Eucharistiam. 2. Character. 3. Collatio gratiæ sanctificantis. 4. Collatio certorum auxiliorum ad congrue & debite officium cujusvis ordinis exequendum.

Q. *Quid*

Q. *Quid est character?*

R. Est signum indelebile in anima impressum in receptione Sacramentorum non iterabilium scil. Baptismi, Confirmationis, & Ordinis.

Q. *Quando confertur character?*

R. In ipsa applicatione materiæ & pronunciatione formæ.

Q. *Conferturne a singulis Ordinibus character?*

R. Affir. & ab habentibus duplicem partialem materiam & formam, duplex partialis character non confertur, sed unicus in contactu materiæ dignioris, quia singuli Ordines diversa sunt Sacramenta collativa diversæ potestatis, quam charactet significat, ubi ergo diversæ potestates significandæ sunt, diversa etiam dantur signa.

Q. *Sacramentum Ordinis potestne conferre characterem non conferendo gratiam sanctificantem?*

R. Affir. quia Ordo licet non possit suscipi licite, & cum fructu, quando quis est in peccato mortali, potest tamen suscipi valide, & eo ipso character imprimitur.

Q. *Cur character potest stare cum peccato, secus gratia sanctificans?*

R. Character non habet sibi contrarium, per quod tollatur; gratia vero cum sit formalis sanctitas, & amicitia cum Deo, non potest stare cum mortali peccato sibi contrario, remoto autem obice, id est peccato, gratia tunc confertur.

Q. *Cur Sacramentum Ordinis valide susceptum causat characterem semper, non vero semper causat gratiam sanctificantem?*

R. Quia ad infusionem gratiæ in homine peccatore requiritur sufficiens peccati retractatio tanquam dispositio necessaria, quæ cum possit abesse stante valore hujus Sacramenti, po-

poterit eodem valore stante, non conferri gratia.

§. XI.

De Ministro Ordinis.

Q. *Quis est ordinarius Minister Ordinis, quantum ad valorem?*

R. Episcopus consecratus.

Q. *An Episcopus depositus, degradatus, irregularis, excommunicatus, suspensus, interdictus, hæreticus, schismaticus, & simoniacus, qui Episcopatui renuntiaverit, possit ordinare?*

R. Potest valide, sed non licite. Ordinati ab Episcopo schismatico, sunt ipso facto suspensi.

Q. *An possit alicui non Episcopo delegari collatio Ordinum?*

R. Potest a solo Summo Pontifice simplici Sacerdoti delegari collatio minorum Ordinum; imo juxta alios DD. etiam Subdiaconatus & Diaconatus.

Q. *Quis est ordinarius Minister Ordinum quoad licitam collationem?*

R. Est proprius cujusvis ordinandi Episcopus; oppositum enim est (Tiberio teste cap. 7.) & Jure Divino vetitum, & ab Ecclesia sub pœna annuæ suspensionis ab exercitio ordinandi prohibitum, ita ut sic ordinatus maneat suspensus ad sui Episcopi placitum ab executione Ordinum sic susceptorum.

Q. *Quis est proprius Episcopus, qui ordinare potest subditum?*

R. Est Episcopus loci, vel originis, vel domicilii, vel beneficii.

Q. *Quis est Episcopus loci originis?*

R. Quo ad Ordines est is, in cujus Diœcesi parentes ordinandi, dum iste natus est, domicilium habebant. Communis DD. quia ibi censetur

ſetur fictione juris natus filius, quamvis alibi natus. Alii autem judicant, quod locus originis dici poſſit, in quo quis natus eſt etiam per tranſennam.

Q. *An non etiam Locus originis ordinandi cenſeri poteſt, in quo ejus pater fuit ex ejuſdem avo illic domicilium habente natus?*

R. Affir. quia domicilium originis paternæ eſt etiam domicilium originis filii, quamvis filius natus ſit in alio domicilio, ad quod pater ſe tranſtulit. Congr. Card. A. 1599. & 1628. & 1629.

Q. *Nunquid non ſufficiet etiam locus originis avi, Ordines ſuſcipere volenti?*

R. Non, quia non ex avi, ſed ex patris origine dicitur quis originarius.

Q. *Sufficitne locus originis matris?*

R. Non, quia filius ſequitur originem patris non matris, *ex l. 3. cod. de Munic. & Orig.* Niſi forte filius eſſet illegitimus, quia talis quoad hoc, ſequitur ventrem. Cæterum ſi patria patris ignoratur, tunc etiam legitimi filii patria deſumetur a matris patria.

Q. *Quis eſt Epiſcopus domicilii?*

R. Eſt Epiſcopus Diœceſis, in qua ordinandus ſedem fixit cum animo ibi perpetuo habitandi, niſi eam deſerere cogatur, vel aliud melius occurrat.

Q. *Quot modis acquiritur domicilium quoad hunc effectum ordinationis?*

R. Tribus, 1. origine, prout dictum eſt, 2. lege, 3. habitatione.

Q. *Quomodo acquiritur domicilium lege?*

R. Per Principis privilegium, ſtatutum, adoptionem Dignitatis aut Prælaturæ in loco, per Monachatum, Clericatum, Lecturam, aut Profeſſuram publicam, per Matrimonium &c.

Q. *Ut domicilium habitatione acquiratur a pubere, quæ conditiones requiruntur?*

R. Duæ;

R. Duæ; 1. ut quis re ipsa versetur in eo loco; 2. ut versetur cum animo manendi ibi perpetuo. Censetur autem quis manere velle perpetuo, si velit illic manere, donec aliquid inde eum avocet.

Q. *Poteſtne quis duplex domicilium habitationis habere?*

R. Poteſt, quando conſtanter ita jam in hoc, jam in illo loco moratur, ut cogitet totam vitam partim in hoc, partim in illo loco tranſigere.

Q. *Quid ſi non habitet æqualiter in utroque?*

R. Ibi ejus cenſetur eſſe domicilium, ubi eſt major pars ejus bonorum juxta Gloſſam in Cap. *Cum nullus*. Imo juxta *Jord.* quando quis parat domum, & cum effectu habitet in ea, & in plurimis locis converſatur, præſumi velle conſtituere plura domicilia, & poſſe a quolibet talium domiciliorum Epiſcopo ordinari, ſecus ſi abſque habitatione poſſideret bona in diverſis locis, aut ſine bonis aliquando alicubi verſaretur. Cæterum *ex Diana* nec requiritur, ut habens duo domicilia habitet in utroque æqualiter mathematice, ſed ſufficit, ſi habitet prope æqualiter, ſive moraliter.

Q. *In dubio quomodo probatur animus perpetuo manendi in aliquo loco?*

R. I. Si per 10. annos ibi habitavit, niſi moraliter conſtet defuiſſe animum ibi perpetuo habitandi, ut ſi ibi fuit cauſa ſtudiorum, præfecturæ non perpetuæ &c. II. cum omnia alienavit, quæ in primo loco domicilii habebat, & emit in alio, ubi habitat. III. Si quis a principio ſe declaravit, quod ibi velit habitare. IV. Ex aliis circumſtantiis prudentis arbitrio.

Q. *Cujus domicilii cenſentur eſſe filii impuberes?*

R. Idem habent domicilium illi, quod pater, quia ii non poſſunt ſibi ullum eligere.

Q. *Quid de Officialibus alicujus loci?*

R. Si officia habeant perpetua, quamvis non efficiantur cives loci, acquirunt tamen domicilium pro se, & filiis. *Barb. n.* 34. Aliud est, si officia sint temporalia, hoc est, si non solent relinqui ad vitam, ita *Gob. Tract.* 8.

Q. *Si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit?*

R. Tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut profertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet. Constit. *Speculatores*.

Q. *Ubi censentur Regulares habere domicilium?*

R. Ubi Prælaturam habent, vel ubi permanenter habitant.

Q. *Quis est Episcopus beneficii?*

R. Est Episcopus Diœcesis, in qua quis habet ecclesiasticum Beneficium sibi collatum & possessum, licet collatio illius ad alium Episcopum spectat.

Q. *Sufficitne præbendæ temporalis ratione Lecturæ, vel Capellania non collativa licet perpetua, vel Pensio?*

R. Non sufficit, quia hæc non sunt Beneficia ecclesiastica.

Q. *Requiriturne Beneficium cum residentia?*

R. Non, *quia in cap.* 3. *de temp. Ord.* contradistinguitur subjectio ratione Beneficii, a subjectione ratione domicilii.

Q. *Si quis habeat patrimonium in una Diœcesi, & in alia domicilium, vel originem a quo Episcopo possit ordinari?*

R. Ab Episcopo originis, vel domicilii, quia ratione patrimonii non efficitur quis subditus.

§. XII.

§. XII.

De Dimissoriis.

Q. *Quænam sunt litteræ dimissoriæ?*
R. Illæ quibus datur alicui potestas suscipiendi Ordines ab alio Episcopo.

Q. *Quis potest dare dimissorias?*

R. Summus Pontifex omnibus christianis tanquam generalis Episcopus totius mundi. 2. Proprius Episcopus, sive sit Episcopus originis, sive domicilii, seu Beneficii. 3. Vicarii generales Episcopo specialiter id concedente, aut in remotis agente. 4. Capitulum sede vacante.

Q. *An qui a proprio Episcopo accepit dimissorias, ut à certo Episcopo nominatim expresso ordinetur, possit licite ab alio Episcopo ordinari?*

R. Aliqui negant, plures affirmant, si non adfuerit specialis causa, cur ordinandus ad hunc potius Episcopum, quam ad alium destinetur, cum veras dimissorias habere supponatur, & possit aliquando præsumi destinantis consensus, & hoc posito nec suspensionem incurreret.

Q. *An dimissoriæ re integra expirent per excommunicationem, mortem, cessationem officii concedentis?*

R. Non, quia gratiæ factæ non expirant morte concedentis.

Q. *Possuntne tamen revocari à successore?*

R. Possunt, quia omnes licentiæ a quocumque successore æqualem potestatem habente revocari possunt. Idem dicendum de dimissoriis a Capitulo datis sede vacante, quæ, sede facta plena a novo Episcopo revocari possunt.

Q. *An possit Episcopus extra suam Diœcesim saltem primam tonsuram dare suo subdito?*

R. Aliqui DD. concedunt, alii probabilius negant. Quia collatio tonsuræ spectat ad exercitium Pontificalium, quod in aliena Diœcesi prohibitum est.

§. XIII.

De Pœnis malæ Ordinationis.

Q. *Requiruntur ne ad valorem ut quis gradatim recipiat Ordines, primo inferiores, deinde superiores?*

R. Non, sed ordinatus per saltum esset valide ordinatus, requiritur tamen, ut recipiat Ordinem, quem antea non receperat. Hinc si quis susciperet Presbyteratum ante Diaconatum susceptum, valide consecraret hostiam.

Q. *Ordinatus per saltum ad majores, validene ministraret in minori, quem nondum susceperat?*

R. Affirm. quia constitutus in gradu superiori, potest ea omnia, quæ potest constitutus in gradu inferiori.

Q. *Quamnam pœnam incurrit ordinatus per saltum?*

R. Suspensionem, si susceptum Ordinem per saltum non exercuit; potest cum eo Episcopus dispensare, ut omissum suppleat, & ad altiores promoveatur. Si exercuit; debet pro dispensatione ad Pontificem recurri.

Q. *Quando, & quali pœna obnoxii sunt male conferentes & suscipientes Ordines?*

R. I. Ordinatus per simoniam, manet suspensus ab Ordinibus susceptis, & ordinans suspenditur a collatione Ordinum, a Pontificalibus & ab ingressu Ecclesiæ, Cap. *Ex multis* 14. Et cum scienter committente simoniam? dispen-

dispensat solus Pontifex, cum ignoranter incurrente? etiam Episcopus potest.

II. Qui Ordines recipit ab Episcopo quamvis proprio exercente Pontificalia in aliena diœcesi absque licentia Episcopi loci, suspenditur, donec suo Prælato visum fuerit. *Trident. Sess 6. Cap.* 2.

III. Qui ordinatur per saltum, suspenditur ab Ordine sic suscepto, donec susceperit Ordinem sic prætermissum, & accedente Episcopi dispensatione. *Trid. Sess.* 13. *Cap.* 1.

IV. Qui Ordines culpabiliter recipit ab alieno Episcopo sine licentia, sive dimissoriis, suspenditur ab Ordine, quamdiu proprio Episcopo judicabitur expedire, & si ministret? fit irregularis. Ipse vero Episcopus scienter, vel mala fide ordinans suspenditur a collatione Ordinum per annum. *Trident. Sess.* 23. *Cap.* 8.

V. Qui ordinatur furtive, suspenditur arbitrio Episcopi, data delinquenti pœnitentia pro mensura delicti, si ejusmodi ordinatus non fuit ad id prohibitus sub excommunicatione. *Cap. de eo qui furtive.*

CAPUT QUARTUM

De Minoribus Ordinibus in particulari.

§. I.

De Ostiariatu.

Q. QUid est Ostiariatus?
R. Est potestas per quam ordinatus in Ostiarium potest recipere dignos, & excludere indignos ab Ecclesia Dei, & eam custodire.

Q. *Quæ est materia Ostiariatus?*

 R. Du-

R. Duplex, una *remota*, quæ ſunt claves Eccleſiæ. Et alia *proxima*, quæ eſt traditio, & receptio talium clavium,

Forma vero ſunt verba ab Epiſcopo prolata in traditione clavium.

Q. *Si ordinando traderentur claves celarii, foretne validus Ordo?*

R. Videtur eſſe materia dubia, quamvis enim eadem clavis, quæ eſt Celarii facile poſſit pro Eccleſia adhiberi, tamen ex forma hujus Ordinis colligi videtur debere eſſe actu clavim Eccleſiæ, cum dicantur tradi curæ ordinandi, ea, *quæ his clavibus clauduntur* in præſenti.

Q. *Quid autem ſignificat, quod Oſtiarius pulſare debeat campanulam?*

R. Significat quod etiam vocandi populum ad Eccleſiam poteſtatem habeat, vel pulſando ad elevationem monendi populum ad ſpecialem attentionem, & devotionem erga myſterium.

Q. *Quinam eſt effectus ejuſdem Ordinis?*

R. 1. Gratia ordinata ad finem Sacramenti. 2. Character &c.

Q. *Quod eſt officium Oſtiarii?*

R. Eſt Templum claudere & aperire, illudque cuſtodire, admittere dignos, excludere indignos: ſunt autem indigni infideles, apoſtatæ, hæretici, excommunicati, interdicti.

Q. *Etiam laici exercent ejuſdem officia, ergo non ſunt proprie Oſtiarii?*

R. Exercent quidem, ſed non ex officio. Oſtiarii vero exercent ex proprio officio.

Q. *Qua animi diſpoſitione ordinandus in Oſtiarium?*

R. Præter ſummam animi pietatem, & religionem, confiteri debet, & ſe ad Sacram Communionem præparare.

Q. *A quo & quando inſtitutus fuit hic Ordo?*

R. A

R. A Christo Domino inchoative & denotative, cum Matth. 21. ejecit ementes, & vendentes de Templo.

Q. *Ubi præfiguratus est Ostiariatus Ordo?*

R. In veteri Testamento per electos ad Templi custodiam, ut mundos reciperent, immundosque repellerent. 2. *Reg.* 5. & *Is.* 43.

§. II.

De Lectoratu.

Q. QUid est Lectoratus?

R. Est potestas per quam ordinatus in Lectorem potest legere Lectiones & Prophetias.

Q. *A quo & quando institutus?*

R. A Christo Domino stante in medio Doctorum Luc. 4. & aperiente librum, ac illa verba Isaiæ 16. *Spiritus Domini super me &c.* legente.

Q. *Ubi præsignatus est hic Ordo?*

R. In illis verbis Isai. 58. *Clama, ne cesses, &c.*

Q. *Quæ est materia Lectoratus?*

R. *Remota* est liber, S. Lectiones continens. *Proxima* est ejusdem libri traditio & acceptio. *Forma* sunt verba Episcopi in traditione libri.

Q. *Si ordinando Lectori pro materia traderetur Breviarium, foretne valide ordinatus?*

R. Affirmat. quia in eo omnia dicta continentur.

Q. *Quod est officium seu munus Lectoris?*

R. Est legere prædictas Prophetias & Sacras Scripturas, etiam Evangelium, sed extra Missam. Item Catechumenis baptizandis Fidei rudimenta tradere. Olim panes & fructus Lector benedicebat, hodie tamen jam id abrogatum est.

§. III.

De Exorcistatu.

Q. **Q***Uid est Exorcistatus?*

R. Est potestas per quam ordinatus potest expellere diabolum, ne impediat aliquem a sumptione Eucharistiæ.

Q. *Quæ est materia hujus Ordinis?*

R. *Remota* est Exorcismorum liber. *Proxima* vero ejus ab Episcopo porrectio. *Forma* verba Episcopi ex Pontificali in traditione dicta.

Q. *A quo & quando institutus est hic Ordo?*

R. A Christo Domino inchoative & denotative, cum e Magdalena, aliisque a diabolo obsessis septem dæmonia ejecit. Matth. 16.

Q. *Quando præsignatus fuit hic Ordo?*

R. Cum David cithara psallebat, Saulumque a dæmonii vi alleviabat. Unde Exorcista idem est, ac increpans, & expellens dæmones.

Q. *Si Episcopus loco libri Exorcismorum traderet Missale, vel Pontificale Romanum, essetne quis valide ordinatus?*

R. Affirm. quia in Pontificali Romano monetur Episcopus se posse indifferenter unum ex istis libris tradere tangendum.

Q. *Poteſtne Exorcista statim, ut recipit, suum Ordinem exercere?*

R. Non, quia recipit solum potestatem Ordinis, non autem jurisdictionis, antequam ergo illum exerceat, debet approbari ab Episcopo.

Q. *Quid faciet Exorcista, cum post manuum impositionem, & lectionem omnium adjurationum, quæ in libro Exorcismorum reperiuntur, deprehendit adhuc energumenum a dæmone vexari?*

R. Ex officio ad nihil aliud tenetur, debet ergo

ergo humiliter venerari judicia occulta Dei, ſic diſponentis, poterit tamen ex charitate renovare exorciſmos, & inſuper ſupra addere jejunia & orationes, ut probet juxta Evangelium, an ſit illud genus dæmoniorum, quod non ejicitur, niſi in oratione, & jejunio.

Q. *Habetne Exorciſta poteſtatem adjurandi omnes energumenos?*

R. Habet tantum ſuper baptizatos, vel catechumenos, non autem ſuper infideles aut hebræos, ſi adhuc catechumeni non ſunt.

Q. *Qui ſunt energumeni, & qui catechumeni?*

R. *Energumeni* ſunt, qui a dæmone obſidentur, ac vexantur. *Catechumeni* vero, qui nondum baptizati in fide ac religione Chriſtiana erudiuntur, & poſtea baptizantur.

Q. *Quod eſt munus ſeu officium Exorciſtæ?*

R. Eſt manus imponere ſuper energumenos, & ſuper illos legere exorciſmos. Item parare locum communicaturis. Olim aquam, qua in Baptiſmo uſurus erat baptizans, infundebat, ſed hodie ex non uſu, abrogatum eſt.

Q. *Quotuplex eſt poteſtas exorcizandi?*

R. Duplex, 1. *Generalis*, illa jure Divino competit omnibus Chriſti fidelibus, ea poteſtate utuntur fideles aſpergendo ſe aqua benedicta cum verbis: *Ecce Crucem Domini &c.* hac poteſtate legimus expulſa eſſe dæmonia non tantum a viris, ſed etiam a ſanctis fœminis. 2. *Specialis*, quæ ſolis Miniſtris Eccleſiæ vi Ordinis ſui Exorciſtatus convenit.

Q. *Poteſtas ſpecialis quotuplex miniſterium habeat?*

R. Duplex. *Solemne*, quod exercetur cum certo apparatu in publico loco, v. g. in Eccleſia coram populo, & cum certis cæremoniis ab Eccleſia inſtitutis. Non *Solemne* fit per

ſimplicem invocationem nominis Dei, ac per formam a Chriſto inſtitutam, & ab Apoſtolis traditam ſine ulla alia ſolemnitate.

§. IV.

De Acolythatu.

Q. *Quid eſt Acolythatus?*

R. Eſt poteſtas, per quam ordinatus in Acolythum poteſt accendere lumina, & portare urceolos cum vino & aqua.

Q. *Quænam materia & forma hujus Ordinis?*

R. *Remota* ſunt urceoli vacui & candelabrum cum cereo extincto. *Proxima* eſt traditio dictorum. Forma ſunt verba ab Epiſcopo prolata, cum tradit materiam ei qui ordinatur.

Q. *A quo, & quando eſt inſtitutus hic Ordo?*

R. A Chriſto Domino inchoative & denotative, cum Joan. 8. dixit: *Ego ſum lux &c.*

Q. *Ubi fuit præſignatus hujuſmodi Ordo?*

R. In candelabris ante propitiatorium ſtantibus Exod. 25. vaſiſque Templi Salomonis. Unde *Rabanus* hunc Ordinem comparat iis, qui in Salomonis Templo & tabernaculo lucernas quotidie accendebant.

Q. *Quare traduntur urceoli vacui, & candelabrum extinctum?*

R. Ad ſignificandum ejus officium; quod eſt, accendere cereos, & implere urceolos.

Q. *Si duæ ſunt materiæ, erunt etiam duo ordines?*

R. Eſt unus ordo tantum, quia iſtæ ſunt duæ materiæ partiales, quæ conſtituunt unam totalem. Præcipua & nobilior ex his materiis ſunt urceoli, quia proximius inſerviunt Miſſæ Sacrificio.

Q. *Si Epiſcopus traderet ſolum Acolytho tangen-*

gendum candelabrum non vero urceolos, essetne valide ordinatus?

R. Est partialiter valide ordinatus, & ideo deberet solum suppleri defectus commissus tradendo in alia ordinatione urceolos.

Q. *Si Episcopus traderet solum urceolos, non candelabrum, essetne valide ordinatus?*

R. Similiter prout immediate.

Q. *In Sacerdotio si Episcopus daret potestatem absolvendi, & non consecrandi, debet hic suppleri defectus tradendo denuo utramque potestatem, quare ergo hic idem ritus non servatur in Acolytho tradendo denuo utramque potestatem?*

R. Quia in Sacerdotio illæ duæ potestates sunt ab invicem dependentes, ita ut potestas consecrandi sit fundamentum potestatis absolvendi, at vero in Acolythatu utraque hæc potestas est disparata, neque una est fundamentum alterius.

Q. *Requiriturne contactus physicus utriusque urceoli?*

R. Sufficit si unus tangatur.

Q. *Acolythus si in peccato mortali exercet suum ministerium, committitne peccatum mortale?*

R. Non. Tum quia ejus ministratio (idem dicendum de aliis minoribus Ordinibus,) non est meritorum Christi dispensatio. Tum quia valde remote ministrat in solemni Sacrificio Missæ. *Suarez* tamen & *Lugo* irreverentiam saltem venialem agnoscunt, ob naturale præceptum res sacras sacre tractandi.

CAPUT QUINTUM.

De Subdiaconatu.

§. I.

De Fide.

Q. M*Ajores Ordines suscipere volens, debetne scire ea, quæ concernunt fidem Catholicam?*

R. Omnino. Bened. XIV. Const. 42. *Et si minime &c.* §. 10. Imo & docere debet se operam dedisse instruendis fidelibus in doctrina Christiana. Idem ib. §. 6.

Q. *Quid est fides?*

R. Est donum Dei, quo homo illustratus firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & per Ecclesiam suam credenda proposuit.

Q. *Quotuplex est fides?*

R. Alia est *actualis*, quæ est assensus alicui propositioni propter testimonium Dei. Alia *habitualis*, quæ est qualitas quædam nobis in baptismate infusa, per quam possumus credere articulis fidei. Alia est *viva*, quæ est cum bonis operibus. Alia *mortua*, quæ est sine iisdem. Alia est *infusa*, quam nobis in susceptione Baptismi infundit Deus cum aliis virtutibus Theologicis. Alia *acquisita*, quam ex frequentatis actibus acquirimus.

Q. *Estne fides divina necessaria ad salutem?*

R. In adultis est necessaria necessitate tam medii, quam præcepti.

Q. *Estne aliud credere in Deum, credere Deum, & credere in Deo?*

R. *Credere Deo*, est assentiri verum esse, quod Deus dixit. *Credere Deum*, est credere Deum esse. *Credere in Deum*, est amando credere in ipsum.

Q. *Uni-*

Q. *Unicane est fides Christiana, an vero multiplex?*

R. Fides vera unica tantum est, dicente S. Paulo Eph. 5. 4. *Una Fides, unum Baptisma, unus Deus.*

Q. *Nunquid inter Christianos non reperiantur multi, qui diversam fidem & Religionem profitentur?*

R. Reperiuntur, verumtamen non omnes hi fidem veram profitentur.

Q. *Igitur non poterit quivis baptizatus in sua fide salvari?*

R. Non potest; cum enim homines isti in multis fidei articulis inter se discrepent, sequitur hos vel illos circa multas a Deo revelatas veritates errare, Deoque revelanti non credere. Nullam veram fidem ille censendus est habere, qui vel in aliquibus Deo credere reluctatur.

Q. *Nonne satis esset ad salutem consequendam convenire cum Ecclesia Catholica in articulis substantialibus, quamvis non in accidentalibus?*

R. Non. Nulli enim in fide Christiana dantur articuli hoc sensu accidentales, quasi vero liceat eos credere, vel non; cum in nulla materia possit Deo dicenti absque gravissima injuria ejus negari fides, & quidquid Deus dicat, omne sit æque verum, utpote eidem authoritati, & infallibili testimonio innixum.

Q. *Ubi igitur hæc unica fides inveniatur?*

R. Apud solos Romano-Catholicos.

Q. *Quare?*

R. Hi enim soli omnia firmiter credunt, quæ Deus credenda revelavit sive per Scripturam, sive per os Prophetarum, & Apostolorum, eorumque successorum, id est Ecclesiæ.

Q. *Habeturne aliquid de Romano-Catholica fide in Scriptura?*

R. In Epist. ad Rom. 1. 8. *Gratias ago Deo pro omnibus vobis*, (scribit S. Paulus) *quia*

fides vestra annuntiatur in universo mundo. Ergo fides Romana annuntiata est in universo mundo, seu est universalis Catholica.

Q. *Cujus fidei fuerat S. Paulus?*

R. Romano-Catholicæ, sic enim *Rom. cap.* 1. 11. alloquitur: *Desidero simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam.*

Q. *Eademne est hucusque doctrina ac fides Christiana in Ecclesia Romano-Catholica, quæ fuit in primitiva Ecclesia?*

R. Omnino eadem, quoad omnes articulos fidei, exceptis nonnullis cæremoniis.

Q. *Quomodo id probabit?*

R. Patet id ex verbo Dei scripto, & tradito per Apostolos suis Discipulis, & per successionem reliquis posteris Christianis. Omnes libri Scriptorum ac Doctorum primitivæ Ecclesiæ sunt oculatissimi, ac testes omni exceptione majores, clare enim ac evidenter continent eandem doctrinam, quam hucusque profitetur, & annuntiat in universo mundo S. Universalis Romano-Catholica Ecclesia.

Q. *Cur doctrina Lutheri, & Calvini non continet veram fidem?*

R. Quia non proponit suis hæc, & omnia illa credenda, quæ Deus revelavit, & per Ecclesiam Catholicam seu Universalem a Christo inchoatam, & per continuam successionem fidelium hucusque durantem, semper visibilem, infallibilem credenda proposuit, verum solummodo talia, quæ olim quorundam privato judicio, & arbitrio visa sunt magis arridere.

Q. *Utique Dissidentium Pastores protestantur se docere & credere, quidquid habetur in Scriptura?*

R. Sic protestari consueverunt omnes illi hæretici, qui etiam opposititissima sibi dogmata tradunt. ' itur credendum? Verbo id quidem dicunt, sed non faciunt.

Q. *Qua-*

Q. *Quare?*

R. Alios enim Sacræ Scripturæ libros rejiciunt, alios acceptant pro placito suo, eosque quomodo volunt, non secundum antiquum Ecclesiæ (cui in ordine ad id appromissa Spiritus Sancti assistentia,) sensum, sed secundum spiritum suum privatum interpretantur, hocne est Sacram Scripturam docere?

§. II.

De Motivo Fidei.

Q. *Quod motivum credendi habet fides Christiana?*

R. Verbum Dei infallibiliter nobis propositum, & explanatum, ideo enim hoc vel illud credimus, quia Deus id dixit & revelavit, qui sicut nequit falli, ita nec fallere potest.

Q. *Quid inde infert?*

R. Infero fidem Christianam debere esse firmissimam, ita ut paratus quivis sit potius vitam & sanguinem fundere, quam vel de minimo articulo dubitare.

Q. *Possuntne hujusmodi firmam habere fidem, qui extra Ecclesiam Catholicam versantur?*

R. Nullatenus, sed formidare coguntur, modo se reflectant serio, quia non nituntur verbo Dei ut infallibiliter proposito & explicato.

Q. *Quare?*

R. Ultimatum enim fidei suæ resolutorium, ob quod credunt, est privatum suum suorumque Pastorum hos vel illos libros veluti Canonicos acceptantium, eosque sic vel ita interpretantium fallibile judicium.

Q. *Quid colligitur inde?*

R. Quod ille, qui judicium suum universali Ecclesiæ Catholicæ submittere renuit, tandem debet pro ultima fidei & salutis suæ regula

gula eorum Ministrorum seu Pastorum Acatholicorum, qui nunquam inter se convenire valent, sed mordicitus sese oppugnant, arbitrium admittere.

§. III.

De Sacra Scriptura.

Q. QUid est Sacra Scriptura?

R. Est verbum Dei, quod Prophetæ & Apostoli nobis in scripto reliquerunt.

Q. *Quotuplex est Scriptura?*

R. Duplex, Novi & Veteris Testamenti, contenta in libris 72. ex quibus Veteris Testamenti sunt libri 45. novi vero Testamenti sunt libri 27. qui omnes pro Divinis sunt judicati a Triden. sess. 4. rejectis aliis tanquam apocryphis.

Q. *Quid nomine Canonis Ecclesiastici intelligitur?*

R. Cathalogus Ecclesiæ, quem adhibuit S. Synodus in Conc. Trid. Sess. 4.

Q. *Quotupliciter Canon Ecclesiæ sumitur?*

R. Dupliciter, 1. Pro Regula, & sic Canon in Missa sumitur & alibi. 2. Pro Cathalogo, & sic liber Canonizatorum, aut librorum S. Scripturæ, Canon Ecclesiæ dicitur.

Q. *Quinam sunt hi libri, qui relati sunt in Canonem tanquam divini?*

R. Hic digesti, ac divisi libri veteris Testamenti: *Legales* V. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium.

Historici XIX. Josue, Judicum, Ruth, Regum IV. Paralipomenon II. Esdræ IV. Tobias, Judith, Ester, Job, Machabæorum II.

Sapientiales VI. Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus.

Prophetici XVII. Isaias, Jeremias, Baruch,

Eze-

Ezechiel, Daniel, Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Q. *Qui libri Novi Testamenti?*

R. Eodem modo divisi: *Legales* IV. Evangelium S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, S. Joannis.

Historici Acta Apostolorum congesta a S. Luca.

Sapientiales XXI. Epistolæ S. Pauli XIV. Ad Rom. Ad Cor. II. Ad Gal. Ad Ephes. Ad Philip. Ad Colos. Ad Thessal. II. Ad Tim. II. Ad Tit. Ad Phile. Ad Heb. Epistolæ S. Joan. III. S. Petri II. S. Jacobi I. S. Judæ I.

Prophetici Apocalypsis S. Joan. Apost. Hi omnes libri ab Ecclesia Catholica habentur tanquam Canonici, & a Deo inspirati.

Q. *Quotuplex est sensus Sacræ Scripturæ?*

R. Quadruplex scilicet: Literalis, Allegoricus, Moralis, & Anagogicus.

Q. *Quid intelligit per sensum, seu per significationem literalem?*

R. *Literalis* est illa, quam verba immediate important. *Moralis* seu *Tropologica* refertur ad formationem vitæ & morum. *Allegorica* exprimit aliquod Mysterium sub figura, vel metaphora rei significatæ per verba. *Anagogica* refertur ad ea, quæ sunt æternæ felicitatis, quæ omnes his versibus explicantur.

Litera gesta docet; quid credas, *Allegoria*; *Moralis* quid agas; quo tendas, *Anagogia*.

Q. *Estne clara S. Scriptura?*

R. Quamvis in multis locis satis dilucide proponat credenda, in plurimis tamen multum difficilis & obscura est, adeoque indiget explicatione.

Q. *Quomodo igitur Scriptura lucerna est?*

R. Scriptura prout recte & legitime per Ecclesiam, & non per proprium privatum judicium explanatur, est lucerna.

Q. *Dissidentes dicunt unum textum minus clarum explicandum esse per clariorem?*

R. Non valet id; restabit enim semper controversia, quinam textus dicendi sint clariores, cum quivis Scripturam, quam pro se citat, arbitretur esse clarissimam.

Q. *Det exemplum?*

R. *Ariani* existimabant textum hunc: *Pater major me est*, (quo errorem suum illiniunt) esse clarissimum.

Anabaptistæ censent Scripturam: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic salvus erit*, (quam contra Baptismum parvulorum detorquent) esse omnino perspicuam.

Calviniani arbitrantur textu illo: *Caro non prodest quidquam* (quem adversus realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam adducere consueverunt) nihil dari clarius.

Q. *Quare Deus non totam S. Scripturam voluerat clare & evidenter exarari?*

R. Statuerat enim rectum in sua Ecclesia ordinem observandum esse, ac proinde ut fideles in vero Scripturæ sensu indagando ad eos recurrerent, quibus Spiritum S. in ordine ad alios docendos & regendos appromiserat.

Secundo. Quoniam præviderat hujusmodi fore homines, qui etiam clarissimos textus perverse interpretaturi essent, statuit multa potius obscure conscribenda esse, ut vel exinde colligerent, necessarium sibi esse ad Rectores Ecclesiæ, quibus Spiritum S. ad erudiendum alios concesserat, recurrere.

Tertio. Ut veri Christiani in humilitate obedirent Rectorum Ecclesiæ definitionibus, sicut præceperat, *si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Matth. 18.

Q. *Licetne omnibus Biblia legere?*

R. Latine licet omnibus.

Q. *Et cur in alio idiomate legere non liceat?*

R. E-

R. Editio Bibliorum lingua vernacula ver. gr. Polonica, non eſt approbata & examinata a Sede Apoſtolica, an concordat cum originali ſuo, ex altera parte plures idiotæ legentes Cantica Canticorum, & non intelligentes myſteria in verbis contenta, ſcandalizarentur, aut ad laſcivos ſermones adhiberent Verbum Dei; ſed & vernacula lingua conſcripta Biblia permittuntur legi illis, quos capaces judicaverit Ordinarius Loci.

Q. *Chriſtus monet* Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas &c. &c.?*

R. Evidens eſt Chriſtum Dominum citato capite Phariſæos & legis peritos (poſtquam illis exprobraſſet incredulitatem etiam poſt tot a ſe patrata miracula) monuiſſe, ut vaticinia Prophetarum evolverent, ibique expreſſa de ſe teſtimonia adverterent: hocne eſt præceptum dare legendi Sacram Scripturam omnibus Chriſtianis? Quid igitur facient, qui legere neſciunt.

Q. *Quæ eſt Vulgata editio Scripturæ, & Divi Hieronymi, ſeu unde dicuntur*: Biblia Vulgatæ editionis?

R. *Vulgata editio* fuit ante tempora D. Hieron. edita latine ab incognito Authore, quæ *Itala* dicebatur, a D. Hieron. *Communis*: a Gregorio, *Vetus*: ab Oroſio *Vulgata*, quia illam vulgariter admittebat S. Romana Eccleſia; Cum aliæ verſiones fuerunt ab Hæreticis factæ in Latinum ſuæ hæreſis parte.

S. Hieronymus bis vetus Teſtamentum in latinum tranſtulit, ut ſcribit *Bellar.* de Verbo Dei, *Primo* ex verſione 72. Interpretum; *Secundo* ex hebræo textu. Novum vero Teſtamentum de græco in latinum non convertit, ſed tantum multos errores, qui in ipſo erant emendavit. Quæ ejus verſio incepit vocari nova editio, ad differentiam antiquæ.

Hoc

Hoc facto, cœpit esse controversia in Ecclesia, quænam ex his duabus editionibus latinis esset præstantior? S. August. magnificavit antiquam *Italam*, S. Isidorus novam D. Hieron., quæ controversia per longum tempus duravit in Ecclesia, nihilominus utraque ad arbitrium Episcoporum legi solebat fidelibus.

Post tempora S. Gregorii facta est tertia editio latina, quæ neque antiqua, neque nova dicebatur, sed *Vulgata & Communis*, & hanc, oblatrantibus hæreticis, S. Trid. Synodus sess. 4. pro authentica in Ecclesia haberi decrevit, quæ adusque vocatur *Vulgata editio*, seu Biblia vulgatæ editionis.

§. IV.

De Verbo Dei non scripto.

Q. *Quotuplex est verbum Dei?*

R. Duplex, aliud *scriptum*, aliud *non scriptum*, sed ore Apostolorum, suorumque successorum nobis propositum, quod aliter vocatur Traditio.

Q. *Quid est Traditio?*

R. Est doctrina ab uno alteri communicata in posteros, & sic sumpta traditio convenit tam divinæ quam humanæ, tam civili quam profanæ, & theologicæ traditioni. Hic sermo erit de theologica traditione.

Q. *Quid est traditio theologica?*

R. Est fidei vel morum doctrina non scripta, sed viva voce quasi de aure in aurem successive tradita, & talis ver. gr. doctrina est, quod B. Virgo etiam post partum sit virgo, vel quod parvuli ante usum rationis sint baptizandi &c. de his enim in Sacra Scriptura non habemus doctrinam expressam, sed ex sola traditione.

Q. *Quo-*

Q. *Quotuplex est traditio sacra sive theologica?*

R. Multiplex. Ratione Authoris est Triplex. 1. *Divina* traditio est illa doctrina, quæ est a Deo vel Christo tradita & nobis communicata, & talis est de materia & forma Sacramentorum. 2. *Apostolica* ab Apostolis tradita fidelibus, & ab his successive aliis communicata. 3. *Ecclesiastica* & est consuetudo quædam aut ritus antiqui in Ecclesia introducti, qui postea vim legis obtinuerunt, & tale est jejunium sabbatinum, recitatio Breviarii.

Q. *Ratione materiæ quotuplex est traditio?*

R. Duplex. *Doctrinalis*, quæ ad fidem & dogmata credenda spectat, ver. gr. quod sint quatuor Evangelia. *Moralis*, quæ ad mores pertinet, & ad actiones faciendas, ver. gr. quod signum crucis formandum sit in fronte. Alia traditio est *perpetua*, quæ perpetuo usque ad finem mundi observari debet. Alia *temporalis*, quæ solum ad tempus. Alia *universalis*, quæ toti Ecclesiæ servanda traditur, alia *particularis*, quæ particulari alicui Ecclesiæ in Diœcesi, Regno, aut Provincia traditur esse observanda. Alia *necessaria*, quæ traditur in forma præcepti, alia *libera*, quæ traditur in forma consilii, ut est traditio de aspersione aquæ benedictæ.

Q. *An admittenda sit traditio divina?*

R. Affirmative, quia plura spectantia ad fidem non sunt expressa in Scriptura. Unde in his sola regimur traditione divina. Tum quia alia via neque ipsi Diffidentes possunt cognoscere, quinam libri Scripturæ sint Canonici, & qui contineant Verbum Dei, nisi ex antiqua traditione.

Q. *Qualem authoritatem habeat traditio divina?*

R. Tantam habet authoritatem, quantam

habet

habet ipsa Sacra Scriptura, quia æqualis infallibilitatis est Verbum Dei non scriptum seu traditum, sicut Scriptura Sacra, cum Scriptura non addat majorem fidelitatem Verbo Divino, nisi quoad nos. Porro traditio divina est Verbum Dei non scriptum.

Q. *An traditiones Ecclesia mutare, aut abrogare potest?*

R. 1. Traditiones *divinæ*, aut a Christo profectæ, non possunt mutari, aut abrogari, quia inferior non habet potestatem in legem superioris. Porro Ecclesia est inferior ipso Deo & Christo Domino.

R. 2. *Apostolicas* vero & *Ecclesiasticas* pro diversitate temporis potest mutare, & abrogare, quia has mutando non excedit potestatis suæ limites.

Cæterum Ecclesia sicut propter assistentiam Spiritus S. est optimus interpres mentis Divinæ, ita traditiones Divinas in dubiis explicare potest, utpote post Deum supremus controversiarum fidei judex.

Q. *Forte sufficeret ad salutem illa solum credere, quæ expresse habentur in Scriptura?*

R. Nequaquam: Sic enim Paulus diserte nomine Dei præcipit: *Itaque fratres state, & tenete traditiones* &c. 1. Thes. 2. v. 15. Et Joan. 21. 24. *Multa alia esse, quæ non sunt scripta, &c.*

Q. *Quæ sunt traditiones, quas credunt, & observant Catholici?*

R. 1. Omnia quæ continentur in Scriptura Sacra esse revera a Prophetis & Apostolis, atque cum assistentia Spiritus S. conscripta. 2. Symbolum Apostolorum in 12. articulos fidei dispositum. 3. Præclarus ordo circa Communionem Sacram, de quo S. Paulus 1. Cor. 11. 34. *Cætera autem cum venero, disponam*. 4. Pulcherrima circa ordinationem Presbyterorum dispositio, de qua Paulus *ad Titum* 1. 5. *Hujus*

jus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. 5. Varia Apostolorum decreta, Ordinationes, Præcepta circa Sacrificium Missæ, ritus septem Sacramentorum, jejunia, dies festos, & alia, de quibus legitur in primo Concilio Nicæno, habeturque in Actibus Apostolorum, c. 16. 14. de Paulo & Timotheo: *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus.*

Q. *Obligamurne credere non solum illa, quæ expresse habentur in Scriptura, sed etiam quæ per traditionem Apostolorum?*

R. Omnino, quia Apostoli non minus veritatem prædicarunt ore, quam scripserunt calamo; & Deus æque fide dignus in iis, quæ locutus est per os Apostolorum, ac etiam quæ per calamum eorum.

Q. *Quid respondendum illis, qui arbitrantur etiam cujusvis privati Scriptoris narrata apud nos Catholicos pro traditione Ecclesiæ haberi?*

R. Tales nolunt intelligere, quid revera nomine traditionum intelligatur, & ideo, *quæ ignorant, blasphæmant.* Jud. 10.

Q. *Creduntne ipsi dissidentes aliqua, quæ non habentur in Sacra Scriptura, sed solummodo ab Ecclesia Catholica tradita sunt?*

R. Credunt dari quatuor Evangelia, & 14. S. Pauli Epistolas, easque verum Dei Verbum esse: infantes esse baptizandos, diem Dominicum non vero eum cum Judæis diem Sabbati esse celebrandum &c.

Q. *Cur igitur reliquas quoque traditiones admittere reluctantur?*

R. Contumacia, sensusque proprius in causa est.

Q. *Christus increpat Judæos, quod traditiones observarent?* Matth. 7. 8.

R. 1. Christus instituendo novam Ecclesiam, novas quoque instituit traditiones, ac proinde antiquas Judæorum abrogavit. 2. Increpabat Judæos, quod propter traditiones suas præcepta Dei transgrederentur, ac traditiones Apostolorum & Romano-Catholicæ Ecclesiæ nequaquam præceptis Dei adversantur.

Q. *Possuntne articuli Catholici, de quibus oppositi controversantur per Sacram Scripturam defendi?*

R. Omnino possunt, innumeros enim textus, etiam clarissimos pro veritate suæ fidei citant Catholici.

Traditiones nihilominus præterea admittendæ sunt, quoniam idipsum etiam in Scriptura præcipitur, ut immediate dictum. 2. Ut ubi difficilior est Scripturæ locus, explanetur per antiquissimam Ecclesiæ traditionem, cui proculdubio etiam diffidentes securius confidere poterint, quam nuper exortis suorum Pastorum interpretationibus.

§. V.

De Ecclesia.

Q. QUid *est Ecclesia in communi?*

R. Est cætus convocatorum sive fidelium. Nam Ecclesia est nomen græcum idem significans ac latine convocatio.

Q. *Quotuplex fuit Ecclesia?*

R. Juxta triplicem statum: Legis naturæ, scriptæ & gratiæ est Triplex: in omni enim statu Deus habuit suos fideles convocatos per gratiam in cognitionem sui Creatoris.

Q. *Quomodo & quamdiu durarunt hi status?*

R. 1. Serviebat Deo per præcepta legis naturalis ab Adam usque ad Moysen per spatium circiter 2000. annorum.

2. Le-

2. Legis scriptæ per præcepta legis Mosaicæ usque ad Christum per spatium 2000. annorum.

3. A Christo conditus, Ecclesiam in statu perfectiori fundando, a quo cœpit illa congregatio, quæ simpliciter Ecclesia vocatur.

Q. *Ecclesia quo differt a Sinagoga?*

R. I. Synagoga habuit umbram, & figuram; Ecclesia ipsam lucem, & veritatem. II. Ecclesia hoc habet & possidet, quod Synagoga tantum expectabat.

Q. *Quotuplex est Ecclesia Christi sive Legis gratiæ?*

R. Triplex. *Triumphans*, & est cœtus Beatorum in cælis. *Patiens*, & est cœtus fidelium Justorum defunctorum in Purgatorio degentium, & aliter hæc vocatur, *Purgans*. Et *militans*, estque fidelium in terris sub Christi vexillo ac obedientia ejus Vicarii militantium.

Q. *Quotuplex est Ecclesia Christi militans?*

R. Duplex: *Universalis*, quæ complectitur omnes omnino fideles totius mundi. Et *particularis*, quæ complectitur fideles unius duntaxat Regni & Provinciæ. Sic dicitur Ecclesia orientalis, Gallicana &c.

Q. *Quid fecit Christus ad fundandam hanc Ecclesiam in meliori statu?*

R. 1. Præcepta Judicialia veteris Legis abrogavit. 2. Similiter præcepta ceremonialia tanquam figuras tantum vitæ & passionis suæ. 3. Præcepta fidei aliquomodo auxit, quatenus plura distincte & expresse credi voluit, quæ a Judæis implicite & obscure credebantur; uti Mysterium Ss. Trinitatis, Incarnationis &c. Præcepta etiam moralia Decalogi explicavit, & perfecit additione consiliorum. 4. Præcepta Sacramentalia de novo instituit.

Q. *Quæ ergo inter tot sectas sit vera Christi Ecclesia?*

R. Sola Romano-Catholica. Hæc enim sola habet evidentia ſigna veræ Chriſti Eccleſiæ, ſcilicet quod ſit una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.

Q. *Quid ſunt notæ, ſeu ſigna veræ Eccleſiæ?*

R. Sunt quidam characteres, ſeu proprietates Morales, ex quibus evidentia morali clare patet aliquem cœtum credentem in Chriſtum veram conſtituere Eccleſiam.

Q. *Quæ ſunt Privilegia, ſeu proprietates veræ Chriſti Eccleſiæ?*

R. Viſibilitas, & infallibilitas. Vera Chriſti Eccleſia omnino ſemper fuit viſibilis a tempore Apoſtolorum, nulla autem modernorum diſſidentium ſecta fuerat viſibilis ad an. 1517. quo anno initia ſua ſumpſerant.

Q. *Quomodo Eccleſia eſt una?*

R. Eſt una unitate fidei & doctrinæ.

Q. *Quare dicitur Sancta, cum multi in ea inveniantur improbi?*

R. Quia in ea non niſi ſancta docentur quo ad fidem & mores. Item in ea ſunt ſanctificationis media: uti Baptiſmus & alia Sacramenta, & quia extra eam non poteſt ſanctitas reperiri nec ſalus, in ea autem multi ſunt Sancti.

Q. *Cur dicitur Catholica?*

R. Quia extendit ſe ad omnes mundi partes, & ad omne tempus a temporibus Chriſti, proindeque eſt univerſalis.

Q. *Cur autem vocatur Apoſtolica?*

R. Quia ab Apoſtolis fundata & doctrina & ſanguine.

Q. *Cur dicitur Romana?*

R. Quia Eccleſia Romana eſt mater omnium Eccleſiarum, cui Chriſtus primatum dedit.

Q. *Soletne Eccleſia Romano-Catholica aliquid contra Scripturam docere?*

R. Ne-

R. Nequaquam, hoc quorumdam Pastorum diffidentium figmentum est. Solet quidem Ecclesia aliqua docere, quæ non explicite in Scriptura apparent, (cum sui muneris sit explicare, quænam implicite in S. Literis reperiantur) sed hoc non est contra Scripturam agere.

Q. *Danturne præterea adhuc alia veræ Ecclesiæ signa apud Romano-Catholicos?*

R. Dantur, uti Congregatio fidelium ex omnibus gentibus, & ex omni populo, sicut Christus prædixerat Matth. 16. *Conversio Gentium*, hæc enim Ecclesia mittit Evangelii præcones ad ultimos fines terræ. SS. *Martyrum multitudo*, qui a temporibus Christi ad præsentem usque diem inter barbaros vitam & sanguinem pro Christi nomine in Romano-Catholica fide liberaliter profundunt. In hac sola Ecclesia innumera fiunt signa & miracula, quibus hujus fidei veritas continuo comprobatur, sicut Christus pollicitus est Marci 16. 17.

Q. *Sed dantur hodie homines tales, qui miracula, quæ non vident, fieri negant, quæ vero vident, infascinationi Dæmonis adscribunt?*

R. Idem olim contigerat ipsius Christi Domini miraculis a Pharisæis, qui ideo dicuntur contra Spiritum S. peccasse.

Q. *Homo baptizatus, qui non ex ignorantia quidem invincibili, sed ex pervicacia Ecclesiæ Romano-Catholicæ recalcitrat, potestne salvari?*

R. Non. 1. S. Paulus diserte monet Rom. 13. 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, & Christus ait Matth. 18. 17. *Si non audierit Ecclesiam &c.* 2. Quia talis utpote extra Ecclesiam constitutus non est de Corpore Christi: porro *qui non est mecum, contra me est*, inquit Dominus Matth. 12. 30.

Q. *Revelatne Deus per se immediate cuicunque homini Christiano, quæ ab omnibus credenda sunt?*

R. Non, sed illis tantum, quibus aut commiserat scribere verbum suum, aut regendum tradidit in spiritualibus gregem suum, nimirum Apostolis, eorumque successoribus legitimis, seu Ecclesiæ; aliis autem proponit Deus credenda per Ecclesiam.

Q. *Quod est hujus dicti fundamentum?*

R. I. Ex Scriptura Sacra, ubi hac in parte Apostolis & Rectoribus Ecclesiæ Spiritus S. appromittitur, Luc. 8. 10. Item *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 20. 28. Item Joan. 14. 17.

II. Experientia. Ideo enim tot, tamque dissidentes in rebus fidei dantur opiniones, quod homines reperiantur hujusmodi, qui ita credere, sacrasque litteras intelligere præsumunt, sicut spiritui suo privato videtur.

Q. *Quid per Ecclesiam (quæ nomine Dei infallibiliter nobis proponit, quæ credenda sunt) intelligitur?*

R. Caput, & ejus præcipua membra, videlicet Romanus Pontifex, & Concilium generale Episcoporum.

Q. *Poteſtne Ecclesia Christi, dum aliquid proponit credendum, errare?*

R. Hoc æque impossibile est, ac impossibile Christum in promissis suis falli, aut fallere.

Q. *Quare?*

R. Promiserat enim Joan. 14. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia &c.* Et Matth. 16. 18. *Tu es Petrus & super hanc Petram &c.* Ideo S. Paulus Ecclesiam appellat: *Columnam & firmamentum veritatis*. 1. Timot. 3. 15.

Q. *Est-*

Q. *Eſtne æque nunc credendum Eccleſiæ, dum aliquid definit, ac tempore Apoſtolorum?*

R. Omnino. Eccleſiæ enim pro ſemper Spiritus Sancti aſſiſtentia appromiſſa eſt, ut dictum eſt. Certe æque nunc hæc aſſiſtentia neceſſaria eſt, ac tempore Apoſtolorum, cum etiam modo oves paſcendæ, fratres confirmandi, errores refutandi ſint.

Q. *Quare credendum, quidquid Eccleſia proponit?*

R. Ideo, quoniam in hunc finem decreverat Chriſtus Joan. 14. relinquere Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis Eccleſiæ Rectoribus, qui illis continuo uſque ad conſummationem ſæculi ſuggeret omnia.

R. 2. Quia ſevere præcepit Chriſtus audire Eccleſiam Matth. 18. 17. *Si non audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Q. *Utique nonnulli'e diſſidentibus docent ſufficere ad ſalutem, modo Symbolum Apoſtolorum credamus?*

R. Hi graviter errant, ut colligitur ex immediate dictis. Certe ſi id ſufficeret, omnes ſectæ, etiam in primitiva Eccleſia anathematizatæ ſalutem conſequi potuiſſent, cum Symbolum Apoſtolorum admiſerint.

Q. *Quinam ſunt intra veram Eccleſiam?*

R. Omnes Fideles non tantum prædeſtinati, ſed etiam reprobi. Non tantum perfecti, ſed etiam imperfecti, etiam peccatores tam occulti quam manifeſti ſunt membra Eccleſiæ Chriſti.

2. Etiam infideles occulti, qui carent fide interna, ſi fidem Criſtianam exterius profitentur, & in communione Sacramentorum veris fidelibus commiſcentur cum exteriori ſubjectione Paſtoribus Eccleſiæ, ſunt de Eccleſia tanquam

quam ejus membra, licet mortua & arida. Commun. DD.

Q. *Qui sunt extra veram Ecclesiam Christi?*

R. Infideles, non baptizati, catechumeni, hæretici publici, schismatici, excommunicati non tollerati, sive nominatim denuntiati. Commun. DD. apud Bellarm.

Q. *Utique etiam illi, qui duobus, & amplius sæculis ab Ecclesia Romano-Catholica dissentiunt, cœtus cogere, eosque Ecclesiam appellare consueverunt?*

R. Cœtus hujusmodi non esse Ecclesiam illam, cui Christus infallibilem Spiritus S. assistentiam appromiserat, quamque Matth. 18. audiendam esse præceperat.

Q. *Quare?*

R. Cum enim Christus promiserit Ecclesiam suam continuo a temporibus Apostolorum usque ad consummationem sæculi a Spiritu S. dirigendam, cum voluerit esse continuo audiendam, cum statuerit continuo conservandam, & ne quidem a portis inferi debellandam, manifestum est nomine Ecclesiæ Christi non posse, alium cœtum intelligi, præterquam illum, qui a temporibus Apostolorum continua Episcoporum aliorumque fidelium successione hucusque sine interruptione perseverat; qualem solam Romano-Catholicam Ecclesiam esse quivis sanam rationem habens fateri cogitur.

§. VI.

De Capite Ecclesiæ.

Q. *Quod est Caput Ecclesiæ Christi?*

R. Supremum invisibile Caput est ipse Christus.

Q. *Habetne Ecclesia Christi Caput in terris vi-*

visibile, cui omnium fidelium regimen & Spiritus S. assistentia a Christo appromissa sit?

R. Omnino, Christus enim ipse Petro, ejusque successoribus authoritatem hanc concesserat.

Q. *Potestne id ipsum Scriptura comprobari?*

R. Plurimis textibus adeo claris, ut opposita explicatione eludi nequeant. Ubi Marc. 16. 18. & seq. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. Et quodcumque ligaveris super terram, &c.* Et Joan. 21. 15. & seq. ter repetitis vicibus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas &c.* Luc. 22. 23. *Ego autem rogavi pro te &c.* Porro hanc Capitis potestatem præfatis verbis concessam exercuit Petrus tum in electione Mathiæ *Act.* 1. tum in electione primorum Diaconorum *Act.* 6. tum in definitione controversiæ de Legalibus. *Act.* 15. quatenus cæteros Apostolos sua authoritate convocavit, & in Concilio primus sententiam dixit, &c.

Q. *Sed pastores dissidentium citatas Scripturas omnino aliter interpretantur, asserentes nullum hic primatum concessum fuisse Petro?*

R. Ante omnia hic relegendum est, quod scribit ipse S. Petrus 2. *Epist.* 3. 16. Et deinde advertendum, nullum dari Scripturæ textum etiam circa prima fidei Christianæ mysteria, quem homo obstinatus, & astutus non possit pro libitu explicare, & diversimode interpretari, nec ullum argumentum etiam validissimum, contra quod tenuis aliqua responsio haberi nequeat; sed ideone hujusmodi asserto secura conscientia acquiescendum?

Q. *Utique a Christo Domino oves pascendæ commissæ sunt & aliis Apostolis?*

R. Verum est, sed principaliter Petro, cum nulli Apostolorum sic in particulari potestas in omnes Christi fideles tradita sit, prout Petro.

Et quamvis etiam reliquis Apostolis concessum ligare, & solvere a peccatis, soli tamen Petro collatæ sunt claves, per quod universalissima potestas denotatur; sic dictante tam recta ratione, quam Scriptura Isaiæ 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus.*

Q. *Quare S. Paulus reprehenderat S. Petrum, Gal. 2. ratione dissimulatæ ad tempus circumcisionis, quod utique non fecisset, si Petrus superior ejus fuisset?*

R. Nihil est novi superiorem interdum a suo inferiore sive ex confidentia, sive zelo, sive speciali Dei mandato commoneri, modo id fiat prudenter, & circumspecte. Sic monuerat & quidem zelose Getro Moysen *Exod.* 18. Juvenis Samuel summum Sacerdotem Heli, Nathan Davidem &c. Sic faciunt & nunc Concionatores, Confessarii Regum, Episcoporum, ipsiusque Summi Pontificis.

Q. *Quid de primatu Papæ Sancti Patres, qui in primitiva Ecclesia floruerant, scripserunt?*

R. Omnes unanimi voce testantur Romanum Pontificem esse universæ Ecclesiæ Christi visibile Caput, & Rectorem, supremumque in controversiis fidei Judicem.

Q. *Quid si diceretur: hos omnes homines fuisse?*

R. Etiam Apostoli fuerunt homines, igitur nec illis credendum? Homines quidem fuerant tam Apostoli, quam eorum legitimi Successores, sed sicut illi, ita isti speciali in docendo Spiritus S. assistentia præditi, cum Christus Ecclesiæ suæ appromiserit: *Dabo vobis Spiritum veritatis, &c.* Joan. 14.

R. 2. Saltem quivis diffidentium fateri cogitur, ex innumeris testimoniis SS. Patrum evidenter colligi hanc semper fuisse etiam in primitiva Ecclesia Scripturæ interpretationem, quod scilicet Romanus Episcopus sit universæ Ec-

Ecclesiæ Superior, & Judex controversiarum, cui interpretationi procul dubio securiori conscientia inniti potuerit, quam recenter inventæ.

Q. *Estne ad salutem necessaria communio cum Sede Apostolica?*

R. Omnino. Ratio patet ex verbis Christi dicentis: *Qui non est mecum, contra me est.*

Q. *Quando Papa censeatur ex Cathedra loqui, & definire?*

R. Cum definit tanquam supremus totius Ecclesiæ Pastor & Doctor, docens universam Ecclesiam, ei proponens quid credendum, quidve sequendum sit, intendens omnes obligare ad observantiam, ut credant, & operentur juxta suam definitionem. *Mattheu. pag.* 414.

Q. *An Papa loquens ex Cathedra errare possit?*

R. Non; quia sic loquens in dogmatibus fidei repræsentat personam Christi, cujus in hac militanti Ecclesia vices gerit, adeoque singulari providentia habet Spiritus S. specialem assistentiam. Commun. DD.

§. VII.

De Infidelitate & Hæresi.

Q. QUod vitium opponitur Fidei?

R. Infidelitas, quæ est error intellectus pertinax in eo, qui nondum Fidem suscepit.

Q. *Quotuplex est infidelitas Fidei opposita?*

R. Duplex. *Positiva*, quæ reperitur in illis, qui fidei notitiam habent, sed illam contemnunt, vel ei contradicunt, uti est in Judæis, Turcis, & Hæreticis. Et *Negativa*, quæ datur in illis, qui nihil audierunt de Fide, & talis fuit in gentibus. Hæc infidelitas per se non est peccatum, qui enim nunquam de Fidei

doctrina audivit, non potest ejus notitiam aliqua ratione acquirere juxta illud: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Rom. 10.

Q. *Infidelitas positiva estne peccatum?*

R. Est ex genere suo gravissimum ut docetur Jo. 15. *Si eis non dixissem peccatum non haberent.*

Q. *Quotuplex est infidelitas positiva?*

R. Triplex. *Paganismus* tunc est, quando nullius Mysterii revelati fides habetur. *Judaismus* est, quando creditur veteri testamento, non tamen Novo. *Hæresis* est, quando alicui veritati ex novo, vel ex veteri testamento fides negatur. Si autem fides suscepta in totum abjiciatur, vocabitur apostasia.

Q. *Quotuplex est hæresis?*

R. Duplex. *Formalis*, quæ est error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tuetur contra aliquam Fidei Catholicæ veritatem. Et *Materialis*, quæ est error contra Fidem Catholicam non ex pertinacia voluntatis, sed ex simplicitate, vel defectu informationis debitæ, aut sinistra instructione proveniens. Et hæc præsertim hæresis reperitur in vulgo hæreticorum, ubi Catholici non tolerantur.

Q. *Quæ requiruntur ad hæresim formalem necessaria?*

R. Error in intellectu, & pertinacia in voluntate.

Q. *Hæresis formalis estne peccatum?*

R. Est de genere suo grave, & quidem gravius, quam Paganismus juxta illud 2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ &c.*

Q. *An hæresis materialis inducit pœnas juris pro foro conscientiæ & coram Deo?*

R. Non, quia pœnæ in hæreticos latæ non incurruntur, nisi propter culpam conjunctam cum pertinacia, sed in hæresi materiali nulla est pertinacia. Ergo. Tum quia ignorantia invincibilis excusat a peccato.

Q. *Quæ*

Q. *Quæ sunt pœnæ spirituales contra hæresim formalem statutæ?*

R. Excommunicatio major. 2. Inhabilitas ad dignitates, officia, & beneficia Ecclesiastica. 3. Privatio dignitatum, officiorum, & beneficiorum prius obtentorum. 4. Irregularitas. 5. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. 6. Non gaudet immunitate Ecclesiæ propter hæresim capiendus.

Q. *An pœnæ inflictæ extendunt se ad alias personas?*

R. Affirm. nempe *in credentes*, qui assentiuntur hæreticorum erroribus, quamvis nesciant dictos errores in particulari. *In receptores*, qui hæreticum causa hæresis fugientem recipiunt. *In defensores*, qui hæreticum laudibus, auxiliis, ope, quamvis mortuum defendunt. *In fautores*, qui cum possunt hæreticum punire, vel capere, id facere nolunt, si eis id ex officio incumbat, & hoc agant, non ut faveant hæretico, tanquam amico, sed ut hæretico.

Q. *Quæ sunt pœnæ temporales in hæreticos?*

R. I. Infamia. II. Confiscatio bonorum. III. Amissio patriæ potestatis in liberos. IV. Exemptio subditorum ab omni debito obedientiæ. V. Intestabilitas tam *activa*, vi cujus testamentum condere nequeunt hæretici; quam *passiva*, vi cujus ex testamento legato nihil possunt accipere.

Q. *Quotuplices dantur hæretici?*

R. Alii dantur *Interni*, qui errorem suum cum pertinacia conjunctum sola mente retinent; Et hi nullis pœnis subjacent, quia Ecclesia de internis non judicat. Alii *Externi*, qui illum errorem quem mente tenent, exterius manifestant verbo aut facto.

§. VIII.

De Schismate, & Apostasia.

Q. QUid est schisma?

R. Est divisio & pertinax segregatio hominis baptizati ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, prout hæc est corpus mysticum ex universis fidelibus tamquam membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans.

Q. *Quid est Apostasia?*

R. Est temerarius recessus a prioris vitæ instituto, quod publica & solemni professione susceptum est.

Q. *Quotuplex est apostasia?*

R. Triplex, a Fide, a Religione, & Sacro Ordine.

Q. *Quid est apostasia a fide?*

R. Est omnimoda defectio a fide Catholica, quam quis in baptismate suscepit: Differt ab hæresi, quia hæc non deserit fidem totaliter.

Q. *Quid est apostasia a Religione?*

R. Est omnimoda defectio seu recessus a Religioso statu per professionem solemnem inito, sive abjiciatur habitus, sive non. Excipiuntur tamen illi, qui a superiore juste gravati altiorem sedem appellant, hi enim non debent dici apostatæ, cum non abjiciant Religionem, sed solum id faciunt, quod est de jure naturali.

Q. *Quid est apostasia ab Ordine Sacro?*

R. Est temerarius transitus a statu Clericali ad conversationem laicalem dimisso habitu, & tonsura Clericali.

Q. *Quas pœnas incurrunt apostatæ a Fide?*

R. Easdem quas hæretici, cum re vera sint hæretici cum quodam excessu.

Q. Quæ

Q. *Quæ sunt pœnæ apostatarum a Religione?*

R. 1. Incurrunt excommunicationem majorem latæ sententiæ, qui dimiserunt habitum, qui vero illum retinent, ferendæ sententiæ. Can. 2. *ut periculose*. 2. Suspenduntur ipso facto ab usu & exercitio Ordinum Sacrorum, (non tamen minorum) 3. Amittunt omnia privilegia suæ religionis; non tamen illi, qui habitum retinent, ut notat P. Kloz l. 5. T. 9. fiunt inhabiles ad omnia Officia, & Beneficia.

Q. *Quibus arcentur pœnis apostatæ ab Ordine Sacro?*

R. Excommunicatione majore ferendæ sententiæ. 2. Infamia: hæc tamen tolli potest per pœnitentiam. 3. Irregularitate. Si vero contraxisset Apostata Matrimonium, esset irregularis ob Bigamiam spiritualem. 4. Amissione privilegii non solum *fori*, sed etiam *canonis*, ita ut si dimiserit habitum, percutiens eundem non incurreret Excommunicationem. Colligitur ex Can. 23. de *Senten. Excom.*

§. IX.

De Libris Hæreticorum.

Q. *Quos libros legendo incurritur Excommunicatio?*

R. 1. Legentes, retinentes domi, imprimentes libros hæreticorum tractantium de Religione, aut hæresim continentes incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam.

R. 2. Legentes, retinentes, vel imprimentes libros Hæreticorum, qui non tractant de Religione, neque continent hæresim, incurrunt Excommunicationem *Indicis*, quæ nulli est reservata. Notandum si sint libri damnati ob suspicionem falsi dogmatis, secus autem si sint Medici aut Poetici.

R. 3.

R. 3. Legentes, retinentes, imprimentes librum Authoris Catholici, sed damnatum ob aliquod dogma, incurrunt Excommunicationem *Indicis* nulli reservatam.

R. 4. Legentes libros prohibitos eo, quia tractant de rebus venereis & obscænis, nullam incurrunt excommunicationem, sed tantum peccant mortaliter.

Q. *An libri paganorum vel hebræorum tractantes de Religione sint comprehensi sub excommunicatione lata in Bulla Cœnæ?*

R. Non, quia non sunt proprie libri hæreticorum. Secus dicendum de legentibus libros Græcorum, Armenorum non unitorum tractantes de suis ritibus, quia ipsi tanquam Schismatici, sunt hæretici.

Q. *An brevis Scripturæ ver. gr. epistola seu oratio hæretici de fide tractans, vel hæresim continens, comprehendatur sub prohibitione Bullæ Cœnæ?*

R. Affirm. *Suarez. Tamb.*

Q. *An manuscriptum hæretici continetur etiam sub eadem prohibitione?*

R. Affirm.

Q. *Parvitas materiæ excusatne legentem libros prohibitos a culpa, & pœna? Et quæ dicatur parvitas materiæ?*

R. 1. Affirm. nisi voluntarie legeret locum hæresis.

R. 2. Parvitas autem dicitur juxta laxiorem opinionem lectio unius paginæ.

Q. *An retinere librum prohibitum domi per aliquem diem tantum excuset a culpa & pœna?*

R. Excusat brevitas temporis. *Tamb.* ac etiam ignorantia.

Q. *Quid faciendum est Confessario cum legentibus & conservantibus libros hæreticorum?*

R. Injungat pœnitenti, ut deferat librum Epi-

Episcopo, & in casu impossibilitatis ipsi saltem Confessario.

2. Non absolvatur, nisi talem librum reddiderit. 3. Si pœnitens sciat etiam alios complices retinentes libros hæreticorum, præcipiat ei, ut quantocius denuntiet Episcopo. 4. Inquirat, quoties legit illos libros? quoties aliis accommodabat? an dogmata falsa promulgaverat? 5. Peccati gravitatem ostendat, egit enim contra grave præceptum Ecclesiæ. Excitet illum ad eliciendos actus fidei, &c. &c.

§. X.

De Judæis.

Q. *QUæ scienda sunt de communicatione cum Judæis?*

R. Non licet sub peccato mortali cum Judæis habitare, eorum azymis vesci, medicis vel chirurgis uti, nisi in necessitate, si alius non fuerit: ad eorum convivia accedere, cum illis saltare; obstetrices vel nutrices eorum esse, nisi in extrema necessitate, in eorum Synagogis servitia exercere. Ita Edictum Andreæ Zaluski Episcopi Cracov. An. 1751.

Q. *Qui casus sunt Episcopo reservati in hacce materia?*

R. In Diœcesi Cracov. Qui famulantur continuo Judæis conducti pro anno toto: imo & operarii diurni, si dies festos violant, dum iisdem operas locant; Commiscentes se carnaliter Judæis maribus, vel fœminis, tradentes ad necem infantes iisdem Judæis, auxilium ad hoc præstantes, scientes traditionem, & non manifestantes iis, ad quos spectat, emptores superstitiose certis diebus cum retroemptione apud Judæos domorum, propinationis, ac aliarum rerum, & supellectilis Judaicæ.

Q. Si

Q. *Si Judæi contraxerunt matrimonium in gradibus a lege humana prohibitis, si baptizarentur, possentne vivere in matrimonio sine ulla dispensatione?*

R. Affirm. Tales enim neque contrahunt cognationem spiritualem, nec legalem, nec publicam honestatem.

Q. *An Judæi confugientes propter patratum delictum ad Ecclesiam gaudeant immunitate?*

R. Alii negant, quia non videtur juri consonum, ut Ecclesia prosit iis, qui sub ejus lege vivere recusant. Alii probabilius affirmant, dicentes: immunitatem concedi non respectu personarum delinquentium, sed propter honorem & reverentiam, quæ locis sacris & divino cultui debetur.

§. XI.

De Spe Christiana.

Q. QUid, *& qualis est spes Christiana?*

R. Est virtus supernaturalis, per quam cum fiducia salutis æternæ vitæ bona expectamus.

Q. *In quo spes nostra collocanda?*

R. In Deo, & Domino nostro Jesu Christo, ejusque pretiosis meritis.

Q. *Quomodo spes nostra in Christo sita esse debet?*

R. Quatenus omnes gratias ex ejus meritis sperare debemus, quibus adjuti mandata ejus, prout oportet ad salutem, implere valeamus. 2. Quatenus propter Christi merita omnibus rite credentibus, & bene operantibus vita æterna promissa est.

Q. *Debetne spem Christianam comitari timor Dei?*

R. Omnino. Et ideo Christus ipse monuerat

rat Apoſtolos: *Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*. *Luc.* 12. 5.

Q. *Sperans in Domino poteſtne certo ſcire ſe eſſe in gratia Dei?*

R. Quamvis homo fidelis & pius, qui operatur juſtitiam, multum poſſit eſſe ſecurus de Divina gratia, citra tamen ſpecialem Dei revelationem nequit habere illam ſummam certitudinem nimirum fidei.

Q. *Quare non?*

R. Licet enim in communi revelatum ſit omnes fideles mandata Dei cuſtodientes, gratiam ejus poſſidere, non tamen mihi in particulari revelatum eſt, num revera ita, prout oportet, mandata obſervaverim: *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit*, inquit, Eccl. 9. 1. Idque ideo, ut cum majori ſollicitudine, cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur. Ad Phil. 2. 12.

Q. *An ſit peccatum ponere ſpem in homine?*

R. Affirm. ſi ponatur principaliter: ſecus vero ſi ſecundario & tanquam in inſtrumento gratiæ cœleſtis.

Q. *An in peccatis contra ſpem datur parvitas materiæ?*

R. Non; quia ubi deliberate quis peccat vel præſumendo, vel deſperando, ſemper committit gravem offenſam Dei.

Q. *Quid eſt tentatio Dei?*

R. Eſt quædam præſumptio, qua quis vult experiri de Deo per media incongrua, & aliena ab ejus providentia.

Q. *Quotuplex eſt?*

R. Duplex. *Explicita*, cum quis vult aliquid agere, vel expectare per miraculum. Et *Implicita*, cum non vult adhibere media ordinaria abſque peculiari S. Spiritus inſtinctu ad aliquem obtinendum effectum, ut ſi quis nol-

let in infirmitate adhibere medicinam, vel monita salubria audire, dicens se in Deo sperare.

Q. *Quæ vitia spei Christianæ opponuntur?*

R. Duo: *Desperatio*, dum quis de misericordia Dei, remissione peccatorum, & vita æterna obtinenda desperat. Et *Præsumptio*, dum quis existimat se fore salvandum propter Christum, quamvis præcepta ejus non observaret. Et hæc dicuntur peccata contra Spiritum Sanctum.

§. XII.

De Charitate Dei.

Q. QUid est charitas?

R. Est virtus supernaturalis, qua Deus propter se diligitur, proximus vero propter Deum.

Q. *Quot sunt præcepta charitatis?*

R. 2. Universalia: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, hoc est primum & maximum mandatum, secundum vero simile huic: Diliges proximum sicut te ipsum.

Q. *Quotuplex est amor Dei?*

R. *Appretiativus*, qui consistit in æstimatione infinitæ bonitatis Dei, sicut quando homo æstimat omnia respectu Dei esse nihil, & paratus est perdere omnia pro amore Dei, si id Deus exigeret. Et *Intensivus*, qui consistit in vehementi affectu, ut si quis videtur ardere, & ferri in Deum amore tali, sicut filius in parentes.

Q. *Quo amore tenemur amare Deum?*

R. Saltem amore appretiativo. Dixi *saltem* quia licet convenientissimum esset amare Deum etiam amore intensivo, ut multi amarunt in hac vita Sancti, interim non est præceptum de hoc eliciendo amore; nam spectata fragilitate

tate humana, & ſpectato ſtatu modernæ vitæ, in quo majore affectu ferimur in ſenſibilia, quam ſpiritualia, ideo impletur præceptum Divinum, quando amamus Deum amore appretiativo.

Q. *Quotuplex eſt præceptum amoris Dei?*

R. Duplex. *Negativum*, quod obligat ſemper pro ſemper, ita ut nunquam liceat bonum creatum magis appretiare, quam Deum. Et *Affirmativum*, quod obligat 1. dum adepti ſumus rationis uſum. 2. Cum ex tentatione periculum imminet, ne in odium Dei aliquis labatur, niſi actum amoris eliciat. 3. Quoties quis vult elicere contritionem. 4. Quoties nobis occurrunt beneficia Divina. 5. Sæpius in vita, maxime in articulo mortis.

Q. *Quæ vitia ſunt oppoſita charitati Divinæ?*

R. Omne quidem peccatum eſt contra charitatem Dei; Interim directe & formaliter opponitur odium, & contemptus Dei.

Q. *Quotuplex eſt Dei contemptus, qui opponitur amori Dei?*

R. Duplex. *Formalis* eſt, qui directe contemnit honorem, amorem Dei & dignitatem ejus. Et *interpretativus* eſt, quando quis non contemnit quidem Deum, ſed tantum talem actionem facit, quæ in ſe Dei contemptum continet. Talis contemptus eſt omne peccatum mortale, quia omnis, qui peccat, eo ipſo videtur contemnere præcepta Dei, conſequenter ipſum Deum.

§. XIII.

De Charitate Proximi.

Q. POſt *Deum in terris quem diligere debemus?*

R. Noſmetipſos, & noſtrum proximum.

Q. *Quis*

Q. *Quis est noster proximus?*

R. Omnis homo beatitudinis capax sive fidelis, sive infidelis, sive amicus, sive inimicus, sive Christianus, sive Judæus. Possumus in Judæo infidelitatem odio habere, non tamen ipsum Judæum.

Q. *Quomodo peccatur contra charitatem in nosmetipsos?*

R. 1. Per excessum, quando nos nimis amamus, quod tunc fit, quando Deo nos præferimus. 2. Per defectum, quando nos non satis diligimus, quod fit, quando salutem nostram, sive temporalem, sive spiritualem negligimus.

Q. *Quomodo peccatur contra charitatem in proximum?*

R. 1. Inordinate eum diligendo. 2. Malum ipsi optando, vel desiderando. 3. In necessitate præsertim extrema non subveniendo. 4. In corpore vel anima, honore, fama, vel aliis rebus temporalibus eidem nocendo.

Q. *Quando sub mortali tenemur succurrere proximo?*

R. In gravi & extrema necessitate.

Q. *Quotuplex est necessitas proximi?*

R. Triplex: *Communis* est, qua laborant hospitales, pauperes communes. *Gravis*, quam patiuntur qui sunt in periculo gravis mali ver. gr. Captivitatis, quibus si non succurratur, infallibiliter pati deberent captivitatem, jacturam honoris, & status. *Extrema* est, ex qua imminet periculum vitæ aut diuturni morbi. In gravi vero, & extrema necessitate tenetur quisque sub mortali peccato proximo succurrere, si potest.

Q. *Ex quibus bonis tenemur eleemosynam dare?*

R. Ex propriis bonis superfluis. Interim Triplex est eleemosyna. *Bona*, quæ datur ex bonis superfluis. *Melior*, quæ ex necessariis. *Opti-*

Optima, & maxime placens Deo, quæ datur a paupere.

Q. *Quis ordo in dilectione servandus est?*

R. Si extra extremam necessitatem succurrendum sit. 1. Uxori quia una est caro cum viro. 2. Filiis & parentibus & patri præ matre. 3. Fratribus, Sororibus, deinde propinquis & familiaribus. In extrema autem necessitate Parentes, eo quod vitam dederint, sint præferendi filiis. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem, præferendi sunt concives: in Bellicis, Commilitones. In spiritualibus patres & fratres spirituales. Imo etiam parentes in spiritualibus præferendi sunt: quia prima conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum.

Q. *Quomodo tenetur homo ad succurrendum proximo in extrema necessitate spirituali existenti?*

R. Si sit spes certa juvandi & non possit alia via juvari, neque sit damnum proprii boni spiritualis, tenetur cum periculo vitæ suæ, quia damnum spirituale prævalet omni damno temporali: Unde tenetur quisque infantem baptizare, absolvere pœnitentem, quem scit certe moriturum, cum proprio vitæ periculo.

Q. *Ad quid obligat charitas erga inimicum?*

R. Ex præcepto obligat, ut homo communia signa & beneficia exhibeat inimico: Specialia vero solum ex consilio, nisi obligatio aliunde oriatur ver. gr. ratione scandali. Unde si mihi occurreret amicus & inimicus mihi æquales, & unum salutarem non salutato altero, peccarem, quia ostenderem manifestum signum odii.

Q. *An teneatur quis inimicum suum salutare, si prævidet, quod inimicus non sit resalutaturus?*

R. Si sit moraliter certus, quia jam ver. gr. illum semel salutavit, ad nihil tenetur, quia

ſic poſſet dare incendium majoris inimicitiæ. Peccaret tamen graviter, ſi inimicum ſe ſalutantem non reſalutet, ſic enim monſtraret manifeſte odii ſignum.

Q. *Quid de ſuperioribus in hac materia dicendum?*

R. Illi excuſantur a peccato, ſi imperfecto, indiſciplinato ſubdito non tantum ſigna ſpecialia, ſed etiam communia denegent, imo vultum aſperum oſtendant: quia iſta ſigna non ſunt odii, ſed medicinalia. Hoc ipſum dicendum de patre & matre reſpectu filiorum. Si tamen deſinat eſſe ſuperior, & talia ſigna averſionis demonſtret, erit ſignum privati odii.

Q. *Quomodo offenſus poterit ſine peccato offenſorem accuſare, & pœnam velle apud Superiorem?*

R. Si id non fiat animo vindictæ, ſed animo ſatisfactionis ſuæ offenſæ, & ut mala impunita ulterius non creſcant, ac alii ſimilia vitent.

§. XIV.

De Fraterna Correptione.

Q. AN *extat præceptum correptionis fraternæ?*
R. Affirm. Eccl. 19. & 2. Theſſ. 3. Et Matth. 18.

Q. *Quomodo hoc præceptum obligat?*

R. Sub mortali ad corripiendum proximum de quavis culpa mortali non emendata, quia ſub mortali tenemur ſuccurrere proximo extreme, & graviter corporaliter indigenti, multo magis ſpiritualiter indigenti, communis DD.

Q. *Quos obligat hoc præceptum?*

R. 1. Omnes & ſingulos etiam æquales, inferiores laicos, peccatores, quando utiliter corripere poſſunt ſine ſuo gravi damno.

R. 2.

R. 2. Prælati & Superiores magis obligantur, quia omnis Superior duplicem personam agit. *Unam* ut est particularis, *Alteram* ut est persona communis, & sic pollet Triplici correctione, *Fraterna* ut Frater; *Judiciali*, ut Judex & scelerum vindex quo ad forum externum; Et correctione *Paterna*, ut pater quo ad forum internum. 3. Inferior potest, & tenetur frater corrigere superiorem seu Prælatum secreto, modeste, & reverenter. Ita defin. Cap. *sicut* 2. 7. 9.

Q. *Ut hoc præceptum obliget quæ requiruntur?*

R. Sequentia. 1. Ut proximus prudenter judicetur peccasse, vel esse in proximo periculo peccandi. 2. Ut sit periculum ne relabatur, vel permaneat in peccato, & ut putetur non aliter facile emendandus. 3. Ut sit probabilis spes emendationis. Ut non sit alter magis idoneus, vel dignitate, aut ætate superior, qui commodius possit, & velit corrigere. 4. Ut opportuno tempore fiat, quando scilicet fructus probabiliter sperari possit.

Q. *Si quis de fructu dubitet, vel certo sciat obfuturum non esse, teneturne corrigere?*

R. Affirm. quia sicut in morbo corporali, ita & in spirituali remedium, quod non est obfuturum, adhiberi debet in dubio, an sit profuturum, si nullum certius adsit.

Q. *Si vero quis dubitet, non modo sitne profutura correctio, sed etiam num sit nocitura?*

R. Eam tunc omittere potest, quia cum correctio ad emendationem ordinetur, fieri non debet, cum æque imminet peccatum proximi ac ejus emendatio.

Q. *Quid est invidentia fraternæ charitatis?*

R. Quando quis non solum invidet personæ fratris, sed etiam invidet gratiæ Dei crescenti per fratrem in mundo.

§. XV.

§. XV.

De Purgatorio.

Q. QUid *in hoc nomine Purgatorii intelligitur?*

R. Locus tertius præter cœlum & infernum, ubi animæ in Dei gratia de corpore solutæ, adeoque in æterna gloria locandæ, ad tempus continentur, donec pœnam temporalem, quam in hoc mundo promeruerunt, exsolvant, aut per orationes nostras, aliaque pietatis officia seu opera liberentur.

Q. *Constatne ex Scriptura de facto dari talem tertium locum?*

R. Constat ver. gr. Matth. 5. 25. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via, ne forte in carcerem mittaris: Amen dico tibi non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Hoc Christus Dominus certe non de inferno dixerat, inde enim nullus exibit, inde nulla redemptio, nulla solutio, igitur de Purgatorio.

Q. *Utique hic non invenitur ista vox Purgatorium?*

R. Minus est de voce, modo res ipsa habeatur.

Q. *Quid præterea?*

R. Cor. 3. 15. inquit, S. Paulus: *Ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem.* Quem textum SS. PP. in primitiva Ecclesia interpretati sunt de Purgatorio, uti S. Aug. lib. 20. hom. 16. S. Hieron. in Cap. Amos. S. Ambr. in Ps. 18.

Q. *Credibilene Ministros Hæreticorum præfatam Scripturam melius intelligere?*

R. Numquam: cum præfati SS. Doctores interpretationem Sacræ Scripturæ, & doctrinam suam etiam sanctissima vita, & innumeris iisque apertis miraculis confirmaverint.

Q. *Quo-*

Q. *Quomodo adhuc ex Scriptura Purgatorii veritas declaranda?*

R. 1. Tam in Novo, quam in Veteri Teſtamento conſuetudo fuerat orare, aliaque pietatis opera facere pro mortuis. Et ſic 1. Cor. 15. 29. inquit S. Paulus: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* quod autem per *baptizari* intelligatur in præſenti aliquid pati, evidenter colligitur ex verbis ſequentibus; *Ut quid & nos periclitamur omni hora &c.*

R. 2. 2. Reg. 1. 12. Jejunavit David mortuo Saul & Jonatha, nec ſolum in ſignum mœroris, verum etiam devotionis intendendo opitulari animabus eorum. Sicut quoque 2. Reg. 12. 16. impetrandi gratia jejunium inſtituerat: *Deprecatus eſt David Dominum pro parvulo & jejunavit jejunio.* 2. Mach. 12. 46. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare &c.* aſſeverat Scriptura dari Purgatorium.

Q. *Paſtores diſſidentium contradicentes, libros Machabæorum non accipiunt pro Canonicis?*

R. Conſuetudo, illos libros, unde evidentiſſimi textus adverſum ſe citari poſſunt eliminandi ex Scriptura, non eſt argumentum, quod recte ſentientes convincere valeat. Inſuper nemo prudens negare poteſt Hiſtoricos eſſe fide digniſſimos; ex quibus patet evidentiſſime inter fideles veteris Teſtamenti conſuetudinem fuiſſe, orare pro defunctis.

Q. *Quid ex citatis S. Scripturæ textibus infertur?*

R. Quod omnino detur tertius locus poſt hanc vitam, ubi exiſtentibus animabus, oratio noſtra utilis ſit atque ſalutaris. Et ſufficit: de nomine nulla lis.

Q. *Qualis fuerat conſuetudo apud Chriſtianos in primitiva Eccleſia?*

R. Orare, offerre Sacrificia, aliaque bona

opera pro defunctis. Teste S. Aug. Hier. &c.

Q. *Quid de iis Pastoribus dissidentium sentiendum, qui veritatem hanc non solum oppugnare, (prout & cæteri) verum etiam jocos & ludibria de purgatorio struere consueverunt?*

R. Ejusmodi hominum consuetudo est, ut illas fidei veritates, quas argumentis non valent, saltem contemptu, & ludibrio populo exosas reddant.

Q. *S. Scriptura duplicis solum post obitum nostrum loci claram mentionem facit?*

R. Duplicis loci æterni; præterea tamen tertium ad tempus solum duraturum esse admittendum, nemo ambigere potest.

Q. *Eccl.* 11. 3. *habetur: Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, ibi erit?*

R. Hic textus inepte contra nos adducitur, præsertim cum etiam animæ illæ, quæ Purgatorio ad tempus addicuntur, non ad aquilonem æternæ damnationis, sed potius ad meridiem infallibiliter æternæ beatitudinis cadant. Quemadmodum etiam animæ SS. PP. veteris Testamenti, quæ in limbo Christi adventum præstolabantur.

De Inferno.

Q. *Quid est Infernus?*

R. Est carcer terribilis subterraneus iis destinatus, qui lethalis peccati obnoxii impœnitentes vitam decedunt, ubi æternis pœnis cruciantur. Comm. DD.

Q. *Quotuplex est pœna infernalis?*

R. Duplex. Pœna *damni*, per quam damnati carebunt beatifica visione Dei. Alia pœna *sensus*, per quam propter conversionem ad creaturas ab iisdem tormenta sensibilia patientur.

Q. *Damnati torquenturne ab igne materiali, vere & proprie Physico seu corporeo.*

R. Af-

R. Affirm. Qui ignis virtute Omnipotentis Dei ita incenditur, & elevatur, ut spiritualem attingat, & urat substantiam, perpetuo durans nulloque indigens populo, idest lignis, &c.

Q. *Estne damnatorum omnium æqualis cruciatus?*

R. Non: sed qui plura perpetrarunt peccata, magis torquendi sunt. Matth. 16. 27.

§. XVI.

De Requisitis ad Subdiaconatum.

QUæ superius dicta sunt de requisitis ad Ordines: *Intentione, Materia, & Forma*: hæc nunc revocentur & videantur. Cap. 3. §. 9.

Q. *Requiriturne certa ætas ad valide suscipiendos Ordines Sacros?*

R. Non, sed tantum ad licite suscipiendos.

Q. *Episcopus potestne dispensare in ætate tam ad Ordines, quam ad beneficii assecutionem?*

R. De licentia Papæ potest.

Q. *Materia Ordinum majorum a quo debeant necessario tradi ordinando?*

R. Juxta communem sensum, & praxim sub nullitate debent tradi ab ipso Episcopo Ordinante.

Q. *An majores Ordines valide conferantur per saltum?*

R. Valide præter Presbyteratum quo ad potestatem absolvendi, sine potestate consecrandi, & præter Episcopatum sine Sacerdotio.

Q. *Possuntne eadem die conferri duo Ordines?*

R. Omnes quatuor minores Ordines possunt etiam ex rationabili causa cum Subdiaconatu conferri. *Vasq. Hurt. Palao*, apud *Burgra.*

Q. *An duo majores Ordines possint conferri eadem die?*

R. Non. Trident. seſſ. 23. caſſat quo ad hoc omnia privilegia in contrarium conceſſa.

Q. *Quæ dicuntur interſtitia?*

R. Tempus, quod debet intercedere a ſuſceptione unius Ordinis ad alterius ſuſceptionem.

Q. *Quantum tempus requiritur a ſuſceptione unius Ordinis ad alterius ſuſceptionem?*

R. Annus integer.

Q. *In ſervandis interſtitiis attendenduſne annus Mathematicus, id eſt integer quo ad diem?*

R. Non attenditur annus Mathematicus, ſed ſecundum morem Eccleſiæ, v. g. a quatuor temporibus præcedentis æſtatis ad quatuor ſequentis æſtatis.

Q. *Qui non ſervat interſtitia ab Eccleſia ſtatuta, quam pœnam incurrit?*

R. Suſpenditur ab executione poſterioris Sacri Ordinis, ſi mala fide, & ſine diſpenſatione Epiſcopi ſuſcepit. Qui deinde ſi miniſtret in Ordine, fit irregularis a ſolo Papa diſpenſandus, ſi delictum ſit publicum; ſi occultum, Epiſcopus diſpenſare poteſt. *Nav.*

Q. *Quiſnam poteſt diſpenſare in interſtitiis?*

R. Epiſcopus quo ad ſuos ſubditos exiſtente rationabili cauſa.

Q. *Quibus temporibus Ordines Sacros conferri poſſunt?*

R. Ordinarie conferri poſſunt his temporibus, ſcilicet Sabbathis quatuor temporum, Sabbatho ante Dominicam Paſſionis, & Sabbatho Sancto, niſi Epiſcopus habeat gratias a Sede Apoſtolica.

§. XVII.

De Ordine Subdiaconatus.

Q. QUid ſibi vult nomen Subdiaconi?

R. Idem ac Subminiſter, cum Sacerdotis Miniſtro, id eſt Diacono, adminiſtrat.

Q. *Quid*

Q. *Quid est Subdiaconatus?*

R. Est Ordo Sacer, per quem datur ordinato duplex potestas altera primaria, scilicet inserviendi Diacono in Missa solemni, quo ad præparationem vasorum sacrorum: altera legendi solemniter Epistolam in Missa solemni.

Q. *A quo, & quando institutus est hic Ordo?*

R. A Christo in ultima Cœna, quando præparavit materiam Eucharistiæ.

Q. *Fuitne hic Ordo præfiguratus?*

R. Affirm. 1. Exod. 2. & l. 2. c. 6. ubi Levitarum Ministri ponuntur: nam Hypodiaconi Ordo ex Rabano & Isid. in Novo Testamento respondet Nathinæis in Templo humiliter servientibus. Ex lib. Esdr. c. 8. & a Davide dati dicuntur ad Levitarum ministeria. Ex Isidor. l. 7. & ex horum Ordine censent fuisse Nathanaelem.

Q. *Quotuplex est materia hujus Ordinis?*

R. *Remota* est duplex. Calix vacuus, cum Patena vacua, & Liber Epistolarum. *Proxima* autem est harum traditio ab Episcopo. Sufficit calix non consecratus. *Sotus & quatuor alii.* Forma vero Subdiaconatus, sunt verba ab Episcopo prolata in traditione materiæ.

Q. *In quo actu imprimitur character Subdiaconatus?*

R. In traditione Calicis vacui, & Patenæ; tanquam principalioris materiæ.

Q. *Cur Subdiacono non confertur character porrectione libri Epistolarum, sicut confertur Diacono in traditione libri Evangeliorum?*

R. Quia Evangeliorum traditio est multo excellentior, eo quod Diaconus non solum canere, sed etiam Evangelium prædicare potest, si attendamus tantum ad jus Divinum.

Q. *In ultima Cœna non erat liber Epistolarum, quomodo potuit Christus instituere hunc Ordinem deficiente ejus materia?*

R. Christus pro materia Ordinis statuit in genere instrumentum aptum significare potestatem Spiritualem, quæ per Ordines confertur: Ecclesia vero determinavit speciem Sacramenti, quod pro temporum & locorum varietate magis exprimere possit hujusmodi spiritualem potestatem.

Q. *Si loco libri Epistolarum aut Evangelii tangendus alius liber traderetur, essetne valide ordinatus?*

R. Affirm. quo ad primam potestatem: Quo ad secundam distinguo, si contineat Epistolas, uti Biblia, Missale, Breviarium, valide esset ordinatus etiam quo ad secundam potestatem; si tradatur liber Epistolas non continens, non esset ordinatus.

Q. *Si traderetur ordinando solus Calix, vel sola Patena, essetne valide ordinatus?*

R. Probabilius quod non; quia traditio illa refertur ad utramque partem Sacrificii, scilicet Corporis & Sanguinis; ideoque utriusque vasa dari debent. Si ordinando daretur Calix cum Vino, & Patena cum Hostia; valide ordinaretur, quia materia per præsentiam Vini & Hostiæ non vitiaretur.

Q. *Subdiaconus majori excommunicatione irretitus, si exerceat solemniter actum sui Ordinis an incurreret irregularitatem?*

R. Affirm. secus si tantum minori excommunicatione innodatus existat, vel si laboret ignorantia crassa. Subdiaconum autem sui Ordinis actum exercentem in peccato mortali peccare mortaliter alii affirmant, alii probabilius negant, cum nullum conficiat Sacramentum.

Q. *Quænam vestis est propria Subdiacono?*

R. Vestis propria distinctiva a cæteris Ordinibus est manipulus in brachio sinistro, qui significat fructum bonorum operum.

Q. *Quid*

Q. *Quid significant aliæ vestes, quibus induitur Subdiaconus?*

R. Amictus, seu humerales, significat fortitudinem ad exequenda Officia Divina, quibus mancipatur; Alba significat puritatem vitæ; Cingulus repressionem carnis; Tunicella tunicam justitiæ.

Q. *An possint Clerici legere Epistolam, qui non sunt Subdiaconi?*

R. Non possunt solemniter, hoc est cum manipulo & ex officio.

Q. *Quod est officium Subdiaconi?*

R. Epistolam in Missâ canere: Diacono Panem & Vinum porrigere: Pallas, Corporalia, &c. abluere.

Q. *An omissio alicujus cæremoniæ in Ordinatione sit supplenda?*

R. Si sit essentialis, & dependens a forma substantiali ordinationis, non solum ipsa est supplenda, sed repetenda tota Ordinatio saltem sub conditione. Si vero accidentalis; sufficit illam solam supplere, & quidem privatim, si omissio fuit occulta, alias in publico, si fuit publicus defectus.

§. XVIII.

De Titulo.

Q. QUæ *requiruntur in Ordinando in Subdiaconum?*

R. Præter dicta ubi de minoribus Ordinibus requiritur insuper Titulus.

Q. *Quid est Titulus?*

R. Est quædam provisio perpetua ad honeste sustentandam vitam Clericalem, quo ad victum & amictum.

Q. *Cur Ecclesia statuit ut habeatur Titulus?*

R. Ne ordinatus cogatur mendicare cum Or-

dinis dedecore, aut inconvenientem artem exercere.

Q. *Quam pœnam incurrit suscipiens per fraudem Ordinem sacrum sine Titulo?*

R. Fit suspensus ipso facto ab Ordine sic suscepto, & superiori suscipiendo, cujus dispensatio Pontifici reservata est, neque eum ignorantia juris excusat. *Sil. Bon.*

Q. *Quotuplex est Titulus?*

R. Triplex: Beneficii, Patrimonii, & Paupertatis, id est, ordinari potest, qui Beneficium aliquod obtinuit; vel qui honeste de suo Patrimonio vivere potest; vel qui professus est in aliqua Religione.

Q. *Titulus Seminarii estne sufficiens Titulus?*

R. Si est permanens, vel saltem durans, donec Ordinandus aliunde sit provisus, sufficit.

§. XIX.

De Obligationibus Subdiaconi.

Q. QUæ *sunt Obligationes Subdiaconi?*

R. Principales sunt tres: 1. Servandi castitatem. 2. Recitandi horas Canonicas. 3. Deferendi Habitum, & Tonsuram.

Q. *Estne gravis obligatio Clericis beneficiatis deferendi habitum & tonsuram?*

R. Sub mortali obligantur, quia id sub gravibus pœnis præcipitur in Canonibus quo ad utrumque.

Q. *Nonne hi aliquando excusantur?*

R. Affirm. v. g. ad tuendam vitam, honorem, divitias, &c. Item si quis ita pauper sit, ut careat decenti habitu. Ratione infirmitatis tonsuram relinquens, pariter excusatur.

Q. *Unde oritur obligatio servandi castitatem?*

R. Ex voto solemni castitatis, quod a subdia-

diacono juxta Constitutionem Ecclesiæ emitti debet in sui ordinatione.

Q. *Debetne hoc votum explicite emitti?*

R. Sufficit, quod emittatur implicite, nempe hoc ipso, quod quis vult Sacrum Ordinem, implicite vult obligationes annexas. Tale est votum castitatis.

Q. *Hæc obligatio viguitne semper in Ecclesia?*

R. Initio nascentis Ecclesiæ non fuit observata in Ecclesia orientali, quia ob paupertatem fidelium, & ministrorum Domini, Sacris initiabantur etiam uxorati, at in Ecclesia occidentali a tempore Apostolorum semper observata fuit. *Bellarm.*

Q. *Suscipiens S. Ordines, si ignorat obligationem perpetuæ continentiæ esse annexam, an esset immunis ab ea?*

R. Non; quia votum est accessorium Ordini Sacri, tanquam principali, qui autem vult principale, vult etiam accessorium, nisi contrariam intentionem habuerit. *Sanc. Regi.*

Q. *Quale peccatum committeret Subdiaconus violans castitatem?*

R. Unico actu committeret duo peccata, contra votum, & esset sacrilegium; & contra virtutem castitatis, & esset fornicatio, vel adulterium.

Q. *Subdiaconus teneturne ab Episcopo assignatum Nocturnum sub mortali absolvere?*

R. Affirmant *Dia. Bon.* sed tam severa obligatio non agnoscitur adesse nec ex jure, nec ex Pontificali. *San. Tamb.*

§. XX.

De Voto.

Q. QUid *est Votum?*

R. Est promissio facta Deo deliberate de bono possibili, & meliore.

Q. *Quo differt votum a proposito?*

R. Per hoc 1. Quia votum obligat voventem sub peccato, non sic autem propositum. 2. Quia votum est semper de meliori bono, propositum autem potest esse aliquando de minori bono, ut dum quis proponit non servare virginitatem, & nubere.

Q. *Quotuplex est votum?*

R. Est duplex: *Solemne*, quod fit per Professionem Religiosam, vel per receptionem Subdiaconatus. Et simplex, quod fit sine dictis solemnitatibus spontanea voluntate, & privatim.

Q. *Quæ est differentia inter dicta vota?*

R. *Primum* versatur ordinarie solum circa castitatem, paupertatem, & obedientiam. *Secundum* autem extendit se ad omnem materiam bonam. *Primum* est indispensabile, & potest tantum declarari in aliquibus circumstantiis non tenere. *Secundum* vero potest dispensari.

Q. *Quomodo adhuc dividitur votum?*

R. Aliud est *expressum*, quod verbis discretis exprimitur. Aliud *tacitum*, quod eo ipso fieri censetur, quo voluntarie aliquid agitur, ut assumptio Ordinis Sacri tacite complectitur votum castitatis. Aliud est *absolutum*, aliud *conditionatum*, quod patet ex terminis.

Aliud *personale*, quo promittitur aliquid, quod personam voventis attinet, ut peregrinatio, jejunium. *Reale*, quo res aliqua Deo promittitur ut eleemosyna, census. Aliud *mixtum*, quo utrumque promittitur. Aliud *pœnale*, quod

fit in pœnam alicujus delicti, ut si quis dicat si non abstinuero ab hoc vitio, distribuam quinque, vel decem aureos pauperibus.

Q. *Qui licite potest vovere?*

R. Homo viator qui est sui juris, & habet usum rationis. Vovere non possunt licite impuberes, conjuges, servi perpetui, filii sub tutela parentum existentes, si materia voti sit in præjudicium conjugis, superioris, vel parentum; ad pubertatem requiruntur in masculis anni 14. in fœminis 12.

Q. *Quæ requiruntur ad votum?*

R. Intentio, deliberatio, & libertas perfecta.

Q. *Quæ sunt conditiones necessariæ ad votum?*

R. Possibilis, non vana, bona, meliori non contraria.

Nota. Votum contrahendi matrimonium non semper erit validum, quia votum est promissio melioris boni, cœlibatus autem est dignior matrimonio, nisi *per accidens*, v. g. si speretur maxima utilitas Reipublicæ. 2. Si sequeretur notabilis conversio infidelium. 3. Si matrimonium sit in præcepto ut si quis corrupta virgine, & fide illi data de matrimonio contrahendo, voveat.

Q. *Qualiter obligat votum?*

R. Juxta quantitatem materiæ quæ promittitur, & juxta intentionem voventis, si est materia gravis, graviter obligat; si levis, leviter. Si quis se obligat sub mortali peccato, tenetur implere sub mortali; si sub veniali, tenetur sub veniali; si in perpetuum, in perpetuum tenetur.

Q. *Qui non implevit tempore præfixo, obligaturne post adimplere votum illud?*

R. Peccat, sed probabilius est, quod non obligetur, nam obligatio annexa tempori & diei finita est cum tempore, & die. *Suar. Bon. &c.*

Q. *Si quis metu mortis vel gravis mali ab alio sibi incussi vovet, valetne?*

R. Non, quia vovit coactus, non libere *Tolet.*

Q. *An poteſt eſſe voti obligatio levis, quamvis materia ſit gravis?*

R. Affirm.

Q. *An validum votum illius, qui votum vovit, v. g. voveo te occidere?*

R. Non, & quidem qui mortale vovet, peccat mortaliter, qui autem veniale, eum venialiter peccare dicit. *Sua. Syl.*

Q. *An votum perſonale poſſit impleri per alium?*

R. Non, unde qui vovit peregrinationem, v. g. Romam, non ſatisfacit ſi alium mittat, neque ad id tenetur, ſi ipſe non poſſit. *Suar. &c.* Reale autem votum poteſt impleri per alium.

Q. *An ad valorem voti requiritur ut omnes omnino difficultates expendat, quas poſtea vovens experitur in executione voti, quas ſi antea perſpectas habuiſſet, non voviſſet?*

R. Non; alias vix daretur votum validum, cum vix inveniatur vovens, qui non experiatur in executione voti aliquas difficultates. Nec etiam requiritur, ut vovens ſit liber ab omni omnino iracundiæ vel concupiſcentiæ motu, vel etiam levitate, quando paſſio non eſt tanta, vel levitas, ut rationis uſum ad peccatum mortale ſufficientem tollat. *Fernand.*

Q. *An votum alienum obligat aliquem tertium?*

R. Non, hinc v. g. filius a patre Religioni devotus, non tenetur vi voti paterni ingredi Religionem, niſi idem votum ipſemet filius ratificet.

Q. *Quid notandum venit circa errorem in fine voti?*

R. Finis voti triplex eſt: 1. *Communis* omnibus votis: eſt Divinus cultus & honor, qui ſi deficiat, votum eſt irritum.

2. *Specialis*, qui eſt intrinſecus materiæ promiſſæ, & ſi hic deficiet, mutatur objectum promiſſum, & conſequenter ceſſat promiſſio, ſi v. g. videns aliquem in lacera veſte, voverem dare eleemoſynam, ſed quia reſcivi eundem non eſſe pauperem,

perem, non teneor, quia finis intrinſecus eleemoſynæ, eſt ſublevatio alienæ miſeriæ, quæ hic non erat.

3. *Extrinſecus eſt finis*, qui per votum intenditur obtineri, ideoque ſi per votum obtineri nequit, votum ceſſat.

Q. *Pro reſolvendis dubiis circa vota, quæ ſervire poſſunt regulæ?*

R. 1. In dubio melior eſt conditio poſſidentis, & probabilius etiamſi propendeat in votum factum. 2. Obligationes gratuitæ ſunt potius reſtringendæ quam ampliandæ. 3. Dubitans an plus, an minus, tenetur tantum ad minus. 4. Si poſt breve tempus poſtquam voviſſem, dubito, an voverim vel non, poſſum me judicare non voviſſe, quia non tam facile & cito obliviſcimur magnæ alicujus promiſſionis. 5. Si verba quibus uſus ſum non ſignificent ex ſe votum, non præſumor voviſſe, quod ſi ſignificent, tenebor ad votum. Item ceſſante cauſa finali, ac principali voti, ceſſat quoque obligatio ejus, ver. gr. ſi voveret quis peregrinationem pro impetranda ſanitate filii, & ipſe moriatur, utique parens ad nihil obligabitur, quia jam ceſſabit finis propter quem emiſit votum.

Q. *Quot modis tollitur obligatio voti?*

R. 1. Materiæ mutatione, ut ſi materia antea honeſta, fiat turpis, vel impeditiva majoris boni ratione novæ circumſtantiæ, vel prohibitionis, vel ſi fiat impoſſibilis abſolute, vel moraliter, vel deſitione conditionis, a qua pendebat. 2. Interventu authoritatis humanæ, idque tripliciter *Irritatione*, *Commutatione*, vel *Diſpenſatione*.

Q. *An valeat votum cujus materia partim poſſibilis, partim impoſſibilis eſt?*

R. Votum obligat quo ad partem poſſibilem, ſi talis hujuſce voti materia eſt, ut di-

vidi possit & soleat. Sic si quis vovit 100. aureos, & non habet, tenetur dare 10. si possit dare. 2. Si vero partes materiæ non divisim, sed collective promissæ sunt, nulla remanet obligatio, si earum pars altera fiat impossibilis, quia vovens non intendit ad unam se obligare sine altera. Sic qui vovet ædificare Ecclesiam, si sola fundamenta Ecclesiæ possit jacere, ad nihil tenetur; quia censetur ædificium totum vovisse per modum unius. Seu potius in tali casu, nisi aliud ferat intentio illius specialis, qui vovit, sequenda est pars tutior, vel recurrendum est ad Episcopi judicium.

Q. *Si quis voti prioris immemor aliud emiserit cum priore incompatibile, ut votum serviendi infirmis ea die, qua peregrinationem voverat, quid faciendum?*

R. Votum quod est de re meliori servandum est, quod est validum, cum liceat ipsi voventi votum in melius commutare. Si vero posterius votum est de æquali bono, adhærendum est priori, quia votum prius in aliud æquale mutari nequit. Si vero dubitetur an posterius votum sit de bono meliori, idem est dicendum, quia possessio stat pro voto prius emisso. *Collet.*

Q. *An votum de vitando omni prorsus peccato mortali sit de materia, quæ homini sine speciali privilegio possibilis est?*

R. Affirm. Hæc tamen vota non facile consulenda sunt.

Q. *An votum omnia venialia peccata vitandi sit validum?*

R. Videtur non esse validum, non enim valet votum, nisi acceptetur a Deo, non acceptatur autem votum inutile, & nocivum.

Q. *Votum emissum sub turpi conditione de futuro valetne?*

R. Non,

R. Non, nisi conditio intelligatur in sensu pœnali. Sic non valeret hoc votum: voveo eleemosynam, si vindictam sumpsero, vel si furatus fuero feliciter bovem. Valeret autem: voveo eleemosynam, si forte eo usque miser sim ut furto, vel fornicationi consentiam.

Q. *An qui prævidet fore ut præfixa die votum implere nequeat, debeat tempus prævenire?*

R. Si Votum certæ diei est affixum in honorem ejus, necesse non est prævenire, quia tunc erit votum de re prout tali tempore facienda.

§. XXI.

De Irritatione & Commutatione Voti.

Q. *Quid sit Irritatio Voti?*

R. Est annullatio quædam facta a superiore inferiori personæ, quæ facit ut Votum non sit obligatorium.

Q. *Per quid differt Irritatio a dispensatione?*

R. Irritatio est ablatio obligationis facta nomine proprio per potestatem dominativam in personam voventem, aut in rem de qua fit votum. Dispensatio vero est ablatio obligationis facta nomine alieno, scilicet Dei, qui potestatem jurisdictionis dat quibusdam in Ecclesia ad tollendam, ubi causa est, voti obligationem.

Q. *In irritatione requiriturne aliqua causa?*

R. Non, sufficit enim sola voluntas irritantis ad sublationem voti, & si juxta nonnullos peccat, qui sine causa irritat.

Q. *Qui potest irritare vota?*

R. Pater filiorum, superior suorum Religiosorum, maritus uxoris vel e contra, si vota sint cum præjudicio dictorum, nam talia vota ex juris dispositione hanc tacitam habent anne-

annexam conditionem, *nisi superior contradixerit*, vel *cujus interest*.

Q. *Quid est commutatio?*

R. Est materiæ voti authoritate propria in id quod manifeste melius, & Deo gratius est, conversio.

Q. *Quis potest commutare vota?*

R. Ipse vovens potest propria authoritate mutare votum tantum in manifeste melius ver. gr. votum Matrimonii in votum Religionis. Episcopus autem potest commutare in materias æquales.

Q. *Quid debet Confessarius attendere habens facultatem commutandi votum?*

R. Quod res, in quam votum permutat, Paliquomodo fit similis rei voto promissæ, non otest fieri commutatio in opera, ad quæ quis ex præcepto tenetur. *Les.*

Q. *An omnia vota suorum subditorum Episcopus commutare potest?*

R. Existente causa potest; Exceptis quinque votis, quæ soli Papæ reservantur, scilicet: Votum intrandæ religionis, castitatis perpetuæ, peregrinationis Compostellam, Hierosolymam, & Romam.

Q. *Ad votum castitatis, ut sit reservatum Pontifici, quæ requiruntur?*

R. 1. Votum tale debet esse perpetuum, perfectum, & absolutum omnimodæ castitatis. Hinc reservatum non est votum castitatis conditionatum, ver. gr. voveo castitatem, si pater morietur; vel ad certum tempus emissum, nisi esset ver. gr. ad 100. annos, quia haberetur pro perpetuo. 2. Non est reservatum votum, non fornicandi, non nubendi, non petendi, nec reddendi debitum, non tangendi mulierem lascive: Votum suscipiendi SS. Ordines, seu Sacerdotii. *Sa*, *Sot.* In dictis ergo votis potest vel commutare, vel dispensare Episcopus.

§. XXII.

§. XXII.

De Dispensatione Voti.

Q. *Quid est Dispensatio?*

R. Est obligationis voti, nomine Dei, per superiorem cum justa causa facta condonatio.

Q. *Quis potest dispensare in votis?*

R. Papa in quocumque voto etiam solemni Religionis. Episcopus potest in votis simplicibus Papæ non reservatis.

Q. *Ergo quinque illa vota Pontifici reservata non possunt ab alio commutari vel dispensari?*

R. Non. Possunt tamen ab illis irritari, qui habent potestatem dominativam in voluntatem voventis. Possunt commutare Episcopi, quando adest gravis causa, & nequit sine periculo animæ expectari dispensatio Papæ. Solet etiam dari in Jubilæo confessariis facultas circa quædam vota.

Q. *Quæ est forma dispensationis?*

R. Si commutationes seu dispensationes fiant a Pontifice vel Episcopo, possunt pro libitu fieri intra vel extra Confessionem, quibuscumque verbis exprimentibus commutationem vel dispensationem. Si autem a confessario tantum privilegiato debet semper esse in Confessione ver. gr. *Ego dispenso tecum in voto N. vel commuto &c.*

Q. *An qui vovit non petere dispensationem a voto, possit petere irritationem, commutationem vel contra?*

R. Potest, quia hæc requirunt diversam potestatem. Si tamen ejus fuerit mens nullam petere deobligationem, si petat, peccat, deobligatio tamen erit valida.

Q. *Quis potest absolvere transgressorem voti?*

R. Qui-

R. Quilibet Sacerdos approbatus, ſed voti obligatio manet. Ut ſi quis contra votum continentiæ fornicetur, abſolvi poteſt a quolibet Confeſſario, ſed voto continentiæ manet obligatus.

§. XXIII.

De Horis Canonicis.

Q. QUid ſint *Horæ Canonicæ?*

R. Sunt preces quædam certis horis juxta Canones Eccleſiæ Deo perſolvendæ.

Q. *Quot ſunt Horæ Canonicæ?*

R. Septem, Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, Completorium; totidem Myſteria Paſſionis Dominicæ denotantes.

Q. *Quando ſunt inſtitutæ Horæ Canonicæ?*

R. Si ſpectentur ſecundum ſubſtantiam, nempe pro precibus, quæ quotidie ſtatutis horis a fidelibus perſolvebantur, credibile eſt, eas ab Apoſtolis emanaſſe. *Act.* 2.

Q. *Unde Horæ Canonicæ dicuntur Officium Divinum?*

R. Quia per illas præſtamus obſequium Deo; vel quia componuntur ex Divinis Literis.

Q. *Horæ Canonicæ unde vocantur Breviarium?*

R. Quia ſunt breve & admirabile S. Scripturæ compendium.

Q. *Quo jure Sacris initiatus obligatur ad recitationem Horarum?*

R. Ex legis Eccleſiaſticæ diſpoſitione, ſeu ex antiquiſſima conſuetudine vim legis obtinente.

Q. *A quo tempore incipit hæc obligatio?*

R. A puncto ſuſcepti Subdiaconatus, & quidem ad horas reſpondentes horæ, qua ordinatur, vel ad horam, quæ in Choro tunc dicenda.

da esset. Quod si horas recitaverit ante susceptionem Ordinis, probabilius tenetur repetere. In Beneficiatis incipit obligatio a die possessionis sui Beneficii.

Q. *Qui obligantur recitare Horas Canonicas?*

R. 1. Clerici majorum Ordinum, etiam si essent ob aliquod delictum suspensi, excommunicati, degradati, etiam qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem. 2. Obligantur etiam Clerici minorum Ordinum, si sint beneficiati, nam beneficium datur propter Officium. 3. Tenentur omnes Religiosi professi ad chorum destinati utriusque sexus.

Q. *Qui habet duplex Beneficium num tenetur propter hoc dupliciter recitare Officium?*

R. Non, sufficit, si faciat tot commemorationes, quot sunt beneficia, seu SS. Patroni Beneficiorum.

Q. *An peccent prædicti si omittant aliquam horam?*

R. Si id ex negligentia faciant, peccant mortaliter. Venialiter autem si unum Psalmum vel Hymnum negligant propter parvitatem materiæ, nisi id sæpius contingat.

Beneficiati ultra peccatum mortale tenentur in conscientia ante quamcunque sententiam restituere fructus correspondentes tali negligentiæ, ut si ver. gr. omiserunt integrum diei Officium, totius diei privantur fructibus, juxta multos tamen possunt tales aliquam partem fructuum ejus diei sibi reservare correspondentem aliis Parochi muniis.

Q. *An illi tenentur ad restitutionem qui Divinum Officium recitant voluntarie absque ulla attentione?*

R. Affirm. Talis enim recitatio est nulla, nonnulli probabiliter oppositum tenent.

Q. *Cui debet fieri restitutio?*

R. Ecclesiæ vel pauperibus.

Q. An

Q. *An omittens integrum Officium unius diei, plura numero peccata committat?*

R. Quia transgreditur unum præceptum habens pro objecto totum Officium, unum peccatum committit. Communis DD. *Matheuc. pag.* 124.

Q. *An sub peccato est obligatio recitandi tempore Adventus vel Quadragesimæ Psalmos Graduales, Pœnitentiales; item Noctur. Defunctor. cum annotatur in directorio?*

R. Non. Qui tamen orant, lucrantur Indulgentias. Bull. Pii V.

Excipiuntur: Officium Defunctor. in Commemoratione Omnium Fidelium, Litaniæ in Festo S. Marci, & diebus Rogationum, quæ expresse præcipiuntur.

§. XXIV.

Quomodo recitandæ sint Horæ Canonicæ.

Q. QUomodo in praxi dicendum est Officium? R. Juxta Rubrum Breviarii competentis, & juxta statuta cujusvis Diœcesis.

Q. *Ad quale Officium tenetur Beneficiatus?*

R. Tenetur ad Officium secundum ritum beneficii loci, ubi residet, tum ut se conformet, tum ut ei Ecclesiæ serviat, de cujus Altari vivit.

Q. *Quid si duplex habeat beneficium?*

R. Vel residet in altero, & debet illius ritum sequi. Vel in neutro, & debet recitare Officium illius Ecclesiæ, in qua majorem habet gradum, & si utrobique sit æqualis, Officium Ecclesiæ dignioris. Et si hæ sint æquales, illius unde majores habet proventus; quod si & hi sint æquales, eligat quod vult.

Q. *Quale Officium tenetur orare ordinatus v. g. Scholas frequentans, vel in Seminario existens?*

R. Pot-

R. Poteſt eligere ritum loci, in quo degit, vel etiam Eccleſiæ ad quam proviſus fuerit.

Q. *Obligatus ad Breviarium Romanum, ſi hoc non habet, an poteſt alio uti?*

R. Alii affirmant. Alii probabiliter negant, tum quia diverſitas Breviariorum inducere poteſt in perturbationem, tum quia Pius V. in ſua Bulla dicit: Non ſatisfieri obligationi, non utendo formula a ſe præſcripta, quas tamen Horas ſcit memoriter, tenetur recitare.

Q. *Qui mutat Officium ver. gr. qui dicit de Sancto cum recitandum eſt de Dominica, quod peccatum committit?*

R. Qui inadvertenter, neque delinquit, neque repetere tenetur. *Leſſ. Sylv. &c.* Si vero data opera, & ſi frequenter Officium in brevius mutet, peccare eum mortaliter docent *Tamb. Suar. Leg.*

Q. *Quod ſi quis per errorem heri recitavit Officium de Sancto, cujus feſtum eſt hodie?*

R. Tenetur iterum de eo hodie recitare, quia error ejus non dat jus invertendi Rubricas. Contrarium tamen eſt probabile.

Q. *An qui pridie recitavit Matutinum & Laudes ſequentis diei ver. gr. feriales, reſciens poſtea ſequenti die celebrari aliquem Sanctum, debet reliquas horas dicere de Sancto vel de feria?*

R. Valde probabile eſt, quod debeat dicere de Sancto, quamvis non repetat Matutinum. Probabile etiam eſt poſſe continuare Officium feriale inchoatum.

Q. *Qua voce recitari debet Officium Divinum?*

R. Privatim recitans ita orare debet, ut ſeipſum audire poſſit.

Q. *Quid ſi orat cum ſocio?*

R. Debet illum audire, alias non ſatisfacit.

Q. *An qui non poteſt dicere, tenetur audire horas?*

R. Non,

R. Non, quia de tali obligatione nullibi conſtat.

Q. *Quo in loco recitandum?*

R. Qui Choro ſunt adſtricti ratione beneficii vel ſtipendii, obligantur ex juſtitia cantare in Choro, qui vero privatim in quocumque loco honeſto poſſunt recitare.

Q. *An poteſt dici Matutinum diei craſtinæ, & Laudes differri in craſtinum?*

R. Affirmative, ſed in fine Matutini debet dici Oratio Feſti, & Pater noſter.

Q. *An inverſio Horarum poteſt fieri licite aliquando?*

R. Affirm. Nam ſi quis Veſperas ante Nonam recitaret, animadverſo errore deberet recitare Nonam abſque repetitione Veſperarum; & ſic de cæteris.

Imo aliquando ſcienter id fieri poteſt abſque ulla culpa etiam veniali, ut ſi quis ver. gr. cum ægroto recitaſſet *Sextam* vel *Nonam*, non recitata *Prima* & *Tertia*, poterit poſt *Nonam* recitare *Primam* & *Tertiam*, non repetendo *Sextam* & *Nonam*.

Similiter veniens tarde ad Chorum poteſt, imo debet proſequi Officium cum Choro, animo poſtea partem omiſſam ſupplendi, ut ſi v. g. veniret ad Matutinum poſt Hymnum vel Pſalmum, aut etiam tardius, debet cum Choro continuare reliqua, & poſtea partem omiſſam ſupplere.

Q. *Debetne ante Miſſam neceſſario recitari Matutinum?*

R. Debet ex communi praxi Eccleſiæ. Si tamen neceſſitas celebrandi immineat, nulla apparet obligatio, ſed ſufficit, ſi poſtea recitetur. *Tamb. Ley. Gav. Burgra.*

Q. *Poſſuntne Horæ interrumpi?*

R. Inter Matutinum, & Laudes, & horas poteſt quælibet fieri interruptio, ſed inter partes

tes horæ fieri non poteſt; ſi fiat ſine cauſa, erit veniale; cum cauſa, nullum erit peccatum.

Ordinarie loquendo: Matutinum, Laudes cum reliquis Horis debent dici ante prandium. Veſperæ cum Completorio poſt prandium.

§. XXV.

De Attentione in recitatione Divini Officii.

Q. Q*Uomodo recitari debet Officium Divinum?*

R. Attente, clare, & devote.

Q. *Quid eſt attentio?*

R. Eſt applicatio animi ad opus quod peragitur.

Q. *Quotuplex eſt attentio?*

R. Duplex: *Interna*, quæ conſiſtit in advertentia ad illud quod fit. *Externa*, quæ conſiſtit in excluſione actionis externæ incompoſſibilis cum attentione interna. Ad recitandum ergo Divinum Officium requiritur attentio interna, & non ſufficit externa.

Q. *Quotuplex eſt attentio interna?*

R. Triplex. Ad *verba* materialiter ſumpta, ad *ſenſum* per verba ſignificatum, & ad *Deum*, quatenus illum colere intendimus.

Q. *In recitatione Divini Officii, quæ ex his eſt neceſſaria?*

R. Eſt neceſſaria ſimpliciter ad Deum & verba materialia, non autem ad ſenſum, alias rudes & Moniales non ſatisfacerent.

Q. *Quo affectu recitari debeat Officium Divinum?*

R. S. Aug. in Pſal. 30. nos docet; *Cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertis ore. Si orat Pſalmus, orate; ſi gemit, gemite; ſi gratulatur, gratulamini; ſi ſperat, ſperate; ſi ti-*

si timet, timete; omnia, quæ hic scripta sunt, speculum nostrum sunt.

Q. *Quid de eo, qui absque ulla attentione recitat Officium Divinum?*

R. Si per notabilem partem distrahitur voluntarie, vel exercet actionem incompossibilem cum oratione, alii eum peccare mortaliter negant, alii probabilius affirmant, quia agit contra Ecclesiæ præceptum in re gravi. *Less. Leg.* Nec facit tunc fructus suos, quia non facit opus præceptum, scilicet devote orare.

Q. *Qui dubitat ob evagationem mentis an aliquid omiserit, habens probabilem conjecturam se dixisse, vel quia proposuit initio attendere, num potest præsumere se dixisse?*

R. Potest, si ex libro, vel memoria cæteroque errare non solita recitavit. Imo melius erit, si non repetat ob vitandas anxias consuetudines & scrupulos, & ut Officium sine perturbatione percurratur.

Q. *Quale sit peccatum cum recitatione Officii Divini conjungere ea, quæ notabiliter non impediunt, v. g. induendi, abluendi?*

R. Veniale si sine causa, alias nullum. *Escob. c. 7.*

Q. *Qui advertenter se occupat aliqua re incompossibili cum attentione interna ver. gr. in scriptione, lectione?*

R. Talis graviter peccat, & præcepto non satisfacit, & tenetur repetere.

Q. *In quibus casibus Sacerdos excusatur a recitatione Divini Officii?*

R. 1. Si a Summo Pontifice dispensetur. 2. Si oblivione vel inadvertentia inculpabili laboret. 3. In infirmitate. 4. In occupatione necessaria, ver. gr. in excipiendis per totam diem Confessionibus, si tamen potest, tenetur prævenire. 5. Si careat Breviario & aliunde habere

non potest. 6. Si per vim ab extrinseco illatam impediatur. 7. Si metu mortis cogatur omittere pensum Officii Divini.

Q. *Si quis non potest recitare Breviarium, an tenetur ad alias preces privatas?*

R. Non; quia illud nulla lex jubet.

Q. *An, qui prævidet se cras non habiturum tempus, tenetur pridie orare?*

R. Cum Gobat. non, nisi Matutinum potest, si vult.

Q. *Quid præterea notandum est circa Divinum Officium?*

R. 1. Quotiescumque sive in Officio, sive etiam extra illud non sequitur post orationem versus *Dominus vobiscum*. *Benedicamus &c.* toties brevi clausula terminari debet eadem oratio, scilicet *Per Christum Dominum nostrum*, vel *Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum*. Secus vero concludi debet nempe longiori conclusione, si post finem orationis sequuntur prædicti versus vel alii. 2. Quando particulariter dicitur tantum ab uno Matutinum vel Completorium, tunc dici debet: *Jube Domine benedicere*, quia tunc non ab homine, sed a Deo postulatur benedictio.

§. XXVI.

De Ritu Officii Divini.

Q. *Quot sunt genera Festorum duplicium?*

R. 4. *Primæ Classis*, quæ Festa nullam de simplici admittunt commemorationem. *Secundæ Classis*, quæ eam admittunt saltem in Laudibus. *Duplex majus*, & *Duplex minus*, sive per annum.

Festa primæ & secundæ Classis Duplicia majora sunt annotata a principio Breviarii ante Tabulam occurrentia. His superaddi solent alia in propriis Regnis, seu Parochiis.

Q. *Ergo in duplicibus primæ Claſſis nulla fit commemoratio?*

R. Nulla, niſi de Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, de die Octava, de Dominica, & Feria majore occurrente, & concurrentibus. Item de Duplicibus 1. Claſſis minus dignis, & de Duplicibus 2. Claſſis concurrentibus in primis & ſecundis Veſperis; de Duplicibus vero aliis, & ſemiduplicibus in ſecundis Veſperis tantum.

In Feſtis duplicibus ſecundæ Claſſis præterea fit & commemoratio Vigiliæ, & ſimplicis, ſi occurrant, in Laudibus; de duplici quocunque ac Dominica primæ & ſecundæ Claſſis in primis Veſperis. De Feſto quocumque minus digno in ſecundis Veſperis concurrentibus. Item de die infra Octavam, ſi ſequente die de ea fieri debeat Officium.

Duplicia majora admittunt omnis generis commemorationes; differunt tamen a duplicibus minoribus, quod his præferantur, & in primo Nocturno Lectiones non habeant de Scriptura occurrente, ſed vel proprias, vel de Communi.

§. XXVII.

De Feſtis Duplicibus, Semiduplicibus, Simplicibus.

Q. PEr *quid Duplicia diſtinguuntur a Semiduplicibus?*

R. In duplicibus Antiphonæ duplicantur. 2. Suffragia in Laudibus, & Veſperis, & Preces in Prima & Completorio omittuntur, quæ in Semiduplicibus ſemper dicuntur, niſi Feſtum ſemiduplex celebretur infra Octavam alicujus Feſti.

Excipiuntur etiam Vigilia Epiphaniæ: Feria

ria ſexta, & Sabbathum poſt Octavam Aſcenſionis, ubi & Suffragia, & Preces omittuntur. Suffragia non dicuntur per totum Adventum, & a Dominica Paſſionis uſque poſt Octavam Pentecoſtes. Poſt Octavam tamen Paſchæ in Semiduplicibus fit commemoratio Crucis.

Q. *Semiduplicia per quid differunt a ſimplici?*

R. Quia Semiduplicia habent 9. Lectiones, 3. Nocturnos, primas, & ſecundas Veſperas exigunt. Simplicia habent tantum unum Nocturnum, tres Lectiones, & primas Veſperas ſolum a Capitulo, terminantur in Nona hora Officii, ſi ſint Feſta SS. Vel habent ſecundas Veſperas tantum, & non primas, ut Feriæ, ſi ſequenti die nullum Officium occurrat.

Q. *Quomodo ordinatur Officium in Feſto ſimplici?*

R. Si Officium currentis diei fuit de feria, incipit Feſtum ſequentis diei ſimplex a Capitulo; ſi vero concurrat Feſtum 9. Lectionum, fit de ſimplici tantum commemoratio.

Invitatorium in Matutino, uti etiam Hymnus accipitur de Communi talis Sancti: deinde dicuntur Antiphonæ & Pſalmi feriæ occurrentis, Verſus de Sancto, Lectiones de Scriptura, una vel duæ; tertia de Sancto, propria, vel Communis. Laudes & Horæ dicuntur uti in Semiduplici uſque ad ſecundas Veſperas excluſive.

Officium ſimplex cedit Officio feriali in Quadrageſima, ſed de eo fit ſolum commemoratio.

Feriale Officium aſſignat Breviarium pro quavis feria.

Q. *Quando dicuntur preces majores flexis genibus in Laudibus, Horis, Veſperis?*

R. In ſolis feriis majoribus, ſcilicet Adventus, Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Vigiliis Sanctorum, quæ jejunantur (excepta Vi-

gilia Nativitatis Domini,) si tunc Officium sit de feria.

§. XXVIII.

De Dominicis.

Q. QUæ *sunt observanda de Officio Dominicæ?* R. Sequentia: 1. Dominicæ aliæ sunt primæ Classis, aliæ secundæ Classis, aliæ Communes, seu per annum.

Dominicæ 1. Classis, quæ & majores, aut etiam privilegiatæ dicuntur, sunt octo, quæ sunt ita privilegiatæ, ut nulli alteri Festo etiam Patroni Titularis cedant.

Dominicæ 2. Classis sunt novem (*videantur omnes in Rubr. Breviarii*) istarum Officium nunquam omittitur, nisi occurrente Patrono, seu Titulari Ecclesiæ, aut ejusdem Dedicatione, quo casu fieret tantum nona Lectio, & commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis, & Laudibus. Sed v. g. si Festum S. Nicolai incidat in Dominicam secundam Adventus, quæ est secundæ Classis; tunc in Ecclesia S. Nicolai deberet dici Officium de S. Nicolao cum commem. Dominicæ.

In reliquis Dominicis per annum occurrente Festo duplici fit tantum commemoratio Dominicæ; exceptis Dominicis Resurrectionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, in Albis, quæ ritu duplici celebrantur.

§. XXIX.

De Octava.

Q. QUid *intelligitur per Octavam?* R. Septem dies subsequentes aliquod Festum principale ab Ecclesia hoc speciali honore condecoratum.

Aliud

Aliud eſt : *Octava*, aliud eſt : *dies infra Octavam*. Per *Octavam* intelligitur dies una, nempe, quæ eſt numero octava, & ſemper eſt duplex ; *dies autem infra Octavam* ſunt ſemiduplices, & ſunt ſex : 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Q. *Octavæ in quot ſunt Claſſibus?*

R. In quatuor. In *Prima* Claſſe eſt Octava Paſchalis & Pentecoſtes, infra quam non fit Officium de ullo Sancto.

In *Secunda* Claſſe : Octava Epiphaniæ, quæ admittit tantum Feſtum Patroni Titularis, & Dedicationis : non tamen in Octava die, in qua celebratur Baptiſmus Chriſti.

In *Tertia* : Octava Corporis Chriſti, quæ admittit duplicia tantum cadentia, & non translata, niſi ſint altioris Ordinis.

In *Quarta* : Sunt reliquæ Octavæ, quæ admittunt quæcunque Feſta etiam ſemiduplicia, cum hac tamen diſtinctione, quod infra Octavam hujus ultimæ ſpeciei : duplicia translata fiant quocumque die ; Semiduplicia vero non transferantur ultra proxime ſequentem diem (ſi occurrant v. g. in Dominica infra Octavam,) quæ ſi fuerit impedita Feſto novem Lectionum, transferuntur poſt Octavam ; ſed ſemiduplicia occurrentia ante Octavam, transferuntur poſt Octavam.

§. XXX.

De translatione Feſtorum.

Quod Feſtum dignius ſit altero, deſumitur partim a ritu Feſtorum ; ſic duplex dignius eſt ſemiduplici ; partim a dignitate perſonæ ; ſic Feſta Domini digniora ſunt B. V. Mariæ, & Feſtis Angelorum ; Feſta Angelorum digniora ſunt Feſtis Apoſtolorum, & hæc aliis omnibus. Si Feſtum v. g. Apoſtoli concurrat cum

Festo v. g. Martyris duplicis; habet utrasque Vesperas integras, nisi Martyr, vel Confessor, vel Virgo solemnius celebretur in aliqua Ecclesia aut Regno.

Dixi: *a ritu Festorum*, quia Festum etiam Virginis si sit primæ Classis, v. g. S. Cunegundis, dignius est Festo Domini minoris ritus, v. g. Transfigurationis; unde si secum occurrant, deberet Transfiguratio transferri.

Q. *Dies Octava cui cedit?*

R. Ordinarie tantum Festis primæ & secundæ Classis; & de ea fit solum commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa.

Q. *Octava dies num aliquando transfertur?*

R. Numquam; nisi sit speciale ad hoc privilegium, uti in Polonia pro S. Adalberto, cujus Festum si contingat transferri, transfertur cum tota Octava. Ideoque si Festum habens Octavam transferatur post Octavam; hoc anno carebit Octava. Si vero transferatur infra Octavam; tot dies habebit Octavæ, quot sunt residui.

Q. *Quid circa translationem Festorum sit observandum?*

R. 1. Transferri possunt, & debent sola Festa duplicia, & semiduplicia. Interdum etiam Dominica anticipanda; sicut & Vigilia in Dominicam, vel Festum primæ Classis incidens. Festum simplex nunquam transfertur; sed si non potest ob ritum altiorem habere commemorationem, hoc anno plane omittitur.

R. 2. Quando duo Festa novem Lectionum occurrunt, unum transfertur in diem non impeditam; Est autem *dies non impedita*, in qua nullum aliud Festum novem Lectionum occurrit.

Dies infra Octavam non est dies impedita respectu duplicium translatorum, nisi sint Octavæ privilegiatæ; ut dictum est §. 29. Semi-

miduplicia infra Octavam talem occurrentia solum in diem immediate sequentem transferri possunt, quæ si impedita fuerit alio Festo novem Lectionum, ultra Octavam transferri debent, v. g. si ob Dominicam semiduplex transferatur; si feria secunda sit impedita, ultra Octavam transfertur. Sic & de nullo semiduplici Festo, quod ultra unam Octavam translatum est, fieri potest infra aliam Octavam.

Q. *Quo ordine & tempore Festa translata celebrari debeant?*

R. 1. Inter translata diversæ Classis, semper dignius in ritu prius celebrandum est. Sic duplex licet posterius cadat, semiduplici præfertur.

R. 2. Inter Festa ejusdem Classis id prius celebrandum est, quod prius tempore translatum fuit; sic inter duo duplicia non est differentia in translatione, licet alias deberet esse in commemoratione.

Cæterum Festa translata eo ritu celebranda sunt, quo fuissent celebrata, si non fuissent translata.

Q. *Quod si occurrant Festa duo eodem die sub una ratione Festi in Calendario Romano, quorum alterum est Patroni, v. g. si in aliqua Ecclesia Patronus sit S. Philippus?*

R. Fiet Officium de Patrono ritu duplici primæ Classis; de S. Jacobo Officio transfertur, & celebratur die non impedita, ritu duplici secundæ Classis, quia hoc ritu Festa Apostolorum celebrantur.

Sed hoc notetur in Officio: Oratio, Lectiones, Evangelium cum Homilia congruant Festo ut pro uno, non pro pluribus fiat Officium, & deficientibus propriis, erit ad Commune recurrendum.

Q. *Si autem Patronus in Calendario ritu simplici celebratur?*

R. Tunc in ea Ecclesia nihil fit de Sociis omissis: sic v. g. in Ecclesia S. Erasmi (secunda Junii) SS. Marcellinus & Petrus nec commemorationem habent.

§. XXXI.

De Tabula Concurrentiæ, & Occurrentiæ.

Q. *Quid sit, occurrere duo Festa?*

R. Occurrere duo Festa dicuntur, quando eodem die de se Officium dici cupiunt, v. g. si Festum S. Joannis Bapt. eodem sit die, quo Corporis Christi.

Concurrere dicuntur, quando duo Festa novem Lectionum, quorum alterum hodie, alterum cras celebrabitur, hodiernas Vesperas exigunt. Cum duo Festa eodem die ab Ecclesia celebrari non soleant, ex illis necessario unum in aliam diem transferri debet. Ex quo

Q. *Quodnam ex illis duobus transferri debeat?* Item *cum de utroque non celebremur Vesperæ integræ, quæritur in concurrentia, de quo celebrandæ?*

R. Hæ quæstiones decidendæ erunt secundum Tabulas Concurrentiæ, & Occurrentiæ in Breviario præmitti solitas.

Q. *Circa modo dictas Tabulas, quæ sunt observandæ Regulæ?*

R. Quatuor sequentes: *prima*: Quandocumque in proprio de tempore, aut Sanctorum reperitur aliqua particularis dispositio, cessant regulæ generales in illis Tabulis vel Rubricis positæ; sicut fit in Festo S. Joannis Evangelistæ, & S. Stephani Protomartyris.

Secunda: Quandocumque dies non privilegiata cum privilegiata occurrit, cessat dispositio generalium Rubricarum de Concurrentia, aut Occurrentia. Hinc quia dies infra Octavam

Pa-

Paſchæ, & Pentecoſtes, Feria quarta Cinerum, & Hebdomada Magna, Vigiliæ Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, omne Feſtum excludunt, fruſtra in eorum Occurrentia ad generales Regulas & Tabulas recurritur.

Tertia: Quandocumque duo Feſta quo ad dignitatem inæqualia occurrunt, debet minus dignum cedere digniori juxta exigentiam illius, ita ut ſi transferri poſſit, omnino transferatur; ſi vero loco affixum ſit, commemorationem tantum habeat, vel ſi Feſti dignitas ſic poſtulet, omnino eo anno omittitur.

Quarta: Quandocumque duo æqualia concurrunt, dividere inter ſe Veſperas debent, de priori Pſalmi, de poſteriore Capitulum cum commemoratione præcedentis.

Obſerva Feſta primæ, & ſecundæ Claſſis: Duplicia majora non dividunt Veſperas, ſed integræ Veſperæ fiunt de digniore, commemoratio de minus digno.

Q. *Quid circa Tabulas Concurrentiæ, & Occurrentiæ melius intelligendas ulterius obſervandum?*

R. Sequentia; *Primo*. Quod in iis ordo ſuperior Feſtorum, aut feriarum ex parte ſiniſtra linea recta poſitus, & alter ex parte dextera obliqua linea poſitus ſignificet Feſta, aut ferias, quæ occurrere, aut concurrere poſſunt.

Secundo: Quod in Tabula *Occurrentium* perinde ſit, ſive Feſtum aliquod aut feria in ſuperiori linea recta, ſive in inferiori obliqua quæratur ut brevi monſtrabitur. In Tabula vero *Concurrentium* ſemper Feſtum aut feria præcedens in ſuperiori recta; ſubſequens vero in inferiore obliqua quærendum ſit.

Tertio: Quod numerus ille ex parte dextera ſignatus, in quo conveniunt, ſignificet, eundem numerum in partis dexteræ linea inferiore per numeros diſtincta quærendum eſſe: is

enim notificabit, de quo Officium dicendum, vel commemoratio facienda, vel translatio suscipienda sit?

Quarto: Quod in eadem linea per numeros distincta: si v. g. dicitur *Officium de primo*, *commemoratio de secundo*. Per *primum* intelligitur Festum in linea recta notatum; per *secundum* vero Festum in linea obliqua indicatum.

Quinto: Quod si interdum in concursu loco numeri littera O. inveniatur, ea significat: nunquam inter duo talia Festa, aut ferias occursum aut concursum fieri posse, cum uno posito, hoc ipso alterum non habeat jus ullum exigendi, ut eo die de se Officium aut commemoratio fiat.

Reliqua Rubrum. Breviarii docebit.

CAPUT SEXTUM.

§. I.

De Censuris in genere.

Q. QUid est Censura?

R. Est pœna Ecclesiastica spiritualis, & medicinalis fori exterioris privans hominem baptizatum delinquentem, ac contumacem usu aliquorum bonorum spiritualium, donec a contumacia recedat.

Q. *Cur dicitur pœna Ecclesiastica?*

R. Quia est juris Ecclesiastici, & per Ecclesiasticam potestatem infligitur.

Q. *Cur apponitur ly spiritualis, & medicinalis?*

R. Quia est medicina delicti, & quia directe & per se primario privat aliquibus bonis spiritualibus.

Q. *Quo-*

Q. *Quotuplicia sunt bona spiritualia?*

R. Alia numerantur bona spiritualia *interna propria* ac *privata*, a quibus vita spiritualis pendet, ut gratia habitualis, virtutes supernaturales infusæ, ad hæc spectat etiam character &c. & his non privat Ecclesia per censuram, cum non subsint illius dispositioni.

Ast bonis spiritualibus publicis & externis, ut sunt jurisdictio, Sacramentorum administratio, & perceptio, item publica suffragia Ecclesiæ, Indulgentiæ, exterior conversatio, quæ in mutuo colloquio, & convictu fidelium consistit, privare potest, & etiam privat invitos.

Q. *Quare in definitione additur fori exterioris?*

R. Quia licet in foro interno conscientiæ pœna interdum esset spiritualis (ut si v. g. Confessarius suspenderet Sacerdotem pœnitentem a celebranda Missa,) tamen quia spectaret ad ejusmodi forum, non requireret jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi, idcirco non veniret intelligenda nomine Censuræ.

Q. *Quotuplex potest esse Censura?*

R. Duplex, *a jure*, quæ per Sacros Canones infligitur. Alia *ab homine*, quæ a Judice per modum sententiæ fertur.

Q. *Iterum quotuplex est Censura?*

R. Duplex; Una *latæ sententiæ*, quæ crimine commisso statim incurritur. Alia *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur nisi post Judicis sententiam. Item alia est *Generalis*, quæ fertur contra totam Provinciam, aut Sectam. Alia *particularis*, quæ imponitur determinatis personis. Alia est *non reservata*, a qua quilibet Sacerdos approbatus absolvere potest. Alia est *reservata*, cujus absolutionem reservat sibi superior Censuram ferens.

Q. *Estne de fide, quod sit in Ecclesia potestas ferendi Censuras?*

R. Est; patet ex *Matth.* 18.

Q. *Degradatio vel depositio estne Censura?*

R. Non; quia etsi pœna sit spiritualis, non tamen medicinalis, sed perpetua, & ob peccatum præteritum etiam emendatum potest infligi, estque pœna vindicativa.

Q. *An cessatio a Divinis?*

R. Nec illa dici potest censura, quia non imponitur per modum medicinæ ad tollendam contumaciam, sed ad propulsandam injuriam Ecclesiæ factam.

Q. *An irregularitas?*

R. Neque illa dici potest censura, quia hæc non est medicinalis, sed tantum impedimentum Canonicum. Unde nec tollitur per absolutionem sicut Censura, sed per dispensationem.

Q. *Quando in Jubilæis vel Privilegiis datur potestas absolvendi a Censuris, num comprehenditur Irregularitas?*

R. Non, nisi expresse addatur.

Q. *Per quid differt absolutio a dispensatione?*

R. Absolutio est sententia remittens delictum vel pœnam. Dispensatio autem est exemptio ab obligatione alicujus legis, qua v. g. prohibetur accipere Ordines, qui aliquem occidit.

Q. *Quid significat ly Anathema?*

R. Penultima syllaba producta, significat aliquod oblatum, vel appensum velut monumentum ad memoriam.

Penultima vero abbreviata, significat separationem, & differt tantum accidentaliter ab Excommunicatione per hoc, quod *Anathema* fiat cum quibusdam cæremoniis ad majorem terrorem. Episcopus enim solemniter aliquem excommunicaturus per *Anathema* induitur ami-

amictu, stola, pluviali, 12. Presbyteri Episcopum circumstant tenentes cereos accensos, tandem humi projiciunt, pedibus calcant, extra Ecclesiam ejiciunt &c.

§. II.

Qui possunt ferre Censuras & in quos.

Q. QUI *habent potestatem ordinariam ferendi Censuras?*

R. De Jure Summus Pontifex, Legati a latere Nuncii, in tota Provincia suæ legationis, Archiepiscopi, Episcopi, & eorum Vicarii, Capitulum Sede vacante, Superiores in Religionibus suis.

Q. *Quibus competit potestas delegata ferendi Censuras?*

R. Omnibus & solis illis, quibus delegata fuerit & commissa ab habentibus potestatem ordinariam. Hæc potestas dari non potest Laicis, neque fœminis.

Q. *Qui ligari possunt Censuris?*

R. Omnes & soli subditi alicui superiori Ecclesiastico v. g. Episcopo. Hæretici possunt ligari, quia per Baptismum subjecti sunt Ecclesiæ.

Q. *Qui non possunt ligari?*

R. Non baptizati, nec Cathecumeni, nec mortui. Papa non potest incurrere Censuram, quia nulli est subjectus.

Q. *Quæ requiruntur ad Censuram incurrendam?*

R. 1. Peccatum mortale actu externo consummato proprium. Potest etiam Censura ferri ob alienum peccatum, quod aliquomodo fit proprium. 2. Contumacia, cum quis sciens aliquam rem esse prohibitam ab Ecclesia sub aliqua Censura, nihilominus eam committit, vel præceptam omittit.

Q. *Quæ*

Q. *Quæ excusant ab incurrenda Censura?*

R. 1. Ignorantia juris, vel facti, dummodo non sit crassa & affectata. 2. Parvitas materiæ, impotentia sive Physica, sive Moralis. 3. Indeliberatio rationis. 4. Imperfectus consensus. 5. Appellatio legitime interposita ad Superiorem post comminationem Censuræ ab inferiori facta, antequam incurratur. 6. Prorogatio termini facta ab eo, qui Censuram tulit. 7. Item voluntas ejus, in cujus favorem lata est Censura.

Dictæ autem conditiones si deerunt, Censuræ latæ in foro Conscientiæ non ligant, verum taliter excommunicati in foro externo ad vitandum scandalum, saltem in publico se gerere ita debent, ac si essent excommunicati, donec nullitas Censuræ judicio sapientum cognoscatur, & hoc vulgo manifestetur. Quod si antequam nullitas publicetur, se ingerant Divinis publice, peccabunt, irregularitatem tamen non incurrent, cum hic actus inobedientiæ non sit perfectus in sua specie.

Q. *Quid est ignorantia juris, & quid facti?*

R. Ignorantia *juris* est, qua ignoratur jus, sive lex, sive sententia Judicis aliquid sub Censura imperantis, vel prohibentis: sic ver. gr. percutit quis Clericum, quia ignorat prohibitum esse. *Facti* ignorantia est, dum ignoratur ipsum opus, aut circumstantia, v. g. scit percutiens esse prohibitum percutere Clericum, sed hunc ignorat esse Clericum.

Ignorantia alia est *Vincibilis*, quæ vinci facile potest adhibita diligentia. Alia *Invincibilis*, quæ vinci non potest, etsi adhibeatur omnis diligentia, v. g. quia nec dubium habet, nec ratio de opposito occurrit, talis ignorantia non est culpabilis.

Alia dicitur vincibilis *Affectata*, qua quis affectat non scire præceptum ut liberius non obser-

observet, idcirco non adhibet sufficientem diligentiam ad resciendum. Alia *Crassa*, quæ oritur ex pura sive nimia negligentia sciendi ea, quæ quis scire tenetur. *Supina* provenit ex nimia sollicitudine ad alia negotia impedientia debitum studium ea sciendi, quæ oportet.

Q. *Quomodo adhuc ignorantia exdividitur?*

R. In *antecedentem*, quæ si non esset, actus non poneretur, sic si Titius scivisset Petrum esse Clericum, eum non percussisset. 2. In *concomitantem*, quæ si non esset, actus positus esset, v. g. Petrus sagittam jecit in Cajum putans esse feram, quod tamen, si scivisset, fecisset, cum eum occidere intendebat. 3. In *subsequentem*, quæ quovis modo sumpta est voluntaria.

Q. *Quæ ignorantia ex dictis excusat a Censura?*

R. Ignorantia invincibilis juris particularis, & *facti*, ut & antecedens excusat ab incurrenda Censura.

Ignorantia invincibilis *Crassa* & *Supina* juris & facti non excusat a censura nisi addatur in Decreto, si *præsumpserint*, *scienter fecerint*. Ignorantia *culpabilis*, *vincibilis*, quæ nec est crassa, nec supina, nec affectata probabilius est, quod excuset; quia Cap. dicto: *Ut animarum*, generaliter asseritur ignorantiam, quæ non est crassa, nec supina excusare ab omnibus sententiis Ordinariorum.

Q. *Censura, quæ fertur contra facientes, committentes aliquod delictum, num cadit supra mandantes vel consulentes?*

R. Non, nisi exprimatur in lege.

Q. *An ligat Censura, dum est injusta extrinsece, id est, quando fertur ab eo quidem, qui habet jurisdictionem, sed fertur ex mala intentione, vel ex odio, vel ex malo modo &c.?*

R. Ligat.

Q. *An aliquis possit sæpius incurrere eandem Censuram?*

R. Potest, si plures ponat causas, propter quas ligatur quis tali Censura, etiamsi causæ essent peccata solo numero distincta, v. g. qui tribus vicibus distinctis percutit Clericum, ter incurrit excommunicationem, & indiget tribus absolutionibus, vel una generali quia singulis causis respondet suus moraliter distinctus effectus, & indiget tolli per plures actiones distinctivas illius.

Q. *Quando quis dubitat an sit ligatus Censura, vel nescit an in eum sit lata Censura, an comprehendat hunc casum &c. nec illud dubium solvere potest?*

R. Judicare debet se non esse ligatum, quia materia est odiosa, ergo extendi non debet.

Q. *Quando dubitat Petrus, an Paulus ligatus sit Censura?*

R. Debet illum habere pro non ligato, quia ipse est in possessione.

Q. *Si quis sciat in se esse latam Censuram, sed dubitat an Superior serio & ex animo tulerit, vel an legitime ab ea appellaverit, vel an sit absolutus?*

R. Debet judicare se esse ligatum, quia possessio est pro Censura.

§. III.

De absolutione a Censura.

Q. QUis a Censuris absolvere potest?

R. A Censuris *a jure* sive *ab homine* si sint non reservatæ absolvere potest quilibet Confessarius in foro conscientiæ. In foro autem externo superior censurati, hoc est Episcopus vel ejus Vicarius &c. Si vero sunt reservatæ, ab eo absolvi debet, tam in foro in-

interno, quam externo, cui ſunt reſervatæ.

A Cenſuris *ab homine* abſolvere poteſt is, qui eas tulit, excepto mortis articulo, in quo quivis Sacerdos etiam degradatus a quibuſvis Cenſuris abſolvere poteſt. Quando autem aliquis abſolvitur extra eam neceſſitatem a non habente abſolvendi poteſtatem exigi debet juramentum ab eo, qui abſolvitur, quod comparere velit, quando poterit coram habente poteſtatem, & ſimul exequatur id, quod ſibi ab illo aſſignatum fuit, quod ſi poſtmodum non comparuerit, incidit in ſimilem excommunicationem.

Q. *Poſſuntne Epiſcopi abſolvere in foro conſcientiæ per ſe vel delegatum ab omnibus Cenſuris occultis Papæ reſervatis etiam in Bulla Cœnæ contentis?*

R. Poſſunt.

Q. *Quæ dicitur Cenſura occulta?*

R. Quæ contracta eſt ob delictum non publicum, nec ad forum contentioſum deductum, vel ſi deductum fuit, a quo reus ob defectum probationis fuit abſolutus; Poſſunt etiam abſolvere quando propter morbum, ſenium, ſexum, pauperiem Pontifex adiri non poteſt.

Q. *Si duo idem delictum commiſerint, & unus tantum vocetur ad judicium, num delictum reſpectu alterius cenſetur eſſe deductum ad forum contentioſum?*

R. Non. Hinc talis poteſt abſolvi ab Epiſcopo.

Q. *Ad tollendam Cenſuram eſtne ſatis, quod cauſa ipſius ſit ablata, vel deſierit contumacia?*

R. Non, ſed præterea requiritur abſolutio. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alex. VII.

Q. *Abſolutus in foro interno a Cenſura ſi non fuerit nominatim excommunicatus, teneturne ſe gerere tanquam cenſuratum?*

R. Non, præſertim ſi conſtet ita eſſe abſolu-

lutum, quia illa absolutio valet ad omnia; præterquam in judicio, ubi lis movetur.

Q. *Poteſtne dari abſolutio ſub conditione de futuro contingenti?*

R. Poteſt quidem cum ſit actus juriſdictionis externæ, qui conditionatus eſſe poteſt. Communiter tamen non expedit ſic abſolvi, ſed ſi reus meretur, abſolute abſolvatur, ſi non meretur, non debet abſolvi.

Q. *Petrus dum verſabatur in alieno Epiſcopatu, contraxit quandam excommunicationem ibidem per ſtatutum impoſitam, poteſtne abſolvi dum redit in Patriam a proprio Epiſcopo?*

R. Non poteſt, quia ratione delicti eſt ſubditus illius Epiſcopi, ubi delictum commiſit, & ab illo ſolo poteſt abſolvi, ita decernitur in jure, ut nonniſi ille Epiſcopus abſolvere poſſit, in cujus Diœceſi deliquit. *Octav. Dia. ex Fabr.*

Q. *Si excommunicatus publice & nominatim dederit ſigna doloris in articulo mortis, & abſolutus ſit a ſimplici Sacerdote, num mortuus poſſit ſepeliri in Loco Sacro?*

R. Habita facultate ab Epiſcopo pro foro externo deberet prius abſolvi ab excommunicatione. Vide Rituale.

Q. *Qui non potuit in mortis articulo abſolvi ab excommunicatione, & ſigna contritionis oſtendit uno tantum teſtante, an poteſt abſolvi poſt mortem in ordine ad obtinendam ſepulturam in Loco Sacro?*

R. Poteſt, non quidem a peccatis, ſed ab excommunicatione, non quidem tunc a quolibet Sacerdote, ut potuit ante mortem, ſed ab eo, cui reſervata fuit excommunicatio.

Q. *Confeſſarius comperiens male abſolviſſe Pœnitentem a Cenſuris, num poterit poſt obtentam licentiam abſolvendi, abſolvere ab illis abſentem?*

R. Po-

R. Poterit, siquidem absolutio a Censuris non solum ferri potest in absentem, sed etiam ignorantem & existentem in peccato mortali, præterea nisi ipsum absolveret, esset in causa, ut pœnitens privaretur Ecclesiæ suffragiis. *Bon. Suar. Nav. Fil. &c.*

Q. *Nonne interdum præmitti solet absolutio a Censuris etiamsi nulla adsit suspicio Censuræ contractæ?*

R. Solet sub his terminis: *Absolvo te a vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti in quantum possum & tu indiges*, & hoc ad vitandam irreverentiam, si forte pœnitens in occulta esset Censura, vel ad vitandam irregularitatem, in eadem suppositione si pœnitens ordinandus esset, vel ad vitandam invaliditatem, si pœnitenti conferendum esset Beneficium Ecclesiasticum.

Q. *Impetrans absolutionem ex falsa causa ab excommunicatione, an valebit absolutio?*

R. Non; quia tunc eum Judex non censetur velle absolvere.

§. IV.

De Censuris in particulari.

Q. QUot sunt species Censurarum?

R. Tres. Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

Q. *Quid est excommunicatio?*

R. Est Censura, per quam quis privatur communione Ecclesiæ, id est communibus Ecclesiæ bonis vel omnibus vel aliquibus.

Q. *Poteştne Sacerdos ex privata intentione orare pro excommunicato?*

R. Potest.

Q. *Quomodo dividitur excommunicatio?*

R. In Majorem & Minorem.

Q. *Cur vocatur major?*

R. Quia reſpective ad alteram majorem requirit cauſam & quia majoribus privat bonis. Uti activa & paſſiva Sacramentorum participatione. Item ſuffragiis Eccleſiæ, electione tam activa quam paſſiva ad beneficia, liberat ſubditos ab obedientia, quod non obligentur Dominis tunc inſervire, poſſunt tamen, ut inferius patebit: Eoſdem a teſtimonio perhibendo & actoratu repellit, Eccleſiaſtica ſepultura ſpoliat &c.

Q. *Excommunicatus excommunicatione majori quotuplex datur?*

R. Duplex. *Toleratus*, quem fideles non tenentur vitare, & tales tolerati ſunt omnes, qui non excommunicantur publice ac nominatim, ſed in genere, uti Hæretici. Et *non toleratus*, quem tenentur vitare. Et quidem poſt *Concilium Conſtan.* Non tolerati ſunt hi tantum, 1. Notorius Clerici percuſſor. 2. Quivis nominatim excommunicatus.

§. V.

De excommunicatione Minori.

Q. *Quid eſt excommunicatio Minor?*

R. Eſt Cenſura Eccleſiaſtica privans aliquem paſſiva Sacramentorum participatione, & electione paſſiva ad dignitates & beneficia Eccleſiaſtica. Hi duo ſolum effectus ſunt excommunicationis minoris, a qua omnis Sacerdos approbatus abſolvere poteſt.

Q. *Quare dicitur minor?*

R. Quia eſt pars majoris, & quia minores effectus habet, quam excommunicatio major, vel quia ob minus peccatum incurritur.

Q. *Ob quam cauſam incurritur minor excommunicatio?*

R. Cum

R. Cum quis communicat cum excommunicato excommunicatione majori denuntiato, vel publico percussore Clerici.

Q. *Poteſtne per communicationem cum excommunicato majori excommunicatione, incurri etiam ipſa major excommunicatio?*

R. Poteſt, ſi quis communicaret cum contemptu clavium, vel in ipſo crimine, ob quod aliquis eſt excommunicatus; vel cum excommunicato a Papa.

Q. *Gravatus minori excommunicatione an licite aliis poteſt conferre Sacramentum?*

R. Poteſt, quia tantum a paſſivo Sacramentorum uſu remotus eſt. Idem poteſt alios abſolvere ab excommunicatione minori. Hinc ſi ſuſciperet aliquod Sacramentum, peccaret quidem, non tamen fieret irregularis.

Q. *In jure nomine excommunicationis ſimpliciter, quæ venit intelligenda?*

R. Excommunicatio major.

§. VI.

De effectibus excommunicationis majoris.

Q. *Quotuplices ſunt effectus excommunicationis majoris?*

R. Duplices, mediati ſeu remoti, uti irregularitas, quam excommunicatus incurrit exercendo actum alicujus ordinis. 2. Si toto anno in excommunicatione contumaciter perſiſtat, ſive intumeſcat, fit ſuſpectus de hæreſi, & contra eum, ut talem procedi poteſt. Trident. Seſs. 25. Cap. 3.

Immediati effectus ſunt: 1. Privat ſuſceptione Sacramentorum, unde excommunicatus ſive *Toleratus*, ſive non toleratus non poteſt licite recipere Sacramenta ſub mortali, niſi excuſet ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ,

miæ, jactura bonorum &c. quia censura non obligat sub tanto rigore.

2. Privat communibus Ecclesiæ suffragiis, publicis orationibus & fructu Indulgentiarum, non tamen privatis.

3. Privat tam participatione *activa* Sacramentorum, id est administratione, quam *passiva* id est receptione eorundem.

4. Privatio usus, Officiorum Divinorum, ita ut non tantum eorum careat fructu, sed etiam sub mortali iis nequeat interesse, nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali, aliave justa causa.

5. Collatio beneficii facta excommunicato nulla est, scilicet præsentatio vel electio, institutio, & confirmatio, sicut etiam collatio, præsentatio &c. facta ab excommunicato est invalida.

6. Privat communicatione Forensi. Unde excommunicatus nequit esse judex, advocatus, procurator, licet pro se ipso respondere possit: Actor, Tabellio, testis.

7. Non *Toleratus* privatur Ecclesiastica sepultura, & si sepeliretur in loco Sacro, & corpora discerni possint, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi possunt, ante reconciliationem.

Q. *Cur dicitur non toleratus?*

R. Quia Ecclesia non polluitur etsi Hæreticus, non speciatim denuntiatus in ea sepeliatur, ut docet *Suar. Lay. &c.*

1. Privatur omni alia civili communicatione fidelium, ita ut ipse non possit cum aliis, etsi sit *non toleratus*, etiam alii cum ipso non possunt communicare, idque in casibus hoc versu comprehensis.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Q. *Quid*

Q. *Quid intelligitur per dicta?*

R. Per *Os*, intelligitur omne colloquium amicabile, etiam privatum per nutus, literas &c. *Orare*, hoc eſt communicatio in divinis. *Vale*, quod comprehendit omnem ſalutationem verbo vel ſigno, vel amplexu &c. *Communio*, quæ comprehendit contractum (qui tamen validus eſſet, ſi fiat,) cohabitationem, ſocietatem, nec iter cum eo facere licet. *Menſa*, per quam intelligitur omnis convictus, & convivia per modum ſocietatis & commercii.

Q. *In quibus caſibus licet cum non tolerato converſari ſeu communicare?*

R. In his: *Utile*, *lex humilis*, *res ignorata*, *neceſſe*.

Q. *Quid intelligitur per iſta?*

R. *Utile* in caſu utilitatis ſive ſpiritualis ipſius excommunicati, ut convertatur, ſive alterius ut ab excommunicato conſilium petat, quod ab alio habere non poteſt, ſive etiam utilitatis temporalis, ver. gr. ut ab eo debitum reſtituatur. *Lex* in caſu legis Matrimonialis: Uxor cum excommunicato Marito communicare poteſt. *Humilis* in caſu ſubjectionis ſervitii, ſic filii parentibus, ſervi Dominis excommunicatis communicare poſſunt, ſi ante excommunicationem fuerint in ſervitio. *Res ignorata* in caſu ignorantiæ juris vel facti. *Neceſſe*, in caſu neceſſitatis ſive animæ ſive corporis.

Q. *Excommunicatus vitandus, ſeu non toleratus ſi monitus nolit exire de Eccleſia tempore Miſſæ num incurreret aliquam aliam pœnam?*

R. Incurrit excommunicationem Papæ reſervatam. *Cap. Eoſ. Sent. excom. & Clem. II. eod. lit.*

Q. *Excommunicatus profugit ad Eccleſiam, & ibi hæret ne capiatur non attendens ad divina, poteſtne ibi Miſſa celebrari, & ab aliis audiri?*

R. Pot-

R. Poteſt, quia non cenſetur communicare illis in divinis. *Dicaſt. n. 694.*

§. VII.

De percuſſione Clericorum.

Q. *QUomodo intelligenda eſt excommunicatio percuſſionis Clericorum?*

R. Ea ſic ſonat: *Si quis ſuadente diabolo in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum præſumat illum abſolvere.*

Dicitur 1. *Si quis*, intelligitur cujuſvis ſexus, perſona rationis & doli compos. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, conſulentes, conſentientes, non impedientes, ſi ex Officio aut juſtitia teneantur, ut Reges, Judices; item Patres, Tutores, Heri, Pædagogi, Parochi &c. quibus aliorum cura demandata eſt.

Dicitur 2. *Clericum* intelligitur omnis prima ſaltem Tonſura initiatus, etiamſi conjugatus (dummodo cum unica Virgine) & deferat habitum, ſerviatque alicui Eccleſiæ, etiamſi eſſet excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus.

Dicitur 3. *Monachum*, intelligitur quivis Religioſus, etiam Laicus, Converſus, Novitius utriuſque ſexus. Item Tertiarius S. Dominici & S. Franciſci ſi geſtent habitum, & vivant in communitate. Item Eremitæ ſubjecti alicui regulæ vel ſuperiori.

Dicitur. 4. *Manus injecerit*, per quod intelligitur quævis contumelioſa actio exterior mortalis, contra honorem & reverentiam ſtatui ſpirituali debitam.

Nota: Injuria factis, non verbis irrogata, Cenſuram concludit. Ita *Matheuc.* pag. 38.

Q. *An ad incurrendam Cenſuram Canonis excuſat parvitas materiæ?*

R. Aſ-

R. Affirm. ut ergo Censura incurratur, percussio non levissima esse debet; sed *levis* seu *mediocris*, aut *gravis*, seu *enormis*.

Levis percussio secundum *Extravag.* ea declaratur quæ facta manu, pede, lapide nullam relinquit cicatricem, nec dentes effringit, nec multos evellit crines, nec sanguinis copiam facit, licet parum fluat; ita percutientes possunt ab Episcopo absolvi.

Gravis, seu *enormis* percussio erit, si Clericum graviter vulneret, mutilet, enormiter percutiat ad copiosam sanguinis effusionem: si aspergat luto, copiam capillorum evellat, vestem ei laceret, pallium, pileum de capite rapiat, violenter in carcere detineat: manus violentas injiciat in equum, cui insidet, quæ actio licet sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris, si occidat. Et talis a Summo Pontifice debet absolvi.

Q. *An percussio, quæ alias secundum substantiam esset levis, fieri possit gravis?*

R. Affirm. 1. v. g. ratione *loci*, uti si percutiatur Clericus ministerio Altaris occupatus, sive in Choro, in Processione, aut alio publico loco.

2. Ratione Personæ, v. g. si sit Episcopus, Prælatus, aut alias in dignitate Ecclesiastica constitutus. Cæterum judicium relinquitur Episcopo, quæ sit, aut non sit enormis injuria.

Q. *In quibus casibus ob percussionem Clerici Censura non incurritur?*

R. *Primo*: Dum trudit mulier Clericum volentem eripere pudicitiam, si non potest eundem verbis repellere.

Secundo: Dum quis vestes aliasve res non indutas lacerat, quia non infert violentiam Personæ Clerici.

Tertio: Dum quis percussit Clericum ad de-

fendendum se, vel vitam suam, Uxoris, Parentum, Filiorum, vel res suas, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Quarto: Dum fortuito casu, & non ex deliberatione, vel dum non agnoscitur, vel solum per jocum, vel ad ludum percutitur Clericus, quia non fit violenter, nec suadente diabolo.

Quinto. Cum ex Officio, Magister vel Prælatus corripit, nam tunc fit suadente justitia & charitate.

Q. *Si quis percutiat v. g. Studiosum habentem Clericalem habitum, putans se percutere Clericum, estne excommunicatus?*

R. Non, quia non excommunicatur quis propter intentionem, sed propter factum. Hinc percussus debet omnino saltem prima tonsura esse initiatus.

Q. *Si quis percutiat Clericum putans esse Laicum, an hic incidit in Canonem?*

R. Non, quia excusat eum ignorantia facti, neque tunc censetur esse contumax, nam si sciret, desisteret, unde in foro conscientiæ manet liber a Censura.

Q. *Incurritne excommunicationem, qui percutit Petrum Clericum, putans illum non esse Petrum, sed Paulum similiter Clericum?*

R. Affirm. Tum quia nulla ignorantia excusat in tali casu, cum habeat intentionem percutiendi Clericum, & revera percutit, licet credat esse alium Clericum. *Bon. San. Dian. &c.*

Q. *Percutiens plures Clericos, in petenda absolutione debetne numerum ipsorum exprimere?*

R. Debet, alias petitio esset subreptitia. Pluribus enim excommunicationibus numero distinctis ligatur. *Gloss. in Cap. cum pro causa.*

§. XVIII.

§. VIII.

De Suspensione.

Q. QUid est Suspensio?

R. Est Censura Ecclesiastica, qua prohibetur vel arcetur Clericus ab aliquo actu Ecclesiastico alias sibi conveniente.

Ex qua definitione patet, quod subjectum suspensionis est solus Clericus, quia solus ipse est capax actus Ecclesiastici.

Q. *Qui possunt suspendere?*

R. Ii, qui possunt ferre Censuras.

Q. *Quotuplex est suspensio?*

R. Triplex. *Prima* ab Officio tantum, qua privatur Clericus usu Ordinis, & potestatis spiritualis. *Secunda* a Beneficio tantum, qua Clericus privatur administratione, & fructibus sui Beneficii. *Tertia* ab utroque simul, qua privatur & potestate spirituali, & fructibus temporalibus.

Alia suspensio est *Totalis*, quæ privat omni actu Ordinis, & perceptione omnium fructuum. Alia *Partialis*, quæ privat aliquo tantum actu Ordinis, ut est suspensio a Confessionibus.

Q. *Quotuplex adhuc est Suspensio?*

R. Duplex. *Determinata*, quæ ad certum tempus privat Clericum Officio, aut Beneficio, quo elapso statim cessat absque ulla absolutione. Altera *Indeterminata*, quæ privat sine temporis præscriptione, ac proinde durat donec per absolutionem tollatur. Alia Suspensio est a *Jure*, alia ab *Homine*, alia *Latæ*, alia *Ferendæ* sententiæ, ut dictum est de Censuris.

Q. *Quot modis contrahitur Suspensio?*

R. Quatuor. *Primo*. In Ordinatione indebita. *Secundo*. Propter exercitium illicitum Ordinis.

dinis. *Tertio*. Propter defectus aliquos commissos circa munera ad Clericum spectantia. *Quarto*. Propter peccata a Clerico commissa.

Q. *Quot sunt Suspensiones quæ contrahuntur a Clericis in ipsa ordinatione peccantibus?*

R. Duodecim. Suspenduntur recipientes Ordines ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui. *Secundo*. Recipientes ab alieno sine licentia proprii. *Tertio*. Recipientes a proprio Episcopo in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii. *Quarto*. Recipientes ab excommunicato, vel suspenso. *Quinto*. Recipientes Ordines ante legitimam ætatem. *Sexto*. Extra tempora sine dispensatione. *Septimo*. Non servatis interstitiis. *Octavo*. Ordinati cum ficto Titulo. *Nono*. Promoti per saltum. *Decimo*. Ordinati post matrimonium ratum. *Undecimo*. Si sint excommunicati, vel suspensi, aut interdicti. *Duodecimo*. Si quis vacante Episcopatu non habens beneficium saltem infra annum cum Litteris Dimissoriis a Capitulo receptis ordinetur in Sacris.

Q. *Quot sunt suspensiones, quæ incurruntur propter exercitium Ordinis?*

R. Quatuor. Suspenduntur, qui utuntur Ordine aliquo in loco interdicto. *Secundo*. Celebrantes coram excommunicato, vel interdicto, vel eundem admittentes ad Divina, aut ad sepulturam Ecclesiasticam. *Tertio*. Admittentes ad sepulturam usurarios publicos. *Quarto*. Parochi jungentes vel benedicentes sponsos alterius Parochiæ sine licentia Parochi sponsorum.

Q. *Quot sunt Suspensiones, quæ incurruntur propter defectus circa munera ad Clerum spectantia?*

R. Quinque. *Primo*. Suspenduntur abutentes vestibus a jure statutis & præceptis. *Secundo*. Gravantes Ecclesiam sibi commissam debitis alienis. *Tertio*. Rapientes bona Prælati defuncti non habito jure. *Quarto*. Eligentes indignos ad curam

ram animarum. *Quinto*. Non servantes Constitut. Innocent. IV. in visitatione Ecclesiarum.

Q. *Quot sunt Suspensiones, quæ incurruntur a Clericis propter peccata ab iis commissa?*

R. Sex. Suspenduntur Clerici, *Primo*. Recipientes Ordines simoniace. *Secundo*. Recipientes Ordines a Simoniaco licet non simoniace, nisi ipsos excuset ignorantia. *Tertio*. Sponte jurantes de tenendo Schismate. *Quarto*. Provocantes ad duellum, vel acceptantes ab alio oblatum, aut pugnantes. *Quinto*. Raptores, aut præstantes auxilium, aut consilium raptui, ipso facto incurrunt suspensionem.

Q. *Qui, & quot sunt casus, propter quos Regulares Clerici incurrunt Suspensionem a jure latam?*

R. Septem. *Primo*. In Apostasia recipientes Sacros Ordines. *Secundo*. Non professi recipientes Ordines. *Tertio*. Non utentes habitu Religionis suæ. *Quarto*. Admittentes ad Professionem Novitios ante annum probationis. *Quinto*. Introducentes fœminas intra claustra Monasterii. *Sexto*. Usurpantes Decimas sibi non convenientes. *Septimo*. Qui non monent pœnitentes de solvendis Decimis.

Q. *Quomodo peccant illi, qui violant Suspensionem?*

R. Peccant mortaliter, nisi levitas materiæ excuset. Insuper violantes Suspensionem per exercitium solemne Ordinis Sacri incurrunt Irregularitatem.

§. IX.

Casus particulares de Suspensione.

Q. *SUspensus a Beneficio potestne eligere, præsentare, conferre beneficium?*

R. Potest, quia etsi hæc jura competant illi

 ratione

ratione Beneficii, actus tamen illi non sunt Beneficii præcise ut sic, sed potius Officii, seu jurisdictionis. Suspensus absolute intelligi debet ab Officio & Beneficio.

Q. *Suspenso v. g. Capitulo vel Conventu num censentur suspensi singuli?*

R. Non, nisi sint in culpa.

Q. *Enumeret nonnullos casus in quibus violans Censuram incurrit Irregularitatem, vel ne?*

R. *Primo*. Exercens actum alicujus Ordinis Minoris, vel etiam Majoris non solemniter, nec ex Officio administrando non fit Irregularis, communiter Doct. *Secundo*. Neque exercens actus solius jurisdictionis, qui non sunt conjuncti cum actibus Ordinis. *Tertio*. Suspensus ab Ordine fit irregularis benedicendo aquam, cereos, fructus, nuptias, aut mulierem post partum. Non tamen benedicendo mensam. *Quarto*. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ fit Irregularis celebrando in ea, vel in Cæmeterio, secus si alibi celebraret. *Quinto*. Suspensus ab administratione Sacramentorum non fit irregularis illa suscipiendo. *Sexto*. Suspensus a susceptione Sacramentorum, si suscipit, peccat mortaliter, non tamen fit irregularis, quia suscipere non est actus Ordinis. *Sylv. Septimo*. Suspensus ab officio prædicandi, si prædicet, non fit irregularis, sed peccat, & puniendus est, secus si prædicet solemniter. Et ex suo Officio, sicut tenentur prædicare Episcopi, & Parochi. *Nav. Octavo*. Suspensus a Beneficio non fit irregularis recipiendo fructus Beneficii, quamvis peccet contra justitiam usurpando illos, ad quos non habet jus ob Censuram Suspensionis. *Bon.*

Q. *Suspensus a proprio Episcopo, an incurrit irregularitatem, si v. g. celebret in alio Episcopatu?*

R. Affirmat. quia Suspensio, in qua celebrat,

brat, afficit personam, non respicit locum, imo nec poterit tolli, nisi cum authoritate sui Episcopi. Commun. DD.

Q. *Si quis excommunicatus ante sententiam bona fide appellavit, & Judex nihilominus pergat, an si talis celebret fiat irregularis?*

R. Non, attamen tenetur se ita publice gerere ut censuratus.

§. X.

De Depositione, & Degradatione.

Q. QUid est Depositio?

R. Est pœna Ecclesiastica ex se perpetua, & vindicativa privans Personam Ecclesiasticam ob crimen, omni Officio, & Beneficio, retento solo Canonis & Fori Privilegio.

Q. *Quid est Degradatio?*

R. Est privatio Officii & Beneficii simpliciter, & in toto sine spe restitutionis facta cum solemnitate certa, & privatione Privilegii Clericalis Fori & Canonis, ut sæculari foro tradatur, & talis Degradatio dicitur realis Depositio.

Q. *Degradatio & Depositio suntne Censuræ?*

R. Non, quia sunt pœnæ perpetuæ, Censuræ autem sunt pœnæ ad tempus. Subjectum harum pœnarum est idem, quod & Suspensionis, scilicet Clericus tum Minorum, tum Majorum Ordinum.

Q. *Ob quas causas feruntur hæ pœnæ?*

R. Depositio imponi solet ob adulterium, stuprum, incestum, furtum, perjurium, homicidium etiam solo consilio perpetratum &c.

Scelera vero ob quæ Degradatio imponi solet sunt: hæresis manifesta, sollicitatio ad turpia in

Confessione, sodomia, homicidium Regis, aut Episcopi.

Q. *An Degradatus, & Depositus teneatur ad Horas Canonicas, & ad votum castitatis?*

R. Affirmat. quia Ordo ab illis non tollitur, sed solum executio Ordinis, nisi ad tales pœnas darentur, in quibus illis foret impossibilis recitatio, v. g. si darentur ad Triremes, vel in tenebroso carcere detineantur.

Q. *Si degradatus celebraret?*

R. Gravissime peccaret, sed valide consecraret. *S. Thom.* &c.

§. XI.

De Interdicto.

Q. QUid *est Interdictum?*

R. Est Censura Ecclesiastica Sacramentorum quorumdam usum, Divina Officia, & Sepulturam Ecclesiasticam prohibens.

Q. *Quotuplex est Interdictum?*

R. *Locale*, quo solus interdicitur, ne in eo Officia divina fiant. Aliud *Personale*, quo prohibetur populus, vel aliqua Persona particularis audire Divina Officia ubicumque sit. Et *Mixtum*, quo interdicitur locus, & Persona.

Locale subdividitur in *Generale*, quo interdicitur locus universalis, ut Regnum, Provincia, Parochia. Et in *Particulare*, quo interdicitur aliqua Ecclesia certa, cum qua semper comprehenditur Sacellum, & Cœmeterium contiguum, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Aliud est Interdictum *Partiale*, aliud a *Jure*, aliud ab *Homine*, prout dictum est superius de aliis Censuris.

Q. *Per quod differt ab Excommunicatione Interdictum?*

R.

R. Quia illa ultra plura quibus privat etiam humana & politica communicatione, hoc autem non sic. Insuper illa contra nocentes fertur. Hoc autem & innocentes afficit, etsi indirecte & per accidens, quatenus inter eos, qui directe interdicti sunt, morantur.

Differt a *Suspensione*, quia hujus Censuræ subjectum est solus Clericus. *Interdictum* vero ferri potest etiam in Laicos. Quando interdicitur Clerus, non eo ipso interdicitur & plebs communis, quia sunt distinctæ Communitates.

Q. *Ad hoc ut Interdictum juste feratur, quale delictum requiritur?*

R. Mortale, & maxime dum est Interdictum *Locale*, aut *Personale Generale*, cum enim per hoc etiam innocentes puniuntur, requiritur gravissima culpa cum contumacia commissa ab omnibus, vel etiam a Capite aut a præcipuis membris.

Q. *Quot sunt effectus Interdicti?*

R. Tres. Prohibitio activi & passivi usus aliquorum Sacramentorum. Dixi *aliquorum*, nam interdicti possunt baptizari, confirmari, pœnitentiam agere, imo in articulo mortis & Eucharistiam sumere, non tamen ordinari, aut Extremam-Unctionem suscipere. *Secundus*. Prohibitio Divinorum Officiorum, nempe Sacrificii Missæ, Horarum Canonicarum, ne publice cantentur. Item prohibentur benedictiones solemnes, & alia Officia a Ministris Ecclesiæ fieri solita. *Tertius*. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ.

Q. *Quomodo peccant, qui violant Interdictum?*

R. Si sint Laici, peccant mortaliter violando Interdictum Personale. Si autem violaverint Interdictum Locale, peccant venialiter, dummodo ipsi personaliter non sint interdicti. Clerici vero ultra peccatum incurrunt irregu-

laritatem, maxime si illud violent per actum Ordinis, v. g. celebrando in Ecclesia interdicta. *Bened. XIV. de Sacrif. C. 3.*

§. XII.

De Cessatione a Divinis.

Q. *Quid est Cessatio a Divinis?*

R. Est Ecclesiastica Prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo loco a Divinis Officiis, & Sacramentorum administratione, nisi quatenus eam necessitas postulat. Differt ab *Interdicto Locali*, quia Cessatio non est Censura, neque proprie dicta poena, sed simplex prohibitio Divinorum, in signum gravissimi moeroris ab Ecclesia recepti ob gravissimam injuriam sibi, vel honori Divino illatam, v. g. ob notabiliter violatam immunitatem Ecclesiasticam. Et is ferre potest, qui & Censuras.

Q. *Violans cessationem sive particularem, sive Generalem, quam poenam incurrit?*

R. Peccat mortaliter, non fit tamen irregularis, cum non sit Censura.

Q. *Tempore cessationis quae sunt licita?*

R. Possunt sepeliri corpora Clericorum, imo secundum nonnullos etiam Laicorum; Pulsari potest campana ter de die pro Salutatione Angelica, & ad audiendam Concionem. Potest administrari Baptismus, Confirmatio & Poenitentia. Eucharistia potest portari ad Infirmum cum campanula. Singulis hebdomadis potest fieri Missa ad renovandam SS. Eucharistiam.

§. XIII.

De Irregularitate.

Q. QUid *est Irregularitas?*

R. Est impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum impediens.

Q. *Cur dicitur Impedimentum Canonicum?*

R. Quia irregularitas est inducta jure Canonico. Unde fœmina aut non baptizatus, non sunt proprie irregulares in ordine ad suscipiendos Ordines, quia non sunt impediti jure Ecclesiastico, sed Divino.

Q. *Irregularitas estne Censura?*

R. Non, quia Censura cum sit pœna, necessario præsupponit culpam. Irregularitas vero est, purum impedimentum, non necessario præsupponens culpam, nam si aliquando requirit culpam, ut est Irregularitas ex *delicto* non fertur tamen ut pœna, sed tanquam impedimentum proveniens ex delicto.

Q. *Quotuplex est Irregularitas?*

R. Duplex. *Totalis*, quæ privat omnis Ordinis susceptione, & suscepti exercitio. Et *Partialis*, quæ impedit alicujus tantum susceptionem, aut suscepti exercitium, ut v. g. carens oculo sinistro, est quidem inhabilis ad Sacerdotium, non tamen ad alios Ordines.

Q. *Quotuplex est adhuc Irregularitas?*

R. Duplex. Una ex *delicto*, quæ incurritur propter aliquod delictum in jure expressum. Alia ex *defectu*, quæ est a jure imposita ob indecentiam, quam talis & talis defectus affert Sacro Altari, & Ministerio.

Q. *Quot sunt delicta, ex quibus contrahitur Irregularitas?*

R. Sunt septem. *Primo.* Iteratio Baptismi volun-

taria, & absoluta. *Secundo*. Violatio Censuræ in susceptione vel exercitio Ordinum. *Tertio*. Indebita susceptio Ordinis, puta furtive, aut per saltum. *Quarto*. Exercitium illius Ordinis, quem non habet, v. g. si Diaconus Missam celebraret. *Quinto*. Hæresis vel Apostasia quæcumque a fide. *Sexto*. Incurritur irregularitas ex delictis infamibus, seu infamiam inducentibus, sive illa infamia sit imposita a jure Canonico, sive a jure Civili. *Septimo*. Etiam contrahitur ex homicidio injusto & mutilatione alterius, vel etiam sui ipsius.

Q. *Quid requiritur ad hoc, ut irregularitas ex delicto incurratur?*

R. Requiritur actus externus consummatus & mortalis.

Q. *Quot sunt defectus ob quos incurritur irregularitas?*

R. *Primo*. Defectus animæ. *Secundo*. Corporis. *Tertio*. Natalium. *Quarto*. Ætatis. *Quinto*. Sacramenti. *Sexto*. Libertatis. *Septimo*. Bonæ famæ. *Octavo*. Lenitatis.

Q. *Qui sunt Irregulares ex defectu animæ?*

R. *Primo*. Illiterati, qui scientia ad talem Ordinem carent requisita. *Secundo*. Usu rationis carentes, ut sunt perpetuo amentes, lunatici, arreptitii, epileptici, qui si antea ordinati sunt, & per annum eo morbo non laborarunt, permittitur illis Exercitium Ordinum, quia præsumuntur liberati. *Tertio*. Neophyti, hoc est recenter ad fidem conversi.

Q. *Qui sunt irregulares ex defectu corporis?*

R. *Primo*. Cæci, surdi, & similes ad exercitium Ordinis inepti. *Secundo*. Carentes pollice, indice, aut oculo sinistro. *Tertio*. Enormiter mutilati, aut alio quocumque modo defectuosi, monstrosi. *Quarto*. Hermaphroditi, qui de utroque sexu participant.

Q. *Qui sunt irregulares ex defectu Natalium?*

R. Il-

R. Illegitime nati, de quo jam superius dictum est.

Q. *Qui sunt irregulares ex defectu ætatis?*

R. Omnes illi, qui non habent ætatem ab Ecclesia præscriptam in ordine ad suscipiendos Ordines, quæ irregularitas cessat adveniente termino ætatis, aut dispensatione Papæ. Quæ autem ætas ad singulos Ordines requiritur, dictum est ubi de Ordine.

Q. *Qui sunt irregulares ex defectu Sacramenti?*

R. *Bigami*, qui inito pluries Sacramento Matrimonii carnem suam dividunt in plures uxores, propter quod non repræsentant perfecte unionem Christi cum Ecclesia.

Q. *Quid est bigamia?*

R. Est Matrimonii multiplicatio.

Q. *Quotuplex est bigamia?*

R. Triplex: *Vera*, *Interpretativa*, & *Similitudinaria*.

Vera est tunc, quando quis plura Matrimonia successive contraxit, & consummavit.

Interpretativa habetur, quando quis Matrimonium validum contraxit cum una quidem sed Vidua, vel corrupta ab alio, talis enim, ac si cum pluribus contraxisset.

Similitudinaria habetur, quando quis constitutus in Sacris, aut in religione professus contraxit Matrimonium, & consummavit sive cum Virgine, sive non; talis enim per votum contraxit solemne Matrimonium cum Christo, unde Matrimonium contrahens evadit similis ei, qui carnem suam in plures divisit.

Q. *Qui sunt irregulares ex defectu bonæ famæ?*

R. Illi, qui exercent aliquam artem, cui annexa est ex jure infamia, uti Histriones, Circulatores, Mimi, Comædi, filii publicæ meretricis, damnati ad Triremes &c.

Q. *Qui sunt irregulares ex defectu libertatis?*

R. Man-

R. Mancipia, Conjugati, Curiales, & alii reddendæ rationi Bonorum alicujus obnoxii.

Q. *Ergo Conjugatus utpote irregularis non potest licite ordinari?*

R. Potest, & quidem sine ulla dispensatione, sed cum consensu uxoris. Ipsa autem tenetur emittere votum castitatis, vel Religionem ingredi. Viro autem sic ordinato mortuo, uxor superstes non posset valide, nec licite contrahere cum alio, sic enim Ecclesia statuit propter reverentiam Ordinis S.

Q. *Qui sunt irregulares ex defectu lenitatis?*

R. Judices sententiam mutilationis, aut mortis ferentes (excepto Summo Pontifice), Notarii, Accusatores, Testes, Advocati, Ministri justitiæ, & omnes, qui ad mortem vel mutilationem active, efficaciter, & proxime per actionem ex natura sua ad illam ordinatam cooperantur, morte, aut mutilatione secuta.

Unde Judex ferens mortis aut mutilationis sententiam, si non sequatur effectus talis sententiæ, non est irregularis. *Bon. &c.*

§. XIV.

Reliqua de Irregularitate.

Q. QUis est effectus irregularitatis?

R. 1. Inhabilitas ad Ordines suscipiendos, & primam Tonsuram, & impeditio exercitii susceptorum Ordinum. Hinc Sacerdos irregularis valide absolveret, sed non licite. 2. Collatio Beneficii facta irregulari invalida est.

Q. *Quot modis tollitur irregularitas?*

R. Quatuor modis. 1. Per susceptionem Baptismi. 2. Per cessationem defectus, cessante enim ver. gr. infirmitate oculi Canonici, cessat irregularitas. 3. Irregularitas *ex defectu natalium*

talium proveniens cessat per professionem Religiosam. 4. Per dispensationem.

Q. *Qui potest dispensare in irregularitate?*

R. Jure ordinario solus Papa, quia irregularitates jure Ecclesiastico universali sunt constitutæ, in quo nemo inferior Pontifice potest dispensare.

Dixi: *jure ordinario*, quia ex privilegio *Trid. Conc. Sess.* 24. Episcopi etiam possunt dispensare super omni irregularitate proveniente ex delicto occulto; excepto homicidio voluntario, & bigamia. Occultum autem censetur delictum, quod non est deductum ad forum contentiosum; non potest autem dispensare Episcopus in irregularitatibus provenientibus ex *defectu* juxta communis DD.

Q. *An Confessarii in aliquibus irregularitatibus dispensare possunt?*

R. In nullis, nisi speciale privilegium habeant.

Q. *Quid est dispensatio?*

R. Est juris communis relaxatio facta cum causa justa & rationabili ab eo, qui jus habet dispensandi.

Q. *Ad quid inventa est dispensatio?*

R. Ut esset pars justitiæ distributivæ, cum omnis legislator facit legem communem omnes comprehendentem, eveniunt multæ causæ, propter quas naturalis ratio pro tunc non considerata suadet factum illud non debere comprehendi sub illa generali determinatione.

Q. *Per quid differt absolutio a dispensatione?*

R. Absolutio est sententia remittens delictum, vel pœnam. Dispensatio autem est exemptio ab obligatione alicujus legis, qua v. g. prohibetur accipere Ordines, qui aliquem occidit.

Q. *Quæ sunt causæ moventes ad dispensationem?*

R. Plurimæ: uti personæ necessitatis, loci, tem-

temporis, utilitatis Ecclesiæ, ætatis, scandali, majoris boni futuri, boni eventus rei, discretionis, pietatis, misericordiæ & religionis &c.

Q. *Sacerdos infirmo dat cibum, vel potum, vel movet, de lecto in lectum transfert, aut aliud bona fide operatur, ex quo mors sequatur, vel ejus acceleratio, an fit talis irregularis?*

R. Non, nisi intervenerit culpa lata.

Q. *An irregularitas per actum pure mentalem incurri potest?*

R. Non, sed debet esse exterior, consummatus, perfectus.

Q. *In dubio an debet quis censeri irregularis?*

R. Non, sive sit dubium juris sive facti, itaque dubitans an sit legitimus, censeri debet legitimus in utroque foro. In dubio tamen injusti homicidii debet censeri irregularis, sic enim in jure determinatur; hoc tamen non debet extendi ad mutilationem, nec ad homicidium justum in defensionem factum.

Q. *Petrus detulit aliqua judici officiose in causa criminali contra Paulum, pro quibus Paulus morte punitus; an propterea Petrus fit irregularis?*

R. Si fecit protestationem, etsi fictam, dummodo per externum actum expressam, etiamsi immediate ante prolationem sententiæ, irregularitatem non incurrit; sin secus, incurrit.

Q. *Quomodo debet fieri protestatio coram Judice?*

R. Non est necesse quod fiat in scripto, sed potest fieri sola voce dicendo sic vel similibus verbis: *Satisfactionem vel restitutionem posco, protestorque me nulla ratione intendere mortem, pœnam sanguinis vel mutilationem illius rei.*

Q. 1. *An fit irregularis Sacerdos, vel quicumque alius adhortans furem, ut scalam ascendat, caput supponat?*

Q. 2. *Qui carnifici dicit ut aliquid aptet, quo citius extinguatur reus?*

Q. 3.

Q. 3. *Vel qui dum reus ducitur ad mortem breviorem suggerit viam?*

Q. 4. *Vel ille, qui ut rem suam vel alienam magni momenti a fure sublatam recuperet, clamat adesse furem, qui capitur & suspenditur?*

Q. 5. *Vel ille, qui suadet pœnitenti ad fatendum peccatum (si judicialiter interrogabitur) morte plectendum?*

R. Hi omnes non fiunt irrègulares, ita communis DD.

Q. *Si quis plures etiam ejusdem generis irregularitates incurrerit, v. g. ob homicidium sæpius patratum, debetne dispensari in singulis?*

R. Debet saltem in genere & in communi.

Q. *Irregularis in loco A. publicus, transiens ad locum B. ubi occulta sit irregularitas ejus, num potest dispensationem petere super irregularitate occulta respectu loci B.?*

R. Potest; sed tenetur in petitione exprimere omnem hanc circumstantiam, alias esset invalida dispensatio.

Q. *Irregularis an valide ordinaretur?*

R. Affirmative. Ecclesia enim tantum reddit talem inhabilem ad Ordines rite suscipiendos vel exercendos, non autem reddit absolute incapacem.

Q. *Suspensus a suo Episcopo extra judicialiter sine scriptis si celebrat, an fit irregularis?*

R. Non, *S. Cong. Conc.* 18. *Aug.* 1703. Secus autem si fuerit suspensus juridice. *Monacel.*

Q. *Qui dat operam rei licitæ, & omnem adhibet diligentiam ne sequatur homicidium, si deinde casu fortuito sequatur, incurritne irregularitatem?*

R. Non; S. Cong. Conc. 1. Octobris 1588.

Q. *Fitne irregularis ministrans in Ordine suscepto, postquam legitime appellavit a sententia excommunicationis contra ipsum lata?*

R. Non;

R. Non; S. Congr. Conc. 15. Settembris 1625.

Q. *Nuper exorta rixa percusserunt se studiosi, unus graviter vulneratus obiit, alter leviter, sed ex incuria neglecti vulneris etiam obiit.* Nunc.

Q. 1. *Quando in dubio quis judicandus est irregularis?*

Q. 2. *An, quando plures qua graviter, qua leviter alterum vulnerant, sint omnes irregulares?*

Q. 3. *An irregularis censendus est qui alterum leviter vulnerat, sed ex incuria neglecti vulneris paulo post moritur?*

R. *Ad* 1. Dubium *practicum* est, quando quis in singulis dubitat an hic, & nunc quis sit irregularis, an hic & nunc sit licitum vel illicitum.

Aliud dubium *speculativum*, quando in communi dubitatur. Aliud dubium *juris*, aliud dubium *facti*. In dubio juris non censetur esse irregularis. In dubio facti ver. gr. an patravi hoc homicidium, teneor me censeri esse irregularem, ita in jure determinatum.

R. *Ad* 2. Vel plures ex condicto & consilio alterum graviter vulnerant, vel absque conspiratione & consilio, si ex condicto, etsi unus tantum vulneravit, omnes sunt irregulares, quia omnes proxime cooperati sunt: si absque conspiratione, & unus tantum lethale vulnus inflixit, tunc si nullus cognoscatur, omnes qui de homicidio dubii sunt, irregulares sunt, ita in jure statutum pro casu homicidii.

R. *Ad* 3. Negative; quia tale vulnus non censetur proxime cooperari, nisi febris, vel alius morbus ex vulnere accresceret.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

§. I.

De Diaconatu.

Q. QUid est Diaconatus?

R. Est potestas per quam ordinatus in Diaconum potest proxime Sacerdoti in Ministerio Altaris assistere, & Evangelium solemniter cantare.

Q. *A quo, & quando fuit institutus Diaconatus?*

R. A Christo, dum post Cœnam Corpus & Sanguinem suum Apostolis ministravit.

Q. *Ubi fuit præfiguratus hic Ordo?*

R. In Veteri Lege per Levitas Sacerdotibus inservientes. *Num.* 8. Unde ex Levitis Sacerdotes & Pontifices eligebantur, ætas ad Diaconatum requiritur annorum 22. completorum.

Q. *Quotuplex est materia hujus Ordinis?*

R. Duplex. *Remota* est liber Evangeliorum & manus Episcopi. *Proxima* vero est ejusdem libri traditio & acceptio, ac manuum Episcopi impositio.

Q. *Quotuplex est forma Diaconatus?*

R. Duplex. Una correspondens primæ materiæ & sunt verba: *Accipe potestatem &c.* Altera correspondens secundæ materiæ, suntque hæc verba: *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Q. *Materia hujus Ordinis cum sit duplex, quæ est dignior?*

R. Traditio libri Evangeliorum, in qua imprimitur character & confertur gratia.

Q. *Initio nascentis Ecclesiæ non extabat liber Evangeliorum, ergo non videtur esse materia hujus Ordinis?*

R. I.

R. Initio Ecclesiæ porrigebatur pagina, in qua scripta erant Mysteria fidei Christianæ, quæ deserviebat pro libro Evangeliorum. *Palaus*.

Q. *Quid significat manuum impositio?*

R. Unionem ordinati cum ordinante in spiritu & gratia, quapropter per manus contactum Episcopus eum sibi unit sub ista verborum forma: *Accipe &c.*

Q. *An valida esset Ordinatio Diaconi, si alius liber continens Evangelia, (& non Missale uti solet) vel si tota daretur Sacra Scriptura?*

R. Affirmative. Dubia vero foret & sub conditione repetenda, si daretur solum vetus Testamentum, *vel* si traderetur liber Exorcismorum, *vel* continens sola Acta Apostolorum seu Apocalypsim.

Q. *Quid significat hoc nomen Evangelium?*

R. Significat bonum nuncium Divinæ gratiæ per Christum Dominum humano generi collatæ.

Q. *Quid significat, Dominus vobiscum?*

R. Dominus in vobis maneat cum largitione suæ gratiæ.

Q. *Diaconus (quia v. g. mala fide ante legitimam ætatem ordinatus) suspensus, si exerceat ministerium inferioris Ordinis, v. g. Subdiaconatus, fieretne irregularis?*

R. Non, quia suspensio a superiore Ordine, non comprehendit inferiorem, bene tamen viceversa.

Q. *Si quis Subdiaconatu invalide suscepto fiat Diaconus, obligaturne voto castitatis?*

R. Affirm. Quia illud est annexum singulis S. Ordinibus.

Q. *Quæ est propria vestis Diaconi?*

R. Stola decussatim posita super humerum sinistrum pendens sub latere dextro, & Dalmatica.

Q. *Quid hæc Stola denotat?*

R. Cum Diaconus ad labores suscipiendos in

via Domini ordinetur, ne ei accidat in illis unquam succumbere, Stola quasi sacra fascia super humerum ligatur, humerus enim est pars corporis ad onera ferenda maxime aptus.

Q. *Si quis Titulum, quem pro Subdiaconatu habuit, perdidisset, deberetne alium procurare pro Diaconatu?*

R. Affirm. quia alias ordinaretur in Sacris sine titulo contra *Trid.* decretum.

§. II.

De Officio Diaconi.

Q. *Quid est Officium Diaconi?*

R. 1. Presbytero sacrificanti proxime assistere. 2. Evangelium solemniter cantare videlicet cum stola. 3. In defectu Presbyteri, vel de ejus licentia Eucharistiam populo distribuere. 4. Populo prædicare.

Q. *An Diaconus ex commissione Parochi possit administrare Extremam Unctionem?*

R. Non, quia id nullo jure ipsi conceditur.

Q. *Quid est solemniter cantare Evangelium in Missa?*

R. Est cantare cum propria veste Diaconi.

Q. *An potest Diaconus solemniter baptizare?*

R. Ex commissione Parochi vel Episcopi potest, si sine illa baptizaret, peccaret mortaliter, & fieret irregularis. *Cap. 1. de Cler. non Ord. min.*

Nec in extrema necessitate licet Diacono solemniter baptizare sine commissione dicta, quia etsi necessitas licitam reddit actionem baptizandi, non tamen baptismi solemnitatem.

Q. *An potest SS. Eucharistiam administrare?*

R. Potest ex commissione Parochi: Hoc tamen tempore ob copiam Sacerdotum non est in usu; nisi aliqua foret necessitas, v. g. si ad

ago-

agonizantem non posset ferre Sacerdos SS. Eucharistiam.

Q. *An possit Diaconus manu propria porrigere SS. Eucharistiam Sacerdoti infirmo?*

R. Si potest Sacerdos ipse sibi porrigere, ipse porrigat, sin secus, porrigat Diaconus.

Q. *Potestne assistere Matrimonio?*

R. Ordinarie non potest, quia *Trid.* hoc munus solum Parocho committit, vel alteri Sacerdoti de ipsius Parochi vel Episcopi licentia. Potest autem assistere, si fuerit Parochus, sed non benedicere illud.

Q. *Potestne saltem cum licentia Episcopi benedicere aquam lustralem?*

R. Non, quia benedicere dona Dei officium est Presbyterorum, seu actus Sacerdotalis Ordinis, ideo si id faceret, fieret irregularis. Diaconus (multo magis Clericus Min. Ord.) abstinere debet a danda solemni aspersione populo in die Dominico; quia etiam hic actus videtur esse proprius Sacerdoti, ut patet ex antiqua Ecclesiæ praxi.

Q. *Peccatne Diaconus mortaliter, si exerceat suum munus in statu peccati mortalis?*

R. Non; Communis DD.

Q. *Quid habet plus potestatis Diaconus, quam Subdiaconus?*

R. Hoc: quod in recitatione Breviarii ante orationes dicat *Dominus vobiscum*, quem versum præsente Sacerdote dicere non potest, nisi de ejus licentia. Obligationes Diaconi eædem sunt, quæ & Subdiaconi.

§. III.

De Præceptis Decalogi.

Q. QUid *nomine Decalogi intelligitur?*

R. Significatur lex Divina positiva de-

decem Præcepta complectens; quorum tria priora Deum ſpectant; ſeptem vero poſteriora proximum reſpiciunt.

Q. *An Præcepta Dei obſervari poſſunt?*

R. Omnino, adjuvante Dei gratia, omnia enim poſſumus in eo, qui nos confortat. *Phil.* 4.

Q. *S. Paulus* Act. 15. *Præcepta Dei vocat, jugum?*

R. Loquitur de præcepto Circumciſionis, non vero de præceptis Divinis, de quibus Chriſtus dixerat: *Jugum meum eſt ſuave &c.* Matth. 11.

Q. *Quæ ulterior ratio?*

R. Alias enim Deus nec eſſet bonus, præcipiens nobis, quæ ſervare non valemus, nec eſſet juſtus, puniens æterna pœna præceptorum ſuorum tranſgreſſores, ſi hæc ſervatu eſſent impoſſibilia.

Q. *Quotuplicia ſunt præcepta Decalogi?*

R. Duplicia: *Affirmativa*, quæ bonum præcipiunt, quæ obligant ſemper, ſed non pro ſemper. Sic obedire parentibus tenemur in bono, non in malo.

Et *Negativa*, quæ malum prohibent; & iſta obligant ſemper & pro ſemper, nam nullus eſt caſus, in quo liceret plures Deos colere, propria authoritate occidere.

Q. *Quis author præceptorum Decalogi?*

R. Deus ut ſupremus Dominus ſtatim poſt creationem primi hominis naturæ humanæ ea indidit, & cordibus impreſſit, quæ poſtquam pravis moribus, & diuturna perverſitate obſcurata, & non ſervata fuerunt, per Moyſen in Monte Sinai, in duabus Tabulis lapideis ſcripto tradidit. Quæ omnia ſunt juris naturalis, præter tertium præceptum.

§. IV.

§. IV.

De legibus & Canonibus.

Q. QUid *eſt lex?*

R. Eſt voluntas ejus, qui præeſt populo, debite promulgata cum intentione obligandi ſubditos.

Q. *Eſtne idem lex quod præceptum?*

R. Sæpe pro eodem ſumitur, hæc tamen eſt differentia: quod lex toti communitati, præcepta vero particularibus perſonis dantur. Lex non exſpirat morti legislatoris, ſecus præceptum.

Q. *Quotuplex eſt lex?*

R. Duplex; Divina, & humana.

Lex *Divina* alia eſt *naturalis*, & *eſt* naturale dictamen rationis, quo per lumen rationis nobis impreſſum naturaliter cognoſcimus evidenter recta, & facienda; turpia autem vitanda.

Alia eſt *poſitiva*, & eſt decretum Dei hominibus præſcribens modum neceſſarium, ut apte pervenire poſſint ad beatitudinem ſupernaturalem.

Lex *Humana*, eſt rectum rationis decretum ab habente publicam authoritatem latum, præſcribens aliquid a ſubditis ſervandum, legique naturali conveniens.

Humana alia eſt *Eccleſiaſtica*, quæ fertur a Summis Pontificibus & Conciliis, quæ etiam vocatur Canon ſeu jus Canonicum.

Alia *Civilis*, quæ fertur a Regibus, & Imperatoribus.

Q. *Unde dignoſci poſſit, quod lex graviter, vel leviter obligat?*

R. Ex ipſis terminis legis. Nam tunc lex dicitur graviter obligare, quando tranſgreſſoribus minatur excluſionem a regno cœlorum, vel pœnas inferni, aut inimicitiam Dei &c. Porro

ro omnia præcepta Decalogi sunt sub mortali obligantia, nisi parvitas materiæ, aut defectus deliberationis, seu advertentiæ plenæ excuset.

Quod si ex Scriptura dignosci non possit, utrum lex graviter, vel leviter obliget; tunc ex communi sensu Ecclesiæ aut DD. cognosci poterit. Si autem hi inter se discordent, pars tutior sequenda est Confessario.

Q. *Quid est jus Canonicum?*

R. Est corpus quoddam ex variis legibus & constitutionibus Summorum Pontificum integratum, seu est volumen continens varias Constitutiones Conciliorum & Summorum Pontificum.

Q. *Quid est Canon, & quotupliciter sumatur?*

R. Dupliciter sumitur *large*, pro omni constitutione Ecclesiastica. Et *stricte* sumitur pro illa constitutione Ecclesiastica, quæ in Concilio Generali editur.

Q. *Quid est Constitutio?*

R. Est lex Ecclesiastica dirigens & obligans fideles ad aliqua servanda præcepta concernentia bonum spirituale.

Q. *Quid intelligitur per illud: Extravagantes?*

R. Sunt illæ Constitutiones, quæ post obitum Joannis XXII. a diversis Pontificibus exierunt; quæ ideo dicuntur *Extravagantes*, quia aliquamdiu extra corpus Juris Canonici, qua sede certa vagantes extiterunt. Nunc autem sunt de corpore Juris.

Q. *Quid est Sanctio?*

R. Est Constitutio Ecclesiastica, in qua transgredientibus illam pœna statuitur.

Q. *Quid sit Breve Apostolicum?*

R. Sunt litteræ Pontificiæ in membranis subtilibus, & candidis, charactere latino descriptæ, ac a tergo cera rubra chordulis lineis in-

clusa illitæ, annuloque Piscatoris signatæ; ac manu Secretarii subscriptæ. Quæ alio nomine vocantur: *Literæ in forma Brevis*.

Q. *Quid est Bulla?*

R. Sunt literæ Apostolicæ, quæ expediuntur per Cancellariam sub plumbo, seu sigillo plumbeo pendente in chordula.

Q. *Ut lex aliquem obliget, quæ conditiones requiruntur?*

R. *Primo*. Ut sit a Superiore lata. *Secundo*. Justa, ob bonum publicum. *Tertio*. Debite promulgata.

Q. *An Clerici teneantur servare leges Civiles?*

R. Tenentur eas servare, quæ non sunt contrariæ Juri Canonico; nam Jus Canonicum est correctivum juris Civilis, in quo adversatur.

Q. *Quomodo lex Canonica intelligi potest utrum obliget sub gravi, vel sub levi culpa?*

R. His quatuor modis. *Primo*. Ex gravitate materiæ præceptæ. *Secundo*. Ex intentione legislatoris. *Tertio*. Ex verbis, quibus mens legislatoris exprimitur. *Quarto*. Ex pœna, quæ solet legi apponi.

Q. *Qua ratione eximitur aliquis a lege?*

R. *Primo*. Per abrogationem aut Dispensationem factam a legislatore, vel ejus successore. Inferior enim non potest abrogare legem Superioris, nec dispensare, nisi delegatione Superioris. *Secundo*. Per privilegium, si quis ex intentione Legislatoris in lege non fuerit inclusus. *Tertio*. Per consuetudinem contrariam. *Quarto*. Si cesset finis adæquatus legis, minime autem si partialis. *Quinto*. Per epikiiam seu interpretationem Legis.

Q. *Quid est Epikiia?*

R. Est actus prudentiæ, quo ex æquo, & bono judicatur, quod verba legis, quamvis clara sint, tamen hic & nunc in casu non sunt servanda.

Q. *An*

Q. *An epikiia habet locum in lege Divina & naturali?*

R. Non; nisi tantum improprie, & quo ad nos, quia licet sæpe verba clara legis divinæ videantur comprehendere etiam hunc casum, tamen aliunde rescimus Deum ab initio non voluisse illum comprehendere. *Bard. Schilo.* de consecr. T. 2. n. 59. 61. Deum quandoque sub lege sua noluisse comprehendere casus valde arduos, v. g. licet posuerit claram legem de confitendis mortalibus, tamen per quandam epikiiam judicamus posse nos aliqua omittere ad evitandum grave damnum spirituale, aut temporale nostrum, vel proximi.

Q. *In lege humana habetne locum Epikiia?*

R. Habet; non tamen si legislator interrogari possit.

Q. *Quomodo lex cessat per consuetudinem?*

R. Si habeantur sequentia. *Primo*. Si a tota Communitate aut a majori parte actus contrarii Legi fiant, per 40. annos Legi *Canonicæ*, & per 10. Legi *Civili*. *Secundo*. Si lex hoc tempore contrariæ consuetudini non resistat.

Nota: Quidquid hic dixi de lege *Canonica*, id ipsum dici potest de lege & jure *Civili*.

§. V.

De primo Præcepto Decalogi.

Q. QUid nobis præcipitur primo præcepto?

R. Verus erga Deum honor & amor, quod adimpletur maxime per actus virtutum Theologicarum, & per virtutem Religionis.

Q. *Quid vero prohibetur?*

R. Omnis Idololatria, Superstitio, Divinatio &c.

Q. *Quid est Superstitio?*

R. Est falsa Religio, seu cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis.

Q. *Quotuplex est?*

R. Duplex. Una ratione cultus indebiti seu incongrui, quo verus quidem Deus colitur, sed modo indebito, qui scilicet esset præter vel contra consuetudinem Ecclesiæ ac præscriptum. Altera est ratione rei cultæ, quando nempe cultus Deo debitus falso Deo, vel creaturæ exhibetur. Hæc Superstitio dividitur in Idololatriam, Divinationem &c.

Q. *Qui superstitionem cultus falsi committit?*

R. Ille, qui agit hæc: *Primo*. Qui offert Deo cultum per cæremonias antiquæ Legis, v. g. per circumcisionem &c. quia hæc significant Christum adhuc venturum & nondum venisse.

Secundo. Laicus, qui Deum colit tanquam publicus Minister, v. g. sacrificando, absolvendo &c. quod est mortale.

Tertio. Qui sua authoritate proponit aliqua facienda, tanquam ordinata ab Ecclesia ad Dei cultum.

Quarto. Qui falsas reliquias proponit venerandas.

Quinto. Qui fingit aliquod factum miraculum per Imaginem, sive causa lucri, sive etiam ad devotionem augendam.

Sexto. Qui fingit se aliquas revelationes Divinas habuisse.

Q. *Quot modis potest fieri superstitio?*

R. Primo, *Per sola Sacra*, ut si adhibeam verba sacra, vel orationes certas cum certis circumstantiis ad obtinendam v. g. sanitatem, vel aliquid mihi utile.

Secundo, *Per sola non sacra*, Quando adhibeo non sacra cum certa tamen omnino circumstantia, vel tempore, v. g. iter agere die Jovis, vel omittere die Mercurii.

Tertio, *Per sacra simul, & non sacra*, ut si cum rebus sacris adhibeam res naturales, inutiles, irreverentes, verba profana, & e contra.

Q. *Quid*

Q. *Quid est Divinatio?*

R. Est inordinata rerum occultarum vel futurarum, quæ naturaliter sciri nequeunt, inquisitio vel prædictio per media a Divina Providentia non constituta. In Divinatione semper intervenit pactum cum dæmone expressum, vel implicitum.

Q. *Quæ universaliter continent Divinationem?*

R. Illa omnia, quorum attenta natura nullam habent connexionem cum effectu, ut v. g. dum mulieres divinant, & prædicant futura aut præterita ex cognitione herbarum, etsi cum invocatione nominis Dei, aut Sanctorum, quia tam herbæ, quam preces mulierum nullam habent connexionem cum præscientia rerum. Unde cautus in his sit Confessarius, neque de facili credat, quod ordinate invocentur SS. nomina Jesu, & Mariæ ab istis vetulis, quia ista solet permittere dæmon, ut sic ejus latens occultaretur fraus & astutia.

Et hæ vetulæ solent esse superstitiosæ, quæ v. g. carbones immergunt in aquam pro doloribus hominum mitigandis cum certo precum numero: quæ metiuntur caput, vel inspirant in faciem &c. hæc enim & similia, quæ nullam habent connexionem cum effectu secuturo, sunt superstitiones.

Quod si autem Confessarius dubitet de occulta virtute rerum applicatarum; attendat ad modum, an non sit superstitiosus, ex quo poterit devenire in cognitionem rei factæ.

Q. *Quot sunt species divinationis?*

R. Plurimæ: ut *Necromantia* est divinatio facta per fictas mortuorum suscitationes vel locutiones.

2. *Geomantia* fit per signa & puncta in corpore terrestri, ut in lapide, ligno, charta &c.

3. *Hydromantia* fit per signa apparentia in aere.

4. *Pyromantia* fit per signa apparentia in igne.

5. *Chiromantia* lineas manus considerat.

6. *Augurium* est divinatio ex vocibus & garritu avium, & animalium desumpta.

7. *Astrologia* est divinatio, quæ fit ex situ, motu, & positione astrorum & planetarum. Non prohibetur Astrologia judicans temporum mutationem, ubertatem, sterilitatem, &c. Et ex Astrorum influxu in nativitate hominis, ejusdem inclinationes naturales, temperamentum, ea quæ ad sanitatem pertinent, judicans, & actiones in genere, quia hæc naturaliter ex astris cognosci possunt.

Prohibetur solum Astrologia judicans actiones in particulari a libero arbitrio pendentes.

8. *Sacrilegium* est divinatio facta per jactionem sortium. Multiplices autem sunt: *Primo*, *Consultoria*, quando projiciuntur taxilli inquirendo quid in hac re agendum. In necessitate aliqua possunt esse licitæ.

Secundo, *Divisoria* sunt, quando ad determinandam partitionem alicujus rei projiciuntur. Hæ sunt licitæ dummodo 1. non fiant contra bonum publicum, 2. ut non fiant contra justitiam, 3. ut non fiant de Bonis Ecclesiasticis.

Tertio, *Divinatoria*, quando mittuntur ad futurum aliquid agendum. Hæ semper sunt illicitæ, quia videntur includere pactum cum dæmone, saltem implicitum, nullam enim habent connexionem sortes cum re occulta futura.

Q. *Quid est vana observantia?*

R. Est, quando medio aliquo improportionato & a Deo non instituto procuratur aliquis effectus, v. g. sanitas, scientia, &c.

Dupliciter autem potest fieri, cum pacto implicito, vel explicito dæmonis. Differt autem a divinatione, quia hæc ordinatur ad occul-

cultorum cognitionem, illa vero ad externum effectum.

Q. *Unde præsumi potest tacitam esse dæmonis invocationem?*

R. *Primo.* Quando adsunt verba non significativa. *Secundo.* Figuræ inutiles. *Tertio.* Nomina ignota Angelorum. *Quarto.* Falsitates sive physicæ, sive morales. *Quinto.* Conditiones variæ. *Sexto.* Promissio effectus infallibilis supra vires mediorum.

Q. *Unde cognosci possit vana observantia?*

R. Ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum, si nimirum nec habeat naturalem virtutem, nec de supernaturali constet.

Secundo. Ex adjunctione falsæ, vel vanæ circumstantiæ, ut v. g. si fieri debeat lotio certa hora, certo loco, vel die. Si adhibeantur ignota, falsa, & apocrypha verba, characteres peregrini. *Tertio.* Si effectus statim evanescat.

Q. *Quid est maleficium?*

R. Est vis nocendi alicui ex pacto & cooperatione dæmonis. Differt a Magia, quod hæc intendat facere mira, illud autem dirigatur ad nocendum.

Q. *An liceat petere a malefico, etiam parato, ut maleficium per aliud maleficum tollat?*

R. Non, quia maleficium per aliud destrui bene & licite nequit; eo quod posterius maleficium includat expressam vel tacitam dæmonis invocationem, quæ est semper illicita.

Q. *An liceat petere a malefico, ut tollat maleficium modo licito?*

R. Licet; quia licet ab eo petere ut injuste nocere desinat cum ad id teneatur.

Q. *Quid est Idololatria?*

R. Est Superstitio, qua cultus soli Deo debitus creaturæ exhibetur.

Q. *Quotuplex est?*

R. *Materialis*, dum alicui creaturæ tribuitur

cultus Divinus cum inculpabili ignorantia. Et *formalis*, quæ tunc habetur, quando redditur alicui creaturæ cultus soli Deo debitus, cum vincibili ignorantia.

§. VI.

De Religione, seu de Cultu Religionis.

Q. *Quid adhuc præcipitur primo præcepto?*
R. Cultus Religionis.
Q. *Quid est Religio?*
R. Est virtus per quam homines debitum Deo reddunt cultum.
Q. *Quid est cultus, seu adoratio?*
R. Adoratio latissime sumpta est quæcumque veneratio alteri exhibita in signum excellentiæ ejus, quæcumque ea sit. Sic Gen. 23. *Abraham adoravit filios Heth*. Hæc adoratio mere est politica & civilis.

Adoratio late sumpta est veneratio alteri exhibita propter excellentiam ejus supernaturalem. Sic ibidem Cap. 5. Josue cecidit pronus in terram, adorans Angelum.

Q. *Adoratio stricte sumpta, seu cultus quotuplex est?*
R. Triplex: *Duliæ* est cultus, qui Sanctis exhibetur ob sanctitatis excellentiam, quam habent. *Hyperduliæ* est cultus, qui exhibetur Beatissimæ Virgini Mariæ, ob particularem ejus excellentiam, quam habet præ cæteris Sanctis propter dignitatem maternitatis Filii Dei. *Latriæ*, est cultus, qui Deo exhibetur ob infinitam ejus excellentiam.
Q. *Quotuplex adhuc est adoratio, seu cultus?*
R. *Interior*, scilicet cordis & mentis, humilis, ac sincera alteri submissio. *Exterior* est reverentia signo externo alteri exhibita, ut v. g. genuflexio &c.

Item alius eſt *Abſolutus*, quo adoratur aliquis propter propriam excellentiam, quam habet. Alius *Reſpectivus*, quo adoratur aliquid propter excellentiam alterius, quod repræſentat vel ad quod reſpectum habet. Ut v. g. Crucis &c. Sic etiam Sancti honorantur cultu abſoluto propter ſuam dignitatem. Imagines vero cultu reſpectivo.

Q. *Per quid dignoſcendi ſunt prædicti cultus?*

R. Per ſolam intentionem, ſeu per actum internum. Omnis enim adoratio externa eſt indifferens ut Deo fiat, vel homini. Unde genuflexio, totius corporis proſtratio, non ſunt ſigna cultus latriæ.

Tales enim adorationes per intentionem fiunt. Unde ſi adoratione externa intendit quis adorare Deum, recognoſcendo ejus ſupremum Dominium, erit cultus *Latriæ*, ſi B. V. M., erit *Hyperduliæ*.

Q. *Rectene agimus publice genuflectendo coram Venerabili Sacramento?*

R. Abſque dubio: *Si enim in nomine Jeſu omne genu flectendum eſt &c.* multo magis coram ipſo Domino Jeſu realiter præſente.

Q. *Sed num revera Chriſtus eſt præſens in Euchariſtia ante uſum?*

R. Infallibiliter eſt; alias enim æterna Veritas Omnipotenti Verbo ſuo non dixiſſet verum.

Q. *Quare?*

R. Dixerat enim: *Hoc eſt Corpus meum*; ante ſumptionem priuſquam omnes & ſinguli Apoſtoli de conſecrato illo Pane participaſſent; igitur ſi verbum ejus Divinum verum erat, neceſſario ſub ſpeciebus Panis Corpus Chriſti adeſſe debuerat, ante ſumptionem.

Q. *Quid de primitiva Eccleſia?*

R. In antiquiſſimis Patribus & Scriptoribus Sacramentum hoc in primitiva Eccleſia,

cum speciali reverentia per multos post consecrationem dies asservatum fuisse. S. Cyrillus Epist. ad Gallosyniam ait: *Insaniunt, quicumque asserunt Eucharistiam si in alterum diem asservetur vim suam amittere.*

Q. *Quid ex dictis infertur?*

R. Negantes præsentiam Christi in Eucharistia, extra usum, evidenti Scripturæ refragari; non enim dicit Scriptura: *Hoc est enim Corpus meum in vestro ore*, sed: *Hoc est Corpus meum.*

Q. *Rectene Processiones, quibus Sanctissimum Sacramentum publice colitur, & circumfertur, instituuntur?*

R. Recte: Si enim laudabiliter olim ab Apostolis instituta fuerat Processio, dum Christus sedens in asino, publico applaudente concentu, Hierosolymam ingrederetur. Si recte egerat David similem instituendo Processionem cum Arca fœderis, in qua Manna illud admirabilis nostri Sacramenti figura (ut ipse Dominus Joan. 6. testatur) observabatur; quis igitur ambigere poterit, num etiam a nobis solemnitates hujusmodi recte instituantur?

Q. *Si quis dicat Christum adesse in Sacramento ut sumatur, non vero ut adoretur?*

R. Id non recte diceret: Si enim adest Christus, jam universale Dei & juris naturæ præceptum: *Dominum Deum tuum adorabis*, omnes obligat.

Q. *Quid ex præfato asserto sequeretur?*

R. Tale inconveniens: Christus non ideo jacuit in præsepio ut adoraretur, ergo tres Reges adorantes eum non recte egerunt: Christus non ideo visum restituit cæco, ut se adoraret, igitur cæcus erravit, quod coram Domino in genu procideri.

§. VII.

§. VII.

De vitiis oppositis Religioni.

Q. *QUid est blasphemia?*

R. Est locutio facta per modum convitii, aut contumeliæ & maledictionis in Deum, vel Sanctos. Ratio, quia sicut laus Sanctorum redundat in Deum, sic etiam & blasphemia.

Q. *Quotuplex est?*

R. Duplex: *Hæreticalis*, quæ articulis fidei directe opponitur, ut si quis diceret: *Deus est crudelis*, crederetque pertinaciter his a se iniquissime dictis. Alia *simplex*, quæ articulis fidei directe non opponitur, sed aliquid vituperabile per modum detestationis, & quasi imprecationis in Deum profert sine contumacia; a prima, non quilibet Confessarius simplex approbatus absolvere potest, secus ab altera. In blasphemia erga Deum non datur parvitas materiæ.

De Sacrilegio.

Q. *Quid est Sacrilegium?*

R. Est violatio rei Sacræ, seu dicatæ cultui Divino. Ex genere suo est peccatum mortale.

Q. *Quotuplex est?*

R. Triplex: *Personale*, est violatio personæ sacræ. *Reale*, quando res violatur ut profanatio vasorum sacrorum, v. g. si quis ex calice consecrato biberet in convivio. *Locale*, quando locus violatur.

Q. *Quomodo locus, v. g. Ecclesia potest violari?*

R. *Primo*. Per strepitum forensem, ut si quis negotiationes, stabulationem equorum,

aut similia facit in locis Sacris. *Secundo*. Per furtum, quod fieri potest tribus modis. 1. Si quis furatur Sacrum de Sacro, hoc est v. gr. calicem in loco Sacro.

2. Sacrum de non sacro, v. g. rem sacram extra Ecclesiam.

3. Non sacrum de sacro, v. g. pecuniam; aut aliam rem, quæ fuit deposita in Ecclesia, vel ejus custodiæ tradita, aut ei accommodata.

Tertio. Violari Ecclesia potest per actus repugnantes ejus immunitati.

Quarto. Violatur per pollutionem; polluitur Ecclesia, vel cæmeterium, per injuriosam exussionem.

Quinto. Per sepulturam excommunicati vitandi, id est non tolerati, seu publice denunciati, aut notorii percussoris Clerici, infidelis, etiam infantis, minime autem, si sit filius parentis fidelis, licet decesserit sine Baptismo, quia est pars hominis Christiani, consuetudo tamen est, ut non sepeliatur in loco sacro.

Sexto. Per homicidium injuriosum, aut mutilationem etiam injuriosam, suffocationem, & si fiat sine sanguinis effusione.

Polluitur, si quis alium in subita rixa in Ecclesia occidit, quia ex hoc, quod occisio fuerit subita, & casualis non sequitur, quin fuerit voluntaria, & inde injuriosa; etiam dum quis seipsum occidit.

Polluitur per Martyris alicujus occisionem, non quidem ob sanguinem Martyris, qui Sanctus & innocens est, sed ob injustam & sacrilegam occisionem. Et licet Ecclesia esset reconcilianda, tamen locus sanguinis non esset lavandus, sed sanguis sacer colligendus, & observandus.

Non polluitur per homicidium ex joco vel ludo secutum, quando non poterat præviderì homicidium: nec, si fiat ab amente, ebrio, puero, usum rationis non habente.

Septi-

Septimo. Polluitur Ecclesia vel cœmeterium per effusionem sanguinis publicam, & mortaliter illicitam, & in magna quantitate. Secus vero per effusionem sanguinis in propriam defensionem, aut pure casualem.

Imo, ut docet *Samuel de Lub.* non polluitur dum quis alterius nares percutit, & si multus sanguis profluit, nisi præcedat gravis percussio, & factum sit cum culpa gravi.

Ut Ecclesia seu cœmeterium polluatur, non est necesse ut sanguis cadat in terram, imo etsi vulneratus statim exiverit de Ecclesia seu cœmeterio.

Polluitur si percussor existens extra Ecclesiam percutit seu vulnerat existentem in Ecclesia seu cœmeterio. Non polluitur, dum aliquis foris graviter vulneratus sit, & postea ad Ecclesiam confugiat, ibique moriatur. *Borb.*

Octavo. Polluitur per copulam illicitam, aut humani seminis effusionem, quæ sit peccatum mortale, licet non cadat in terram, dummodo sit externa & notoria.

Q. *Si pollutio Ecclesiæ sit occulta, an indiget reconciliatione?*

R. Non. Hinc Sacerdos sciens ex Confessione, vel etiam extra eam, sed in secreto, quod sit Ecclesia polluta, potest celebrare, nec curare reconciliationem, nisi successu temporis publicum fuerit.

Q. *Quis Ecclesiam pollutam reconciliare potest?*

R. Si sit tantum benedicta, simplex Sacerdos aqua a se benedicta utendo formula Ritualis.

Si autem sit consecrata, tunc ab Episcopo reconcilianda. *Cap. Aqua, 9. de Consecr. Eccl.* Si autem hic habeat gratias a Sede Apostolica poterit committere simplici Sacerdoti.

Q. *Qui celebrat in Ecclesia polluta, quam pœnam incurrit?*

R.

R. Præter peccatum mortale nullam aliam: Si quis autem celebraret in Ecclesia interdicta, præter peccatum mortale incurreret irregularitatem. *Bened. XIV. de Sacrif. l. 3.*

Q. *Polluta Ecclesia, polluiturne cœmeterium?*

R. Affirm. sed non econtra, quia magis principale trahit ad se minus principale.

Q. *Si Ecclesia sit polluta per sepulturam excommunicati quid agendum?*

R. Exhumandum est corpus, & alibi sepeliendum in loco profano; si autem discerni non possit, relinquendum, sed locus reconciliandus est.

Q. *Quam pœnam incurrit scienter & temere excommunicatum sepeliens in loco sacro?*

R. Excommunicationem Papæ reservatam ipso facto.

Q. *Quis effectus sit pollutionis, seu violationis Ecclesiæ?*

R. Sacramenta non administrentur, officia Divina non persolvantur, sepultura mortuorum non fiat.

Q. *An possunt tunc Sacramenta aliqua administrari?*

R. Potest *Primo*, Sacramentum Baptismi, tam parvulis, quam adultis, etiam solemniter. Cap. *Quoniam*. Passer. *Secundo*. Confirmationis. *Tertio*. Pœnitentiæ. *Quarto*. Matrimonii. Eucharistia solum infirmis per modum Viatici, & extrema Unctio potest dari. Missa solum una in hebdomada ad renovandas Particulas consecratas pro infirmis potest celebrari. *Passer. Disp. 9.*

Q. *An campanæ possunt tunc pulsari?*

R. Non possunt pulsari in his, quæ concernunt officia Divina; secus in aliis. *Passer. ib.*

Cæterum servatur in praxi, ut sileant omnino campanæ etiam ad salutationem Angelicam, ad majorem terrorem delicti pollutivi Ecclesiæ. *Cleric. Errotem. Cap. 31. n. 21.*

Q.

Q. *Quot modis fiat Sacrilegium personale?*

R. Quatuor. *Primo*. Homicidio personæ sacræ, v. g. Clerici, Religiosi, seu Monialis. *Secundo*. Percussione dictarum personarum. *Tertio*. Tractione personarum Ecclesiasticarum ad tribunal sæculare, incarceratione &c. *Quarto*. Fornicatione cum persona Deo dicata, seu voto castitatis etsi simplici obstricta.

Q. *Quibus actibus committitur sacrilegium?*

R. Non tantum committitur actu & opere consummato, sed etiam actu interno, seu voluntate consentiente; quia cogitationes deliberatæ cum consensu ejusdem speciei habent malitiam, sicuti & externa opera consummata; ut patet in omnibus peccatorum malitiis.

Q. *Quotuplicem continet malitiam actus venereus in Religiosis, Monialibus, & Clericis?*

R. Sive sit actus exterior, sive interior, ut sunt delectationes morosæ, aut pollutiones voluntariæ duplicem continent malitiam; contra virtutem castitatis, alteram contra voti obligationem.

§. VIII.

De Sacrilegio ex violata immunitate loci sacri.

Q. QUid *est immunitas Ecclesiastica?*

R. Est exemptio, sive jus, quo res Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ a publicis oneribus sæcularibus liberæ sunt.

Q. *Quotuplex est?*

R. Triplex: *Localis*, quæ Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis competit. *Realis*, quæ rebus seu bonis ad Ecclesiam, aut Clericos pertinentibus. Et *Personalis*, quæ ipsis personis Ecclesiasticis competit.

Q. *Quo jure immunitas his rebus debetur?*

R. Civili, Canonico, ac etiam Divino, ut com-

communiter tenent DD. Nam etiam in antiqua lege instituta legitur.

Q. *In quo consistit immunitas?*

R. In his duobus: *Primo*. Ut actus sæculares, seu profani ab Ecclesiis arceantur. *Secundo*. Ut malefactores fugientes ad Ecclesiam ibidem in vita & membris protegantur, neque ex inde violenter extrahi possunt. Et dicitur privilegium asyli.

Unde in Ecclesiis & eorum cœmeteriis non est licitum aliquid vendere, aut negotiationes exercere, exceptis candelis, si id fiat ad fidelium devotionem promovendam, ut tenet Azor. p. 2. l. 9.

Q. *In quo consistit immunitas realis, & personalis?*

R. In hoc quod res & personæ Ecclesiasticæ a jurisdictione sæcularium Magistratuum, eorumque exactionibus & oneribus immunes sint.

Q. *Quæ loca gaudent privilegio asyli?*

R. Omnes Ecclesiæ sive consecratæ, sive non consecratæ, dummodo sint ab Episcopis benedictæ. Etiamsi sint pollutæ, interdictæ, infortunio aliquo dirutæ (nisi sint authoritate superioris destructæ sine spe reædificationis) cæmeteria, monasteria, & horum campanilia, horti, infirmaria, portæ, & similia locis sacris contigua. Palatia Cardinalium, Episcoporum: Oratoria publica auctoritate Episcopi erecta, non vero privata in domibus Nobilium. Gaudent & Seminaria Clericorum. *Felix Potest.*

De jure Ecclesia Matrix per 40. passus in circuitu, & aliæ Ecclesiæ per 30. gaudebant immunitate, sed jam huic consuetudine derogatum est. Item: Si non esset circa Ecclesiam cœmeterium, & fugiens tangeret januam Ecclesiæ clausam, aut parietem gauderet privilegio asyli; sicut etiam & ille, qui confugit ad Sacerdo-

cerdotem portantem ad infirmum Ss. Eucharistiam. Quia Corpus Christi est longe dignius, quam Ecclesia materialis. Plurima Decr. S. Cong.

Q. *Qui gaudent, vel non gaudent immunitate, etiamsi confugiant ad loca sacra?*

R. Gaudent omnes fideles, imo probabilius etiam Pagani, Judæi, excommunicati; imo & hæreticus, nisi propter hæresim sit capiendus.

Non gaudent publici latrones, viarumque grassatores, depopulatores agrorum, seu incendiarii segetum, homicidæ, & mutilatores in Ecclesia aut cœmeterio; requiritur autem effectus, puta mors, vel abscissio membri. Non gaudet, qui existeret extra Ecclesiam, & occideret v. g. sclopeto existentem in Ecclesia & e contra. Nec qui proditorie proximum etiam infidelem occidunt. Proditor proprie est, qui alium occidit simulata amicitia per insidias, nullo præcedente rancore, aut inimicitia, quam occisus præcavere poterat.

Nec assassinus, qui aliquem pecunia aut pretio æstimabili conducit ad alium occidendum, & qui sic conductus alium incaute occidit. Unde ambo dicuntur assassini.

Nec reus læsæ Majestatis, nomine Majestatis veniunt Reges & Principes.

Nec mater occidens filium infantem, neque qui alium occidit veneno. S. Cong. 1631. 3. Dec. Nec procurantes abortum medicamentis, S. R. C. 3. Dec. 1632.

Nec illi, qui falsificant Litteras Apostolicas Bull. Bened. XIII. *Ex qua Divina*.

Nec gaudent conflantes, adulterantes, aut tondentes quascumque monetas, vel tales expendere & erogare præsumentes.

Nec illi, qui confugientes in Ecclesiam violenter extrahunt.

Omnes illi non gaudent immunitate, qui proxi-

communiter tenent DD. Nam etiam in antiqua lege instituta legitur.

Q. *In quo consistit immunitas?*

R. In his duobus: *Primo*. Ut actus sæculares, seu profani ab Ecclesiis arceantur. *Secundo*. Ut malefactores fugientes ad Ecclesiam ibidem in vita & membris protegantur, neque ex inde violenter extrahi possunt. Et dicitur privilegium asyli.

Unde in Ecclesiis & eorum cœmeteriis non est licitum aliquid vendere, aut negotiationes exercere, exceptis candelis, si id fiat ad fidelium devotionem promovendam, ut tenet Azor. p. 2. l. 9.

Q. *In quo consistit immunitas realis, & personalis?*

R. In hoc quod res & personæ Ecclesiasticæ a jurisdictione sæcularium Magistratuum, eorumque exactionibus & oneribus immunes sint.

Q. *Quæ loca gaudent privilegio asyli?*

R. Omnes Ecclesiæ sive consecratæ, sive non consecratæ, dummodo sint ab Episcopis benedictæ. Etiamsi sint pollutæ, interdictæ, infortunio aliquo dirutæ (nisi sint authoritate superioris destructæ sine spe reædificationis) cæmeteria, monasteria, & horum campanilia, horti, infirmaria, portæ, & similia locis sacris contigua. Palatia Cardinalium, Episcoporum: Oratoria publica auctoritate Episcopi erecta, non vero privata in domibus Nobilium. Gaudent & Seminaria Clericorum. *Felix Potest.*

De jure Ecclesia Matrix per 40. passus in circuitu, & aliæ Ecclesiæ per 30. gaudebant immunitate, sed jam huic consuetudine derogatum est. Item: Si non esset circa Ecclesiam cœmeterium, & fugiens tangeret januam Ecclesiæ clausam, aut parietem gauderet privilegio asyli; sicut etiam & ille, qui confugit ad Sacerdo-

cerdotem portantem ad infirmum Ss. Euchariſtiam. Quia Corpus Chriſti eſt longe dignius, quam Eccleſia materialis. Plurima Decr. S. Cong.

Q. *Qui gaudent, vel non gaudent immunitate, etiamſi confugiant ad loca ſacra?*

R. Gaudent omnes fideles, imo probabilius etiam Pagani, Judæi, excommunicati; imo & hæreticus, niſi propter hæreſim ſit capiendus.

Non gaudent publici latrones, viarumque graſſatores, depopulatores agrorum, ſeu incendiarii ſegetum, homicidæ, & mutilatores in Eccleſia aut cœmeterio; requiritur autem effectus, puta mors, vel abſciſſio membri. Non gaudet, qui exiſteret extra Eccleſiam, & occideret v. g. ſclopeto exiſtentem in Eccleſia & e contra. Nec qui proditorie proximum etiam infidelem occidunt. Proditor proprie eſt, qui alium occidit ſimulata amicitia per inſidias, nullo præcedente rancore, aut inimicitia, quam occiſus præcavere poterat.

Nec aſſaſſinus, qui aliquem pecunia aut pretio æſtimabili conducit ad alium occidendum, & qui ſic conductus alium incaute occidit. Unde ambo dicuntur aſſaſſini.

Nec reus læſæ Majeſtatis, nomine Majeſtatis veniunt Reges & Principes.

Nec mater occidens filium infantem, neque qui alium occidit veneno. S. Cong. 1631. 3. Dec. Nec procurantes abortum medicamentis, S. R. C. 3. Dec. 1632.

Nec illi, qui falſificant Litteras Apoſtolicas Bull. Bened. XIII. *Ex qua Divina*.

Nec gaudent conflantes, adulterantes, aut tondentes quaſcumque monetas, vel tales expendere & erogare præſumentes.

Nec illi, qui confugientes in Eccleſiam violenter extrahunt.

Omnes illi non gaudent immunitate, qui proxi-

proximum suum occidunt *Animo præmeditato*, sive inimicitia præcesserit, sive non. Homicidium *præmeditatum* est: quod non provenit subito in rixa vel ex calore iracundiæ, sed illud est, quod post excitatam iram aliquo intervallo cum deliberatione committitur. Benedict. XIII. Const. *Ex quo Divina &c.*

Dicti delinquentes solent ad asylum Ecclesiæ confugere, quibus utpote indignis repulsus est dandus, & ad Ecclesiam non sunt admittendi. Si tamen jam sint in Ecclesia, non possunt violenter extrahi sine Episcopi scitu, & facultate. Greg. XIV. A. 1591.

Q. *Quæ sunt commoda fugientium ad asylum Ecclesiæ?*

R. *Primo*. Qui in Ecclesiam confugit, non potest extrahi ex ea vi, dolo, aut mala arte. Et sic extractus restitui debet Ecclesiæ. *Secundo*. Reus dum est in Ecclesia, non potest vinculis constringi, aut alia violentia affligi. *Tertio*. Dum est in Ecclesia, non potest contra eum ferri sententia mortis, aut alterius pœnæ corporalis: uti exilii &c. *Quarto*. Reo in Ecclesia existenti non potest negari necessarius victus, & vestitus, aut impediri, ne ad illum deferatur. *Quinto*. Non potest spoliari rebus propriis, & bonis suis, quæ secum ad Ecclesiam tulit, nisi attulisset res alienas, quæ domino rerum harum allatarum restituenda erunt.

Arma a lege prohibita possunt ab eo auferri: vel si verbis dolosis, aut ficta Judicis promissione impunitatem promittentis deceptus fuisset, ut libere de Ecclesia exiisset, Judex tenetur ei servare fidem, aut Ecclesiæ restituere. *Barb. n.* 54.

Si reus sit pauper, tenetur ei Ecclesia subvenire de victu, ille vero tenetur in Ecclesiæ commodum laborare. Extra locum sacrum pot-

est

est poni custodia a curia sæculari, quia per eam nulla vis infertur. *Suar. Pir. &c.*

Q. *Quam pœnam incurrunt vi & dolo reum extrahentes ex Ecclesia?*

R. Ultra culpam Sacrilegii incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam. *Far. Barb. &c.* ad quam incurrendam sufficit attentatio etiam effectu non secuto. *Thesa.* apud Cleric. Erro. Cap. 32. n. 45. 46. Insuper pecunia mulctari debent, & publica pœnitentia affligi, nec absolvi, donec restituatur reus Ecclesiæ. Eandem pœnam incurrunt, capientes, vincientes reum in loco asyli; complices extractionis, fautores, cooperatores, mandantes, cogentes, suadentes ut exeat, tentantes. S. Cong. 2. Dec. 1692. 2. Dec. 1693. 5. Jun. 1694.

Reus, qui necessitatis naturæ causa egreditur e loco sacro propter ei debitam, & aliunde non salvabilem reverentiam, nequit capi a curia sæculari. *Reyffe. &c.*

Q. *Quæ sunt observanda Rectoribus Ecclesiæ in susceptione reorum fugientium ad asylum?*

R. *Primo*. Examinandus est reus, ob quam causam fugit; quod si delictum non esset grave, sed solum indigeret correctione morum, dicat ei, nullam habere immunitatem.

Secundo. Si crimen sit grave, & foret in jure exceptum, persuadeat reo, ut caute exeat, quia alias curiæ sæculari tradendus erit.

Tertio. Quodsi rector Ecclesiæ a Judice sæculari fuerit requisitus de dimissione rei; dicat ei, prompte id faciet, sed prius scribendum est ad Episcopum loci.

Quarto. Si vero intra hoc tempus addatur custodia intra ad cubiculum, ubi permanet reus, licet posset hoc renuere Parochus per resistentiam, ad sedandas tamen rixas, protestetur, & ad Episcopum de re acta scribat.

§. IX.

§. IX.

De Simonia.

Q. QUid *est Simonia?*

R. Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

Dicitur *Simonia* a Simone Mago, cui S. Petrus Apostolus maledixit pro eo, quod ab Apostolis gratiam Spiritus Sancti pecunia emere voluisset. Est igitur species *Sacrilegii*. Ex genere suo peccatum mortale.

Q. *Quotuplex potest esse pretium in Simonia?*

R. Triplex: *Pretium muneris a manu*, ut pecunia &c. *Pretium muneris a lingua*, ut laus, intercessio &c. Et *Pretium muneris obsequii*, ut servitium, obsequium aliquod &c.

Dicitur: *Studiosa voluntas*, quibus verbis intelligitur quivis contractus onerosus sive venditionis, sive locationis, sive permutationis, quia Simonia non consistit sine pactione aliqua tacita, vel expressa, & obligatione ex pacto.

Unde patet malitiam Simoniæ consistere in irreverentia, quæ committitur, dum res spirituales instar temporalium pretio æstimantur, & contractibus subjiciuntur.

Q. *Quotuplex est Simonia?*

R. Triplex: *Prima. Mentalis*, quæ sola voluntate committitur, nec in actum prodit externum.

Secunda. Conventionalis, quando extrinsece convenitur, & paciscitur de pecunia, & venditione, sed adhuc non est secutus ab utraque parte. Atque huc reducitur Simonia *Confidentialis*, cum quis alteri dat Beneficium, ut illud sibi, vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum.

Tertia. Realis: est actualis traditio rei tempora-

poralis pro re spirituali juxta promissionem; & conventionem factam.

Q. *Quotuplex est materia, circa quam committi potest Simonia?*

R. Triplex: *Primo. Pure Spiritualis*, v. g. Dona Spiritus S. & gratiæ supernaturales &c. *Secunda. Pure corporalis*, v.g. Sepultura &c. *Tertio. Mixta ex corporali, & spirituali*: ut Sacramenta, Sacramentalia, ornamenta benedicta &c.

Q. *Pro administratione Sacramentorum scilicet Baptismi, Matrimonii &c. datur pecunia Parochis?*

R. Talis pecunia non exigitur, neque accipitur tanquam pretium temporale pro Sacramento, quod est inæstimabili valoris, sed tanquam stipendium necessarium pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ.

Q. *Simonia quomodo dividitur?*

R. I. In eam, quæ est *Juris divini*, estque prohibita propter malitiam suam, v. g. Hostiam consecratam vendere.

II. Et in eam, quæ est *Juris humani*, estque mala tantum propter prohibitionem. Et sic ab Ecclesia prohibetur,

1. Venditio Beneficiorum secundum id quod in ipso est temporale, scilicet quo ad jus præcisum percipiendi fructus.

2. Venditio Officiorum extrinsece tantum ordinatorum ad res sacras, v. g. Sacristæ, Advocati, Œconomi.

3. Oblatio pecuniæ alicui facta ut suadeat alteri, ut det Beneficium.

4. Pactio de resignando Beneficio vel solvenda pensione, si alter Beneficium mihi impetret.

5. Permutatio, & resignatio Beneficiorum &c. si fiant sine permissione Papæ, vel Episcopi; quæ si accedat licita erunt.

6. Acceptio muneris etiam sponte oblati pro examine ad Parochiam.

Q.

Q. *Estne Simonia dare vel accipere pretium pro absolutione a peccatis vel Censuris, pro dispensatione in voto, in impedimento Matrimonii, Irregularitate?*

R. Affirm. Etiam erit Simonia concionari, Missas celebrare pro pretio; nisi excusetur quis ratione laboris extrinseci, non annexi rei spirituali, v. g. pro labore itineris, cantus, scripturæ &c.

Q. *Num Simoniacum quivis Sacerdos absolvere potest?*

R. Potest. Excepta sola Simonia *Confidentiæ* & *Reali*, in susceptione ordinum, vel primæ tonsuræ: in susceptione ad Religionem, & in Beneficio, propter annexam excommunicationem Papæ reservatam dictis hisce casibus.

Ob Simoniam *Realem* in Beneficio irrita est electio, præsentatio, institutio. Unde talis non facit fructus suos, debet dimittere Beneficium ante omnem sententiam Judicis, quia sine justo titulo est possessio talis. Efficitur inhabilis ad idem Beneficium, aliis tamen Beneficiis jure ipso non privatur, nec ad alia Beneficia obtinenda fit inhabilis ante sententiam Judicis. Idem dicendum est de Simonia *Confidentiæ*.

Q. *An, quæ sunt accepta per Simoniam, restitui debent?*

R. Affirm. idque vel Ecclesiæ, vel danti.

Q. *In quibus casibus non committitur Simonia?*

R. I. Redimendo vexam injustam ratione Beneficii possessi. II. Emendo pensionem mere temporalem, v. g. Decimam. III. Dando aliquid resignanti in vim reparationis factæ. Dando certum quantum pro institutione. IV. Dari potest per modum sustentationis Ministrorum rerum spiritualium, per modum eleemosynæ, vel per modum laudabilis consuetudinis.

Q. *Petrus inservivit Episcopo hac intentione, ut pro mercede conferatur ipsi Beneficium, sine*

ulla

ulla tamen conventione, seu pacto externo, an incurrit pœnas juris?

R. Non, nec tenetur dimittere illud Beneficium. Nam Simonia *Mentalis* non obligat ad restitutionem. *S. Tho. Sa. &c.*

§. X.

De secundo præcepto Decalogi.

Q. QUa *prohibentur hoc secundo præcepto?*

R. *Primo*. Ne nomen Dei vane & irreverenter assumatur. *Secundo*. Ne falso juretur. *Tertio*. Ne in levissimis rebus nomen Dei in testimonium adducatur. *Quarto*. Vota vovendo, & non reddendo, & his similia.

Q. *Quid est juramentum?*

R. Est invocatio Divini testimonii in confirmationem alicujus dicti vel facti, aut promissionis.

Q. *Quotuplex est Juramentum?*

R. 1. *Vocale* Juramentum (cum *mentale* solum inter Deum & hominem versari potest, & cum interiori voto conjungitur, ad materiam de voto pertineat, *Suar.*) dividitur in *assertorium*, quo confirmamus id quod asserimus vel negamus. Et in *promissorium*, quo confirmamus id, quod promittimus.

2. Aliud est *deliberatum*, quo quis cum attentione & intentione jurat; & *indeliberatum*, quod fit econtra.

3. Aliud *materiale* tantum, quo quis sine intentione utitur verbis, quæ vim juramenti habent. Aliud *formale* tantum, quo quis profert verba, quæ ex se nullam habent formam juramenti, assumit tamen ex animo & intentione jurandi. Aliud est *mixtum*, quo quis profert verba, quæ formam habent juramenti, idque cum animo & intentione jurandi.

4. Aliud

4. Aliud est *expressum*, quo Deus expresse; aliud *tacitum*, quo Deus tacite & implicite in testem vocatur.

5. Aliud est *simplex*, quo Deus tantum vocatur in testem. Aliud *execratorium*, seu *imprecatorium*, quo Deus non tantum vocatur in testem, sed etiam in judicem & vindicem. Talia sunt: *Moriar, a terra absorbear, fulmine percutiar, &c. si non ita est.*

6. Aliud est *solemne*. Aliud *dolosum*, quod fit cum animo decipiendi. Aliud *judiciale*, quod præstatur in Judicio. Aliud *absolutum*. Aliud *conditionatum*. Aliud *liberum*. Aliud *coactum*. Aliud fit verbis, aliud signis. Aliud *licitum*, aliud non licitum, quod patet ex ipsis terminis.

Q. *Quæ requiruntur ad Juramentum licitum conditiones?*

R. Veritas, justitia, & necessitas. Hinc Juramentum est actus Religionis, si fiat cum dictis conditionibus.

Q. *Quomodo peccant ex levitate vel consuetudine in familiari discursu jurantes?*

R. Si vere jurant his aut similibus verbis: *Deum testor*, vel *Deus mihi testis*, vel *Juro per Deum*, (hæc vero: *Ut sum Sacerdos*, vel, *Ut sum Catholicus*, non esse formulas juramenti docet *Engel. Less.*) & sine necessitate, peccant venialiter, non enim in vanum debet nomen Dei assumi.

Si vero falsa jurant, mortaliter; quia simul mendacium committunt, & maxime si in tali perjurio aliquam deliberationem habent.

Q. *An licet jurare cum restrictione mentis?*

R. Hæc difficultas pendet ab illis: an licet uti restrictione mentali.

Restrictio *mentalis* duplex est, *pure mentalis*, quæ tunc habetur, dum aliud omnimode verba sonant, & aliud est in mente loquentis, ita

ita ut adhibita omni diligentia non possit audiens devenire in alium sensum, præter illum quem verba sonant.

Et *non pure mentalis* est, quando illud quod retinetur in mente ex signo aliquo externo, æquivocis verbis, vel ex circumstantiis aliquibus cognosci debet, ut si Confessarius interrogaretur de peccatis pœnitentis, responderet, quod nullam haberet scientiam de peccatis, in mente retinendo propter te.

Porro restrictio pure mentalis mendacium est, & si fiat cum juramento est perjurium. Imo etiam in materia jocosa & leviori non est licita restrictio pure mentalis æquivoca.

Nunc R. Quando se aliquis sponte offert ad juramentum, vel a Judice legitime requisitus, peccat mortaliter, si æquivoce juret. Quia sic omne judicium facile perverti potest.

Q. *An teneatur juramento, qui juravit per hæc Evangelia, credens esse librum Evangeliorum, & fuit liber profanus?*

R. Tenetur, quia licet erravit in materia, non erravit in proposito.

Q. *An promissio jurata de re contra justitiam, contra bonos mores vel contra consilia Evangelica obliget ad executionem?*

R. Non, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis.

Q. *An qui contraxit sponsalia cum una absque juramento, deinde contrahit sponsalia jurata cum alia teneatur adimplere juramentum?*

R. Non, quia juramentum est invalidum tanquam factum de re injusta.

Imo nec tenetur ducere secundam, etsi prima voluntarie remitteret sua sponsalia, quia quod ab initio non valuit, tractu temporis non convalescit, nisi post dictam remissionem renovetur promissio cum illa secunda.

Q. *An Juramentum vel per errorem vel per dolum extortum obligat jurantem?*

R. Non, si error vel dolus versetur in substantia, quæ dedit causam juramento, quia ubi est error, nullus est consensus, secus si sit in accidentalibus tantum, vel quando viator coactus a prædonibus juravit se illis daturum pecuniam, quamvis in hoc casu possit peti relaxatio.

Q. *Quomodo peccat qui jurat se facturum rem malam?*

R. Si mortaliter malam, mortaliter, si venialiter malam, venialiter peccat, nec tenetur id perficere.

Q. *Quid est perjurium?*

R. Est quando quis invocat Deum in testem suæ falsitatis. Hinc ille censetur esse perjurus, qui falso jurat, vel qui non servat, vel non satisfacit juramento, & ideo peccat mortaliter in re gravi, venialiter in re levi.

Q. *Qua pœna punitur perjurus?*

R. Jure Pontificio fit infamis, & si est Clericus, deponitur a Beneficio & Ordine, & si Beneficium perjuro conferatur, Collatio ipso facto est nulla &c.

Q. *An in perjurio datur parvitas materiæ?*

R. Quotiescumque quis de præsenti falso jurat rem ita se habere, vel promittere, non datur parvitas, si rem parvam promissam juramento non præstat, datur juxta nonnullos.

§. XI.

Reliqua de Juramento.

Q. QUot & *quibus modis cessat obligatio Juramenti?*

R. Quatuor modis; irritatione, remissione, dispensatione, sive relaxatione & commutatione.

Q. *Quis*

Q. *Quis potest irritare Juramenta?*

R. Superior ipsius jurantis nempe pater, Prælatus, vir, dominus, respectu suorum subditorum.

Q. *Quis potest remittere obligationem Juramenti?*

R. Ille in cujus utilitatem vel favorem facta fuit promissio jurata.

Q. *An qui habet privilegium relaxandi vota pro foro interno, possit etiam relaxare juramenta?*

R. Potest. *Pont. Sua. Tam.*

Q. *Qui possunt Juramenta relaxare?*

R. Papa pro tota Ecclesia, deinde omnes Prælati habentes jurisdictionem spiritualem respectu suorum subditorum.

Q. *An Judex laicus potest relaxare juramenta?*

R. Non; quia est quid spirituale, nisi essent in sui favorem facta, quia tunc posset ea remittere.

Q. *Quæ excusant ab impletione juramenti?*

R. *Primo*. Si quod bonum erat tempore juramenti, propter circumstantias postea fit illicitum, vel vanum impeditivum majoris boni. *Secundo*. Si juramentum mutetur in opus aperte melius, & Deo gratius, nisi esset factum in gratiam hominis. *Tertio*. Si status rei notabiliter mutetur. *Quarto*. Si res jurata facta sit inutilis ad finem intentum. *Quintus*. Si ita ferant conditiones, quæ in quovis juramento promissorio tacite includuntur; v. g. *Si potero, salvo jure Superioris, vel nisi obligatio tollatur &c.*

§. XII.

De Adjuratione.

Q. QUid *est Adjuratio?*

R. Est cum inducitur aliqua persona ad aliquid faciendum, vel omittendum aliquid in vocatione Dei, vel alicujus rei sacræ.

Q. *Quot modis potest fieri adjuratio?*

R. *Primo*. Per petitionem, orationem, & obsecrationem. *Secundo*. Per imperium & coactionem, si fiat cum debitis requisitis, est actus religionis, ut autem sit licita, requiruntur, veritas, judicium & justitia.

Q. *Quomodo adjurare liceat?*

R. Cum debita humilitate possum orando, & deprecando adjurare Deum ipsum per Jesum Christum, per sacra mysteria Passionis.

Q. *Num creaturæ irrationales, ut animalia nociva, grandines, tempestates &c. possunt adjurari?*

R. Secundum se directe & proprie non possunt, quia non sunt capaces rationis, ut possint per adjurationem moveri ad aliquid; Quatenus vero moventur sive a Deo in pœnam peccatorum, sive a dæmone ad nocendum, possunt indirecte adjurari, sive adjuratione deprecativa, in ordine ad Deum, sive imperativa in ordine ad dæmonem. Et ad hoc serviunt Exorcismi.

Q. *An licite possunt adjurari dæmones, ut pellantur a corporibus obsessis?*

R. Possunt adjuratione imperativa & coactiva in nomine Dei & Sanctorum. Nullo autem modo adjuratione deprecativa, nam regulariter esset mortale.

§. XIII.

§. XIII.

De tertio Præcepto Decalogi.

Q. QUid hoc Præcepto præcipitur?

R. Observatio Festorum, in quibus cessandum est ab omni opere servili, & vacandum devotioni sub gravi peccato.

Q. *Quis diem Dominicam loco diei Sabbathi sanctificandum assignavit?*

R. SS. Apostoli ut patet ex Apoc. 1. dicente S. Joanne: *Fui in Spiritu in die Dominica.*

Q. *Quæ hujus ratio?*

R. *Prima.* In memoriam Resurrectionis Christi. *Secunda.* Ne videremur convenire cum Judæis. Ut sciat, Sacerdos rationem Judæis reddere, ex S. Scriptura, datur. *Tertia.* Ratio ex illo Isa. 66. Ubi Propheta postquam *v.* 11. de tempore Adventus Messiæ differuerit in persona Dei, de creatione novorum Sacerdotum, subdit *v.* 23. *Et erit mensis ex mense, & Sabbathum ex Sabbatho.* Quid clarius his verbis contra Judæos?

Q. *Qua opera sunt prohibita fieri die Dominico?*

R. Artes mechanicæ, omnia opera servilia, & quæ versantur circa materiam externam v. g. ligna secare &c. sive illa fiunt ex lucro, sive ex recreatione, minus excusant a peccato.

Possunt autem exerceri artes liberales, quia hæ principaliter occupant liberam mentem hominis, licet aliquando sint etiam cum defatigatione corporis, sed hoc per accidens est.

Q. *Quæ sunt artes liberales, & quæ mechanicæ sive factivæ?*

R. Artes liberales communiter numerantur septem hoc versu expressæ:

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Sonus, Angulus, Astra.

Ex quo deducitur artem Grammaticam, Poeticam, Oratoriam, Discursivam, Arithmeticam, Musicam, Geometricam, Astronomicam, Mathematicam, &c. esse licitam quo ad exercitium die Festo.

Q. *Quæ sunt artes mechanicæ?*

R. Sunt communiter hoc versu expressæ:

Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

Ex quo deducitur illicitam esse die Festo, Agriculturam, Venationem, Artem militarem, Fabrilem, Chirurgicam, Textoriam, & Nauticam; ac præsertim quo ad illas partes, quæ sunt opera servilia.

Q. *In quibus casibus potest quis exercere servilia diebus Festivis absque peccato mortali?*

R. *Primo*. In servitium Dei, ut pulsare campanas, mundare Ecclesiam, &c. *Secundo*. In servitium quotidianum & necessarium hominibus, ut curare infirmos, mundare domos, coquere cibos &c. *Tertio*. In necessitatem corporalem, ut si quis ita sit pauper, ut non possit præbere sibi vel suæ familiæ cibum, nisi die Festo laboret. *Quarto*. Propter communem necessitatem. *Quinto*. Ad evitanda majora damna, ut tempore Belli, tempestatis, incendii &c. *Sexto*. Ratione pietatis ut sepellire mortuos &c. in Beneficium publicum Reipublicæ.

Q. *Cui imputandum peccatum, si subditi violent Festa?*

R. Si inviti id faciunt, sed ex mandato domini præcipientis, soli domini præcipientes peccant, si vero ex suo arbitrio laborant publice, peccant principaliter, sed & Parochus, & ipse dominus minime excusatur a peccato, quia sunt Superiores, adeoque si possunt corrigere, & negligunt, participes sunt illius mali.

Q. *Si quis hebræo aut alteri non baptizato*

opus

opus servile pro integro Festo committeret, num peccaret?

R. Affirmat Tab. §. 1. n. 16. Nam tametsi non baptizatus ex se sine peccato diebus Festis laborare possit, quia non est legibus Ecclesiasticis subditus, fidelis tamen non poterit sine culpa laborem injungere, quia altero homine laborante ipse moraliter laborat, opera servilia non modo immediate per nos ipsos exercenda, sed etiam mediate & per alios homines prohibentur. *Matheu. pag.* 354. *&c.*

Q. *Quo tempore dies Festus incipit?*

R. Ordinarie loquendo juxta morem a media nocte v. g. Sabbathi, & terminatur nocte media sequenti.

Q. *Quid judicandum de secatione lignorum ad culinam die Festo?*

R. In hoc vere servili opere non mihi videtur famulari consuetudo. Unde si nulla adest necessitas, & potuissent commode hæc præparari ante diem Festum, peccant mortaliter domini sic disponentes, nisi sit modicus labor, quia si hoc licitum foret, nullum Festum rite posset celebrari.

Q. *Qui sunt actus forenses, a quibus abstinendum est diebus Festis?*

R. Citationes, formationes processuum, expeditiones, ac sententiæ, quæ non solum sunt illicitæ, sed nullæ, & invalidæ, si fiant in die Festo, nisi agatur de Religione, vel de personis miserabilibus sublevandis. Testes tamen examinari possunt.

Q. *An Regulares possunt annuntiare Festa, & vigilias populo?*

R. Non, quia hoc spectat ad Parochos, ut notat *Nicol. in Flos. verbo* Festum n. 8.

§. XIV.

De quarto Præcepto Decalogi.

Q. *Quid hoc Præcepto præcipitur?*

R. Honor parentibus debitus, imo & omnibus superioribus.

Q. *Qualis honor his debetur?*

R. Amoris, obedientiæ, & reverentiæ.

Q. *In quo consistit hic honor parentum?*

R. Reverentia interiori & exteriori: eos adjuvando in necessitatibus corporalibus, sustentando illos propriis bonis.

Q. *Quomodo & quando filius censetur peccare contra amorem parentum?*

R. Si signa odii ostendat erga parentes, si consulto & ex malitia contrarium mandatis eorum faciat, si torvo oculo eos aspiciat, & dure eos alloquatur, si non subveniat eorum necessitatibus, si mortem illis exoptet, si non impleat eorum testamenta, &c. In his omnibus pro gravitate delicti peccat mortaliter.

Q. *Quomodo obligamur ad substentandos parentes?*

R. Jure naturali. Et ideo si sint in extrema necessitate parentes, & filius jam sit ingressus aliquam Religionem ac professus, tenetur egredi petita prius, licet non obtenta licentia a suis Superioribus.

Q. *An filius potest aliquando privari hæreditate a patre?*

R. Potest ex justa causa, v. g. Si fuerit ingratus patri, afficiendo illum gravi injuria. Si vitæ patris insidiatus fuerit. Si maleficiis se immiscuit. Si novercam, idest patris secundam uxorem carnaliter cognoverit. Si patri in carcere detento succurrere noluerit. Si bona dilapidaverit.

Hæ causæ pro tunc valent, quando filio provisum est aliunde, unde vivat, nam alimentis ad vitam necessariis privari non potest per jus Civile, cum debeantur jure naturali.

Q. *An obligantur domini dare mercedem servis infirmis ad obsequium inutilibus?*

R. Si non ex occasione ipsorum infirmitas acciderit, non tenentur quidem ex justitia, nisi ex charitate, si sint in magna necessitate. Imo sumptus pro ejus curatione poterit dominus ex salario debito repetere. *Escob. t.* 1. *c.* 9.

Q. *Utrum dominus expellens servum domo nondum completo tempore constituto, teneatur ei solvere integrum anni salarium?*

R. Bonac. &c. DD. affirmant, nisi pulsus esset ob suam culpam.

§. XV.

De quinto Præcepto.

Q. QUid *est homicidium?*

R. Est injusta hominis occisio. Dicitur *injusta occisio*, ut sciamus non esse homicidia necare homines improbos ex publica authoritate. Dicitur *hominis* tam alterius quam sui ipsius, quia nullus est dominus vitæ suæ, aut membrorum, & sic nemo potest se ipsum occidere.

Q. *Quotuplex est homicidium?*

R. Duplex: *Voluntarium* & *Casuale*, quod patet ex terminis. Aliud *Simplex*, quod solet communiter fieri. Aliud *Qualificatum*, quod ratione alicujus qualitatis personæ occidentis, aut occisæ, vel aliarum circumstantiarum habet sibi specialem annexam malitiam & pœnam. Et tale est homicidium: Occisio parentum, consanguineorum, quod vulgo *Parricidium* appellatur, vel occisio Clerici, aut alte-

rius personæ Sacræ, & erit homicidium sacrilegum.

Q. *Quot modis committi potest homicidium?*

R. Sex. Facto, consilio, mandato, defensione, permissione, & auxilio.

Q. *An licitum est aliquando homicidium?*

R. Licitum. *Primo*. Quando malefactores publica authoritate teneantur. *Secundo*. In defensionem sui, ac bonorum necessariorum pro sustentatione vitæ, dummodo fiat defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Q. *Quæ requirit moderamen inculpatæ tutelæ?*

R. Tria. *Primo*. Ut sit æqualitas armorum, quia non licet pugione ferire illum, a quo quis impetitur pugnis. *Secundo*. Ut repercussio fiat incontinenti, si enim intercedat aliquod temporis spatium, erit vindicta, non necessaria defensio. *Tertio*. Ut aggressus non possit aliter salvare suam vitam, nisi percutiendo aggressorem, si enim potest se custodire in loco tuto, vel fugere, & occidat aggressorem, reus erit homicidii.

Q. *An licitum cuivis suum aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ?*

R. Licitum tam sæcularibus, quam spiritualibus.

Q. *An licet procurare abortum fœtus inanimati ne puella gravida infametur, aut occidatur a suis parentibus?*

R. Non licet; sententia contraria damnata est ab *Innoc. XI.*

Q. *Quando in procuratione abortus incurritur Irregularitas?*

R. Juxta communem sententiam solum pro tunc, quando est fœtus animatus, quia pro tunc duntaxat committitur verum homicidium, cum sit hominis viventis.

Q. *Quo tempore solet fœtus animari?*

R. Omissis variis opinionibus, communior sententia *Glossæ Clem.* est, quæ docet ani-

ma-

mationem masculi 40. fœminæ autem 80. a conceptione die, fieri.

Sed omissa hac doctrina adhuc nulli poterit esse omnino certum, an jam sint tot dies, vel non, a conceptione, siquidem multiplicatis copulis, & ipsa fœmina ignorare potest, in quo concepit.

Q. *Quomodo judicandum Confessario in dubio fœtus animati?*

R. Si nullum habeat judicium neque pro hac, neque pro altera parte, quod scilicet fœtus fuerit jam vivens, vel necdum, quando procuratio abortus intercessit. Censendum est non fuisse animatum, quia sicut in aliis dubiis semper judicium in favorem rei, ita & in hoc casu.

Q. *An soli sint obnoxii peccato & pœnis contra procurantes abortum, qui procurant?*

R. Etiam comprehenduntur, consulentes, consentientes, & mandantes juxta Bullam Sixti V. & Gregorii XIV.

Q. *Quibus pœnis subjacent abortum procurantes?*

R. *Primo*. Excommunicationi, tamen non reservatæ, & omnibus aliis pœnis, in utroque jure tam Civili, quam Canonico contra homicidas latis.

Secundo. Si procurantes sunt Clericis cujuscunque status, & dignitatis, privantur beneficio Ecclesiastico, & sunt inhabiles in posterum obtinendi illud pro foro externo.

Tertio. Item injuncta est talibus degradatio, & traditio Curiæ Sæculari.

Has pœnas non tantum incurrunt procurantes abortum fœtus animati, sed etiam inanimati, (ut patet legenti Bullam Sixti V. quæ incipit *Effrænatam*) imo & consulentes, aut præbentes venena sterilitatis mulieri, excepta Irregularitate, quam incurrunt, illi solum, qui procurant abortum fœtus animati.

Q. *An Irregularitas incurritur, etiamsi delictum procurationis abortus sit occultum?*

R. Affirm. Ideo taliter delinquens Missam celebrare, & actus Ordinis exercere non posset, donec a Sede Apostolica dispensetur. Nisi timeretur suspicio, seu propalatio aliqua, v. g. Si unicus Sacerdos esset in pago, etenim tunc celebrare posset, sed quamprimum poterit, tenetur procurare dispensationem.

Q. *Si fœtus sit animatus, licetne dare medicamenta tendentia ad expulsionem fœtus mulieri prægnanti graviter infirmæ, ex quo cum salute matris sequeretur indirecte fœtus mors?*

R. Non licet, nam ordo charitatis Christianæ exigit, ut vita spiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipsius matris. *Matheu.* pag. 255.

Q. *An liceat calumniatorem occidere, qui verbo aut alapa ignominiam intulit honorato viro, & aliter hæc ignominia recuperari non potest?*

R. Non licet, ob damnatam propos. ab *Innoc.* XI. ordine 30.

Q. *Utique licet occidere aggressorem in fortunæ bonis, quare non etiam in bonis famæ?*

R. *Primo*. Quia si id permitteretur, tenderet in maximam perniciem Reipublicæ, sic enim multiplicarentur duella & homicidia infinita.

Secundo. Quia per occisionem furis possunt recuperari bona fortunæ, non vero famæ, quinimo per occisionem diffamatoris, magis diminueretur bona æstimatio occidentis, cum & jus Civile id prohibeat.

Tertio. Quia contra diffamatorem offensus potest jure, & judicio procedere, ac sic suam famam repetere. Non vero contra furem, qui subito cum furto evanescit.

Q. *An liceat prævenire occidendo illum, a quo quis occidendus est?*

R. Probabilius licet, quando quis aliter vi-

vitam propriam, vel bona fortunæ ad sustentandam vitam omnino necessaria & magni pretii defendere non potest ab aggressore seu fure armis contra se irruente.

Q. *Petrus infecit vinum veneno pro suo inimico, hinc supervenit Paulus amicus Petri, & ebibit hocce vinum, brevi post mortuus est. An sit Petrus homicida & irregularis?*

R. Non. *Card. de Lugo, Tamb.* Si Paulum monere non potuit sine suæ vitæ propriæ periculo, quia mors Pauli Petro fuit involuntaria.

Q. *An incurrit irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario mandans in personam unius, si factum sit in personam alterius?*

R. Non. Sac. Cong. apud *Nic. Gar.*

Q. *Qui casu, seu præter intentionem alium occidit, vel mutilavit, sitne homicida, & irregularis?*

R. Affirm. Si fuit in culpa gravi sufficientem diligentiam non adhibendo, quia homicidium est voluntarium in causa. Si vero non fuit in culpa, quatenus nullo pacto periculum advertit, vel si advertit sufficientemque diligentiam adhibuit, & præcavit, seu transeuntes monuit, plures DD. tenent eum irregularitatem non incurrere, si dedit operam rei licitæ. Incurrere vero, si dederit operam rei illicitæ, ex qua secuta est mors; v. g. Si Clericus arma gerens, aut ad venationem pergens casu occidat alium, fieret irregularis. *Cap. de Homic.*

Q. *Quam pœnitentiam Confessarius debeat injungere homicida?*

R. Ut a propinquis veniam petat, si est notum, ut iisdem damna resarciat, ut Missas, Communiones, eleemosynas, jejunia, orationes crebrius peragat, vel peragi curet, vel peregrinationem illi aliquam assignet, si id commode fieri potest.

Q. *Licetne sibi inferre mortem?*

R. Non licet. Etsi legantur aliquæ S. Virgines id fecisse, id vel per ignorantiam inculpabilem, quia id in quibusdam casibus licitum esse putarunt, vel ex speciali Dei inspiratione fecerunt.

Q. *An licitum est se periculo mortis exponere?*

R. Ex justa causa est licitum in avertendam injuriam Deo, ut fecerunt plures Martyres, vel damnum Reipublicæ, ut solent facere milites in custodiis, & bello constituti.

Item licitum est se objicere telo, vel ictui ad servandam vitam Principis, vel amici injuste occidendi. Item servire peste infectis. Etiam ad servandam virginitatem, licet se mortis periculo exponere, non tamen directe occidere. Etiam ad fugiendum certum incendium ex alto præcipitem se dare.

Q. *Petrus meo nomine homicidium fecit, quod mihi significatum ratum habui, nunc scrupulis angor sumne irregularis, vel an teneor ad resarcienda damna?*

R. Non; quia ratum habere, non est mandare, neque consulere. *Tamb.* &c. ubi tamen advertit, quod qui ratam habet occisionem Clerici suo nomine factam, incurrit excommunicationem, quia hoc specialiter ita statutum est in jure per Text. *in Cap. Cum quis de sent. Excom.*

§. XVI.

De Bello.

Q. *Quid est Bellum?*

R. Est conflictus armorum auctoritate Superiorem non cognoscentis indictus.

Q. *An bellum ex natura sua sit licitum?*

R. Sive defensivum, sive offensivum, dummodo

modo ſit juſtum, & habeat omnes conditiones juſtitiæ, eſt licitum, quia jure naturæ licitum eſt vim vi repellere.

Q. *Quot & quæ conditiones requiruntur ad bellum juſtum?*

R. Tria. *Primo*. Authoritas legitima Principis ſuperiorem non cognoſcentis. *Secundo*. Juſta cauſa. *Tertio*. Recta intentio. Si adſit defectus conditionis primæ vel ſecundæ, erit bellum injuſtum cum onere reſtituendi damna illata. Si deſit tertia conditio, erit contra charitatem.

§. XVII.

De Duello.

Q. QUid eſt Duellum? R. Eſt pugna ſingularis duorum, vel plurium ex privato motivo, & ex mutuo condicto ad certum tempus, ac locum deſignata & facta. Ex genere ſuo eſt mortale, tam jure naturæ quam Canonico, & Civili ſub graviſſimis pœnis prohibetur.

Q. *An licitum ſit duellum?*

R. *Primo*. In omnibus privatis inimicitiis, damnis, offenſionibus illicitum eſt ſuſcipere duellum; quia nullus homo privatus poteſt eſſe Judex in propria cauſa ad vindicandam injuriam. Neque juvat ratio ſtatus militaris, ut acceptetur duellum, ne alias incurrat timiditatis notam, ob damnatam contrariam ab Alexand. VII. propoſitionem.

R. *Secundo*. In duobus ad ſummum caſibus licitum eſt duellum, 1. quando tempore belli, hoſtis, exercitui duellum offert, agitur enim pro tunc in favorem communis boni, ſicut fecit David. 2. Quando provocatus ad duellum, videt ſe injuſte occidendum a provocante, neque alius modus ſuppetat ſe a morte li-

berandi, nisi acceptet duellum: In tali enim casu potius est defensio vitæ, quam duellatio. *Mastr.*

Q. *Quæ sunt pœnæ duellantium?*

R. Omissis illis, quæ a jure Civili statutæ, incurrunt tales: Excommunicationem Papæ reservatam, infamiam perpetuam &c.

Incurrunt insuper hanc excommunicationem duellantes private sine Patrinis, seu secundantibus: Principes concedentes locum ad duellum, faventes & non prohibentes. Spectatores ex proposito: Portantes chartam duelli, affigentes, publicantes, imprimentes, vel etiam solo verbo denunciantes: consilium, favorem præbentes. Ab hac excommunicatione possunt absolvi in foro interno ab habente facultatem absolvendi a reservatis.

Q. *Mortuus in duello estne sepeliendus in Ecclesia?*

R. Si quis moriatur in acie duelli, vel eodem die etiam in alium locum translatus expiret, privatur sepultura Ecclesiastica, etiamsi ante obitum susceperit Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, quæ ipsi possunt, & debent administrari. Non vero si elapsis tribus, vel quatuor diebus moriatur post duellum, quia hæc pœna a *Trident.* lata est pro illis qui moriuntur in ipso duello.

Q. *In quibus casibus duelli non incurritur censura?*

R. 1. Si in invitatione præfiniatur locus, sed non tempus. 2. Si præfinitur tempus sed non locus. 3. Si præfiniatur locus & tempus non tamen ad pugnandum armis, sed pugnis. 4. Si dicta præfiniantur, sed provocatus non accessit. *Lez. Salma.* &c.

§. XVIII.

§. XVIII.

De Sexto Præcepto.

Q. *QUæ prohibentur hoc Præcepto?*

R. Non solum adulterium, sed etiam omnis actus illicitus venereus, internus, & externus.

Q. *Quid est luxuria?*

R. Vide superius pag. 18.

Q. *Quotuplex est luxuria?*

R. Duplex. *Perfecta*, quando ordinatur ad habendos actus venereos. Et *Imperfecta*, quando ultimus finis non est executio rei venereæ, sed se continet in morosa delectatione sensitiva, seu sensitivorum.

Q. *Quot sunt species luxuriæ?*

R. Sequentes: Simplex fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, & hæc dicuntur vitia secundum naturam: mollities vero, sodomia, & bestialitas dicuntur contra naturam.

Q. *Quid est fornicatio?*

R. Est inordinatus concubitus soluti cum soluta. Ex genere suo est mortale, & ex se intrinsece mala. Nam ex vago concubitu incerta redditur proles ex parte Patris, quod est contra rationalis naturæ institutum.

Q. *Quid est adulterium?*

R. Est inordinatus concubitus Personarum, quarum ambæ vel una ex illis est ligata vinculo Matrimonii.

Unde conjugatus conjugatam cognoscens, duo adulteria committit in Confessione exprimenda ob duas injurias & injustitias, unam suo proprio, alteram alterius conjugi illatam.

Q. *Quid est stuprum?*

R. Est defloratio Virginis ipsa invita. Tunc dicitur *invita*, quando vi aut dolo, timore,

aut ficta promissione Matrimonii inducitur ad copulam.

Gravius hoc est adulterio, cum per illud gravis infertur injuria virginitati puellæ, quæ maxime æstimari debet. Unde tenetur in foro conscientiæ illam ducere in uxorem, aut juxta sui possibilitatem, & prudentis arbitrium dotare, ac si esset virgo.

Q. *In quibus casibus stuprator non tenetur dotare?*

R. *Primo*. Si Virgo non vivebat honeste, servato verecundiæ pudore. *Secundo*. Si puella post stuprum patiatur se ab aliis carnaliter cognosci.

Q. *Quid est incestus?*

R. Est inordinatus concubitus cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum. Et est ex genere suo mortale: additque specialem malitiam in Confessione exprimendam.

§. XIX.

De Peccatis contra naturam.

Q. QUæ *sunt peccata contra naturam?*

R. Mollities, seu pollutio, bestialitas, sodomia, & indebitus concumbendi modus.

Q. *Quid est mollities?*

R. Est voluntaria ejectio seminis absque carnali copula illud foras effundendo, ut in masculis, vel intus in matricem diffundendo, ut in fœminis, quod est mortale.

Q. *Estne in Confessione aperienda intentio seu objectum, quod sibi repræsentabat pollutionem procurans?*

R. Affirm. quia peccatum sumit qualitatem speciei, quam haberet, si vere cum eo objecto copulam habuisset.

Q. *An licet ad tuendam sanitatem, vel etiam justam causam procurare pollutionem?*

R. In nullo casu licitum est, quia est res intrinsece mala.

Q. *An sit peccatum non impedire pollutionem jam cœptam in somnis?*

R. Non; dummodo non consentiat in ipsam, quia tunc pollutio in somnis est mortale, si ante somnum prævidebatur, & desiderata fuit, vel quando post somnum eidem consensus datur. *Tamb. l. 7. cap. 7.* Alias enim est pura exoneratio naturæ.

Q. *Danturne aliquæ causæ excusantes a peccaminosa pollutione?*

R. Sequentes: *Primo*, licitum est tangere se ex necessitate, aut tangi a medico. *Secundo*. Sumere medicinam calidam, ex qua per accidens sequatur pollutio. *Tertio*. Equitare. *Quarto*. Alloqui fœminam. *Quinto*. Studere casibus. *Sexto*. Audire Confessiones; & alia opera ex se honesta, ex quibus, si per accidens sequatur pollutio, non officit, dummodo hæc nec ante desideretur per dictas causas, neque post in illam libidinose consentiatur. *San. Less. Bon.*

Q. *Quid de illis judicandum, qui ex levi aspectu mulieris habent pollutiones valde frequentes?*

R. 1. Si fiat sine ulla delectatione, aut valde modica commotione, non est de illa curandum: quia talis est potius distillatio quædam humoris, qui potest vocari salivalis vel sputalis juxta *Gerson p. 2. de poll.* Et hunc solent habere aliqui sine ullo aspectu in fœminam, ut *idem* docet.

R. 2. Si fiat cum magna carnis commotione, est illicitus, quia sic præsumitur vera pollutio, maxime si sentitur venerea delectatio; si tamen aspectus sint improvisi, vel necessarii, ut in colloquiis honestis, & ex illis non intenditur pollutio, si sequatur, non est peccaminosa, vel ut plurimum non mortalis; modo illi delectationi voluntas non consentiat, sitque aliena ab omni periculo proximo.

Q.

Q. *Quid est bestialitas?*

R. Est, quando homo concumbit cum bestia aliqua, seu cum re animata diversæ speciei ab homine. Est gravissimum peccatum, quod in foro sæculari pœna combustionis punitur.

Q. *An hujus facinoris sit alia specialis iniquitas?*

R. Est illa, qua vir vel mulier coit cum dæmone seu succubo, seu incubo. Huic peccato superadditur malitia contra religionem; & præterea etiam sodomiæ, adulterii, vel incestus juxta affectum viri vel mulieris coeuntis cum dæmone.

Q. *Quid est sodomia?*

R. Est concubitus personarum ejusdem sexus. Et vocatur sodomia perfecta. Vel diversi sexus, sed extra vas naturale, & vocatur *imperfecta*.

Quotiescumque reservatur sodomia, debet intelligi *perfecta* masculi cum masculo, non vero cum fœmina, licet sit utrumque grave.

Q. *An copula sodomitica parit affinitatem?*

R. Non, quia affinitas oritur solum ex copula naturali.

Q. *Quando peccant conjuges, si a tergo more brutorum coeunt?*

R. Si consulte id faciunt, ut impediant generationem, peccant mortaliter. Nec venialiter autem peccare docet *Mast. Fil. Bon.* si habent justam causam, v. g. quia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio propter molem aliter fieri non permittit, melius enim sic coire, quam pollutionem pati.

Q. *An teneatur vir debitum reddere uxori, & e contra?*

R. Tenetur, quia unusquisque illorum non habet jus in suum corpus, sed translatum est per contractum matrimonialem in alterius potestatem.

statem. Si vero sine justa causa mulier denegat viro debitum, etsi ea ratione ut se liberet a doloribus partus, peccat, maxime si sit periculum incontinentiæ, aut pollutionis secuturæ.

Q. *Quæ sunt justæ causæ denegandi debitum conjugalem?*

R. 1. Si mulier timeat damnum mortis, infirmitatis, aut suffocationis prolis, si sit gravida, aut vir morbo contagioso sit infectus, v. g. gallico, aut lepra &c. 2. Si modo illicito petat debitum.

Q. *An peccat mulier, si ex aliquo odio privato sine consensu viri abscedit, aut alibi dormit, ut sit libera a debito conjugali?*

R. Peccat, & quidem pro qualitate incontinentis viri, & periculo pollutionis ejus, mortaliter. Tales pertinaces conjuges non sunt facile absolvendæ, nisi promittant regressum.

§. XX.

Reliqua de peccato contra Castitatem.

Q. QUid est delectatio morosa?

R. Illa taliter non dicitur a longa temporis mora, sed inde quod voluntas habita notitia malitiæ, immoratur illi, quod potest in instanti fieri.

Q. *An peccant pictores personas nudas pingentes?*

R. Peccant mortaliter, cum incitet homines ad luxuriam.

Q. *An peccat mulier ornans se, ut virorum aspectibus offeratur?*

R. 1. Si se ornat cum recta intentione juxta qualitatem & statum suum ac communem usum, non peccat, quia facit id, quod est juris sui. Quod si ornatus est superfluus, peccaret venialiter. *Bon. Cajet. &c.*

R.

R. 2. Si ornatus esset rarus cum excessu notabili, v. g. pectus nudum, peccaret mortaliter. Ideo omnino deterrendæ sunt mulieres a Confessariis & Concionatoribus, ne sua nudent pectora, cum ista sit pessima consuetudo, ideo eliminanda est omnino.

Huic obviando publicavit Innoc. XI. *Edict.* ad Universam Ecclesiam: *Serio monemus omnes Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, ne dent absolutionem Sacramentalem, neque admittant ad S. Synaxim mulieres, virgines cujuscumque status & dignitatis immodeste, imo scandalose incedentes, nempe monstrantes sua nuda pectora, ut a tali scandaloso incedendi modo, quam ocyus alienæ possint esse, meminerint moniti Christi Domini; Væ per quem scandalum venit, quod præbent taliter incedentes.*

Q. *An tenetur adultera revelare suum crimen marito, aut filiis legitimis, ut cedant injuriis suis?*

R. Non tenetur. Commun. Doct. ne quidem in mortis articulo, quia id sine sui infamia facere non posset.

1. Debet autem diligentiam adhibere in gubernatione domus, ut ex labore & industria sua bona possit augere in compensationem illius avulsæ partis, quam illegitima proles sit acceptura.

2. Debet solitos sumptus diminuere, quantum status ejus permittit, maxime si sit vidua. *Comm. DD.*

Q. *Quale peccatum sunt tactus impudici, oscula, verba obscœna inter personas matrimonio non ligatas?*

R. Si fiant, non ex levitate, joco, sed ex affectu impuro, sunt ex genere suo mortale.

Idem dicendum, si quis se ipsum tangat ob delectationem veneream.

Q. *An solus osculans, aut tangens peccat?*

R. Non

R. Non solus, etiam illa persona, quæ sponte permittit se tangi, aut impudice osculari, aut cum risu audit verba obscœna, quia in illa præsumitur affectus malus, & consensus ad hæc. Plura vid. inferius §. 31.

§. XXI.

De septimo Præcepto.

Q. *Quid hoc Præcepto prohibetur?*

R. Omne damnum, quod causatur proximo in bonis temporalibus. Comprehenditur sub hoc Præcepto: Jus, justitia, furtum &c.

Q. *Quot modis damnificatur proximus in bonis temporalibus?*

R. Tripliciter: Bona auferendo, damna illata non reparando, & contractus iniquos perficiendo.

Q. *Quid est furtum?*

R. Est occulta & injusta rei alienæ ablatio, vel detentio, invito rationabiliter domino.

Q. *Quot sunt species furti?*

R. Si clam res aufertur, dicitur *furtum*, si per vim *rapina*, si res sacra, vel in locum sacrum ad depositionem data, erit *sacrilegium*; si possessio spectans ad Rempublicam, *peculatus*; si grex dispersus, *abigeatus*; si homo, ut venumdetur, *plagium* &c.

Q. *Furtum quale est peccatum?*

R. Ex genere suo est mortale, nisi parvitas materiæ excuset.

Q. *Quæ quantitas requiritur in furto, ut culpa sit mortalis?*

R. Ea non est metienda mathematice, sed moraliter, & ex circumstantiis personæ, cui fit ablatio. Ideo tunc erit mortale, si grave damnum inferatur proximo, vel charitas Christiana graviter lædatur, ut si quis furaretur

rem

rem etsi non magni valoris, sed valde charam, aut necessariam domino, ita ut gravem molestiam pateretur ex ejus ablatione, vel ei summe necessariam ad se sustentandum.

Q. *An liceat aliquando furari?*

R. Non licet, nisi in extrema necessitate, quia hæc sola facit rem alterius communem. In gravi necessitate non licet furari, ex Decreto Innoc. XI. A. 1679. 2. Mart.

Q. *Qualia sunt peccata furta minuta domesticorum?*

R. Si non perveniant ad graviorem quantitatem collective sumpta, sunt tantum venialia, & ad restitutionem illorum tantum sub veniali tenetur fur; quia per illa non læditur graviter proximus: Id autem intelligendum de illis, quæ ad magnam quantitatem non ascendunt.

Notet Confessarius quod dum talia confitentur pœnitentes, *Primo*, interrogandi sunt, an non habuerint animum plura surripiendi, si adesset occasio, quod si adfuerit talis voluntas, jam sufficiet apud Deum pro peccato mortali. *Secundo*. Interrogandi sunt, an per talia modica furta non intendebant ditescere, & cumulare notabilem pecuniæ quantitatem, si ita evenit, peccarunt mortaliter prava voluntate deliberate facta. Comm. DD.

Q. *Quænam quantitas requiritur ad grave peccatum in minutis furtis?*

R. Non potest quidem certa assignari quantitas; hæc tamen Confessario attendenda erunt. *Primo*. Quantitas materiæ ablatæ. *Secundo*. Persona damnificata per talia furta cum suo statu & situatione ac tempore. *Tertio*. Malitia furis, an hæc furta fortuito, ac potius ex malitia fecerit. *Quarto*. Damnum illatum proximo. *Quinto*. Prava voluntas furis, puta si plene advertit hæc minuta furta, jam in magnum

pre-

pretium excrevisse, vel quia habuit voluntatem ex illis ditior fieri, aut plura furari, si occasio adesset.

Interrogandus est etiam pœnitens: An in præcedenti Confessione similia furta minuta non commiserit? Nam poterit esse, quod præsens materia in minutis furtis sit levis, conjuncta tamen cum antiquioribus erit gravis, consequenter mortalis.

Idem dicendum erit de furtis minutis sartorum, textorum, aliorumque opificum. Si enim reliquiæ sunt parvi momenti, de quibus domini parum curare solent, erunt venialia. Si majoris ponderis sint, erunt mortalia.

Q. *Quid faciendum est Confessario in praxi cum servis defraudantibus dominos suos?*

R. Confessarius tales suaviter arguere debet, ne ullo prætextu id faciant, sunt enim custodes bonorum domini sui. Hinc si præter esculenta aliquid aliud auferant, turpius videntur peccare, quam alii, qui ad hanc fidelitatem non obligantur. Non attenta quacunque ex prædictis excusatione, imponatur eis restitutio. Siquidem in illorum potestate fuit, juxta exiguum salarium servire. Imo etiamsi illis aliquando non solvatur de integro, non per hoc debent vi & furtim sibi solvere. Quod si non habeant, unde restituant, saltem servitio vel oratione compensent damnum.

Q. *An famulus occulte surripiens domino ad compensandam operam suam, quam majorem judicat salario, quod recipit, excusetur a furto?*

R. Non. Contraria est damnata ab Innocentio XI.

Q. *Utrum in aliquo saltem casu licebit famulo sibi compensare?*

R. Affirmat Felix Got. *Primo*. Si invitus fuerit a domino coactus dolo, minis &c. ad serviendum pretio minori infimo. *Secundo*. Si

dominus minus pretium solvat quam fuerit in pacto conventum. *Tertio*. Si dominus salarium solvat, non in pecunia, sed in aliis rebus, quibus non eget, & quas cogitur vendere viliori pretio. *Quarto*. Si dominus ultra famulatum, super quo facta est conventio, alium extraordinarium imponat, qui distincto salario solet conduci, & a distincta persona peragi.

§. XXII.

De cooperatoribus ad furtum.

Q. *Quotupliciter potest fieri injusta damnificatio proximi?*

R. *Primo. Immediate*, ac per se ipsum; ut dum quis per se ipsum furatur. *Secundo. Mediate*, ac per alium, sive illi mandando sive consulendo, ad inferendum damnum proximo suo. Et hoc potest fieri novem modis his versibus expressis.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex priores modi sunt positive cooperantes ad furtum vel damnum proximi; Alii vero tres sunt negative cooperantes, scilicet omittendo id, quod ex officio atque justitia facere tenebantur.

Q. *An omnibus his novem modis cooperantes ad furtum alterius, non tantum peccant graviter juxta gravitatem damni, sed etiam tenentur ad restitutionem?*

R. Affirm. Hoc tamen servato ordine quod, si ille, qui per seipsum fecit damnum alteri, potest facere restitutionem, ipse solus obligatur restituere; in defectu autem illius, tenebitur *jubens*, *consulens*, & cæteri omnes.

Q. *An*

Q. *An hoc totum intelligi etiam debet de cooperatoribus ad damnum proximo inferendum in bonis famæ?*

R. Affirmative. Utrobique enim par ratio habetur.

Jubens, ille eſt, qui ita jubet, ut animum alterius ad furtum vel damnum moveat inferendum. At retractata juſſione ſua, ad damna reſarcienda minime tenetur. Nam actio illius ceſſat penitus.

Conſilium, qui pravo conſilio, adhortationibus alterum movet ad furtum. Hic etiamſi retractet ſuum conſilium, ad reſtitutionem obligatur, quia adhuc influit in effectum. Ex quo patet longe diverſa ratio inter jubentem atque conſulentem.

Conſenſus, ſine cujus conſenſu non ſequeretur actus.

Palpo, quando ex laudatione vel adulatione tanquam ex cauſa, vel concauſa, ſequitur effectus damni.

Recurſus, eſt receptor furti; eſt enim cauſa damnificationis præbendo ſecuritatem, & cuſtodiam prædæ, unde fures ſecurius & animoſius furantur.

Participans, ille eſt, qui vel aliquid participat de furto, vel adjuvat damnificantem in actione damni, v. g. ſcalas tenendo, excubias faciendo, prædam aſportando &c.

Mutus, qui non clamat, cum poſſit. *Non obſtans*, ideſt non impediens damnum. *Non manifeſtans*, qui non revelat furtum.

His tribus modis negativis concurrentes, non tenentur ad reſtitutionem, niſi aliunde obligationem haberent, v. g. quia ſunt ſervi, vel cuſtodes. Si autem ex charitate tantum obligabantur ad impediendum, peccarunt quidem juxta gravitatem damni, ſed reſtituere non tenebuntur.

§. XXIII.

De Restitutione.

Q. *Quo jure est debita rei alienæ restitutio?*

R. Jure naturali: *Quod tibi non vis &c.* Et Divino: *Non furtum facies, &c.*

Q. *Quid sit obligatio in solidum restitutionis?*

R. Intelligitur illa obligatio, qua quis efficaciter ad furtum vel damnum alterius cooperans obligatur ad restituendum totum id, respectu cujus erat causa efficax. Ly *in solidum*, idem sonat ac totum.

Q. *Quo ordine tenentur ad restitutionem cooperantes ad damnum proximi?*

R. *Primo*. Tenetur *jubens*, tandem *consulens*. Quod si autem fur habuit intentionem auferendi, v. g. 10. aureos, & Petrus consuluit ei, ut acciperet 20. tunc Petrus consulens tenebitur ad restitutionem tantum 10. aureorum, quia solum fuit causa efficax respectu horum 10. Hac regula facile judicabit Confessarius, de aliis similibus. Deinde *consentiens*, & sic deinceps omnes positive influentes, postremo autem negative, scilicet *mutus &c.*

Q. *Quid si res ablata pereat apud furem?*

R. Adhuc talis tenetur ad restitutionem, quia restitutio generaliter oritur vel ex parte rei alienæ, vel injustæ acceptionis, sive damnificationis, quod in causa haberetur.

Q. *Quid si res ablata peritura foret pariter apud suum dominum, sicuti apud furem, teneturne fur ad restitutionem?*

R. Si res furtiva, vel alio modo injuste accepta certo fuisset peritura apud dominum, v. g. inundatione aquarum, incendio, aut incursione

ne hoſtium &c. tunc fur peccavit quidem juxta qualitatem materiæ, ſed ad reſtitutionem non tenetur. *Leſs. Silv. Covar. &c.* Quia in tali caſu nullum notabile damnum domino illius rei accidit, eo quod perierit apud raptorem, & non apud ipſum.

Secus dicendum, ſi dubium ſit, an fuerit peritura, nam in dubiis ſtandum eſt pro parte, & certitudine proprii domini.

Q. *Quæ regulæ obſervandæ ſunt in reſtitutione?*

R. *Prima regula.* Reſtitutio imprimis facienda eſt ipſi domino, ſive damnificato, ſi poſſibile eſt. *Secunda.* Si ſit impoſſibile reſtituere ipſi damnificato, quia v. g. mortuus eſt, reſtituendum erit hæredibus, vel propinquis.

Hæc regula bene adnotanda eſt Confeſſariis; nam ſæpius pœnitentes mortuo damnificato, putant ſe eſſe liberos a reſtitutione. Vel ſi ſint prompti ad reſtituendum, ſæpius Confeſſarii omiſſis propinquis, & hæredibus, ſolent aſſignare reſtitutionem ad pias cauſas, v. g. in Sacrificio Miſſæ & alias, quod non eſt faciendum, quia jus naturæ prævalet piis cauſis.

Tertia. Quod ſi hæres ſit mortuus, aut ignotus, vel longe diſtans, ad quem impoſſibile fuerit devenire reſtitutionem, tunc ultimo erogandum eſt in cauſas pias, vel pauperes. Poteſt Confeſſarius ipſi damnificanti, ſi eſt vere pauper, hanc reſtitutionem applicare cum injunctione precum, ſicut pro eleemoſyna ſolent facere alii pauperes.

Q. *Quid obſervandum eſt, in reſtitutione illius rei, quam poſſeſſor bona fide apud ſe retinuit?*

R. *Primo.* Si bonæ fidei poſſeſſor rem alienam retinet in ſpecie, poſtquam devenerit in cognitionem, quod ſit res aliena, tenetur ad reſtitutionem illius proprio domino. Si vero

illam rem bona fide alienavit, vel consumpsit, neque ex hac alienatione factus sit ditior, non tenebitur ex conscientia. *Reiffenst. &c.*

R. *Secundo*. Quod si ex re aliena apud se retenta ditior factus sit, non tantum tenetur restituere rem illam domino proprio, sed etiam lucrum illud ex eadem emergens, & præsertim illud, quod sine industria & labore talis possessoris evenit.

R. *Tertio*. Quotiescunque aliquis possidet bona aliena cum dubia conscientia, an sint propria vel aliena, post cognitionem certam & evidentem, quod sint aliena, non tantum tenetur reddere bona illa domino proprio, sed etiam lucrum ex illis proveniens, retenta sibi parte, quæ evenit ex industria & labore ejus. Quod maxime certum est, quando tale dubium non curavit deponere, & consulto omittebat ad notitiam evidentiorem rei devenire.

Q. *An pro omnibus bonis injuriatis tenemur ad restitutionem?*

R. *Primo*. Bona hominis propria triplicia numerantur. 1. Ex parte *animæ*. 2. Ex parte *corporis*. 3. Ex parte *famæ*. Bona *animæ* possunt iterum dici duplicia. *Physica* sunt intellectus, voluntas & memoria. Item sensus interni & externi. Et *moralia* sunt, habitus recti, virtutes, conscientia recta seu pura. His præmissis

R. *Secundo*. Qui aliquem injuriavit in bonis *physicis* animæ, v. g. si privavit aliquem usu rationis per veneficia vel mutilationem, peccat tantum, sed ad restitutionem non tenetur, quia hæc bona non sunt pretio æstimabilia, tenetur tamen ad restitutionem bonorum temporalium, quæ ex privatione alicujus sensus, aut potentiæ amittuntur.

R. *Tertio*. Qui nocuit in bonis *moralibus*, v. g. inducendo ad peccatum, tenetur ad pœnitentiam, & bonos mores inducere.

Q. *An*

Q. *An ille tenetur ad restitutionem, qui proximum impedivit in bonis consequendis?*

R. *Primo*. Si bona, quæ consequenda erant ex liberalitate (ut si quidam moriens ex liberalitate testamento assignaturus est v. g. Petro 100. flor. & Paulus persuasione impedit) impediuntur ab aliquo, hic tenetur quidem ad restitutionem damni, sed non in solidum, seu non obligatur restituere ei totum illud bonum, sed aliquam duntaxat portionem.

R. *Secundo*. Si vero bona consequenda v. g. Petro titulo justitiæ debebantur, Paulus impediens directe tenetur in conscientia ad restitutionem in solidum boni illius habendi.

R. *Tertio*. Si autem v. g. Petro aliquis collaturus fuit bonum aliquod titulo liberalitatis, Paulus impediens, non animo nocendi, sed idem bonum sibi, aut suis consanguineis procurandi, ad nullam tenetur restitutionem. Ita *Sco. Mastr.* Quia quilibet habet jus naturale procurandi sibi magis bonum, quam alteri extraneo.

Q. *Quænam causæ sunt excusantes aliquem a restitutione?*

R. Varii varias assignant juxta communiorem. *Prima*. Est *impotentia*, quia ad impossibilia nemo obligatur. Quod si autem fur seu debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit, tenebitur ad restitutionem. Excipitur tamen ille, qui rem ablatam consumpsit tempore extremæ necessitatis suæ, quia in tali casu sunt omnia communia jure naturali.

Secunda. Periculum infamiæ, vitæ, vel membrorum. Quæ causa pariter sicut & prima excusat solum ad tempus, nam cessante periculo, cessabit & causa.

Tertia. Si injuriatus suam condonavit injuriam.

Quarta. Si res restituenda sit nocitura creditori.

Quinta. Religionis ingressus v. g. si negotiando vel laborando non possit restituere debita, seu damna, potest tunc relictis omnibus creditori, ingredi Religionem.

Sexto. *Compensatio*, Si quis v. g. abstulit tanti pretii rem ab altero, quantum sibi debebatur ab illo.

Ut talis autem compensatio sit licita in foro conscientiæ requiruntur hæ conditiones. 1. Ut debitum sit certum, & ex justitia reddendum. 2. Ut res propria alio modo non possit recuperari, aut cum summa molestia, nisi per talem compensationem. 3. Ut compensatio fiat in re propria ipsius debitoris. 4. Ut non plus accipiatur in compensatione, quam debetur. 5. Ut taliter sibi compensans attendat ne illius compensatio alteri tanquam furtum imputetur, quod sæpissime evenit; alias teneretur ad compensandam injuriam innocenti illatam.

Septima. Causam excusans a restitutione est *præscriptio* seu *usucapio*, quæ est acquisitio dominii in rem alienam per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito continuatam.

Q. *Quæ conditiones requiruntur ad præscriptionem?*

R. 1. Bona fides. 2. Titulus ad illam rem saltem probabiliter præsumptus successionis, donationis, vel emptionis, legati vel adjudicationis. 3. Possessio continuata per tempus a jure statutum.

Q. *Quid circa bonam fidem notandum venit?*

R. Bona fide hic est idem, quod conscientia bona, vel judicium practicum, saltem probabile, quod res quam incipio possidere, sit mea, seu quod hic, & nunc alteri non facio injuriam rem talem tenendo.

Q. *Quid circa continuationem temporis ad præscribendum requisiti notandum venit?*

R.

R. Tempus hoc aliud dicitur *breve* in Jure, quod infra 10. Aliud *longum* 20. annorum. Aliud *longiſſimum*, quod eſt ſaltem 30. annorum.

Notandum. Dantur res aliquæ, quæ non ſunt aptæ præſcribi, vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitione Juris, ſic enim non poſſunt præſcribi res ad cultum Dei conſecratæ, v. g. Calices, Templa &c. cum ſint Dei, qui cenſetur ſemper poſſidere per ſuos Miniſtros. Item res publicæ, quales ſunt viæ, plateæ, pontes, &c. quia nemo ſeorſim poteſt eorum eſſe dominus, quæ ſunt omnium.

§. XXIV.

De Contractibus.

Q. QUid eſt contractus?

R. Eſt pactum duorum, quo ſcienter, libere, & legitime ſe uterque viciſſim, vel ſaltem una pars, alteri acceptanti obbligat aliquo ſigno externo.

Q. *Quotuplices ſunt contractus?*

R. Alii ſunt abſoluti, alii conditionati, expliciti, impliciti, quorum explicatio patet ex terminis.

Contractus alius eſt *ſtricte talis*, eſtque conventio facta voluntate propria eorum, qui poſtea obligantur, & dicitur pactum obligans ex juſtitia commutativa.

Et *quaſi contractus*, eſtque conventio facta voluntate alterius, qui ſupplet pro voluntate illius, qui poſtea obligabitur, ut ſi tutor contrahat pro pupillo.

Alius *oneroſus*, per quem utrique contrahenti imponitur onus, diciturque mutuus reciprocus. Alius dicitur *nudus*, qui conſiſtit in nudo pacto, uti promiſſio, emptio, &c.

Alius *vestitus*, qui præter pactum, habet aliquid, quo firmatur v. g. Juramentum, vel subscriptionem.

Q. *Quæ sunt species contractuum nominatorum?*

R. Variæ, uti promissio, donatio, emptio, venditio. Explicatio patet ex terminis.

Q. *Donatio non solum acceptata, sed etiam tradita quando revocari potest?*

R. 1. Ob enormem ingratitudinem donatarii, etiamsi fuerit jurata. 2. Causa mortis facta, ante mortem potest revocari, uti testamentum, legatum &c. quia includit implicitam conditionem, nisi revocetur. 3. Prole carens, si magnam donationem fecit, revocare poterit adveniente prole.

Q. *Quid est mutuum?*

R. Est traditio rei, numero, pondere vel mensura constantis, facta eo animo statim fiat accipientis, cum obligatione restituendi rem similem in bonitate & specie.

Dicitur *mutuum*, quasi ex *meo tuum*, ita enim a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.

Dicitur *cum obligatione restituendi &c.* quia si esset restituenda res alterius speciei, non esset mutuum, sed permutatio.

Mutuans est, qui dat rem mutuo; *Mutuatarius*, qui accipit rem mutuo sibi concessam, in quam habet plenum dominium, ac si foret propria. Unde si aliquo casu res *mutuo* tradita auferretur mutuatario, ejus erit damnum, non mutuantis, quia quælibet res domino suo perit, mutuum est sæpe in rebus consumptibilibus.

Q. *An licet aliquid exigere lucri pro mutuatione rei?*

R. Non, quia alias foret usura, quæ est prohibita in lege veteri *Levit.* 25. & in lege nova *Lucæ* 6. *Bene facite & mutuum date nihil inde sperantes.*

Q. *Quid est* Commodatum?

R.

R. Eſt quo uſus alicujus rei mobilis gratis alicui conceditur ſine translatione dominii.

Depoſitum eſt, quo aliquid alteri cuſtodiendum traditur ſine uſu rei, ſive cum pretio, ſive ſine pretio.

Locatum eſt, quo alicui traditur uſus alicujus rei immobilis ſine translatione dominii, ad tempus, ſed adhibito aliquo pretio annuatim ſolvendo v. g. domus incolenda, ille autem, qui eam ſic incolit, dicitur conductor.

Emphiteuſis eſt contractus rei immobilis, cujus tantum dominium utile transfertur in accipientem, retento directo apud concedentem, cum pacto certæ penſionis proprietario annuatim ſolvendæ in recognitionem dominii directi. Qui accipit, dicitur emphiteuta, qui concedit, proprietarius.

Feudum, eſt contractus, quo res immobilis alicui conceditur, quo ad dominium utile cum onere exhibendi fidelitatem, & obſequium perſonale domino directo. Feudatarius ſeu feudi acceptor vocatur vaſſallus, qui, ſi non præſtat obſequium & fidelitatem promiſſam, amittit feudum.

Pignus eſt contractus, quo rem debitor dat ſuo creditori aliquam, præcipue mobilem, huc-uſque quouſque non reddet debitum.

Hypotheca eſt ſimilis pignori, ſolum differt per hoc, quod per hypothecam dantur res ſemper immobiles, & ſic in jure dicuntur ſæpe bona hypothecata.

Cambium ſignificat permutationem pecuniæ, & eſt contractus, quo unus campſor, alteri ſcilicet campſario cambit, ſeu permutat pecuniam, quam refundit, v. g. Romæ, ſcribendo ad ſuos factores, vocaturque cambium per literas. Quidquid ſupra ſortem ex cambio accipitur, non eſt uſura, ſi fiat ex conſuetudine patriæ vel loci, & alio juſto titulo.

Monopolium eſt, quo unus vel plures mercatores inter ſe propria authoritate conveniunt, ut coemendo merces certi generis, eas carius divendant, efficiendo, ut vix alibi inveniri poſſint. Eſt autem injuſtum.

Negotiatio eſt, quando quis rem comparat eo ſibi animo, ut eam vendat carius, ut permutet cum aliquo lucro.

Sponſio eſt contractus duorum vel plurium, qui de eventu rei certant, & de veritate rei, invicem promittentes aliquid, ita, ut qui vicerit, res promiſſa illius ſit.

Q. *Quæ requiruntur conditiones ut fiat licite ſponſio?*

R. 1. Ut fiat ſuper re dubia, & eventu dubio. Si vero unus ſponſionem fecit de re & eventu tali, quem ſcit infallibiliter, peccat, quia alium decipit, & ſponſio nulla eſt, niſi pars altera acceptet.

2. Ut ſit æqualitas in re quæ ſpondetur.

3. Ut uterque eodem ſenſu accipiat.

Contractus ſocietatis eſt cum multi aliqui ineunt ſocietatem, & contribuunt pecuniam pro comparandis mercibus, & tandem damnum vel lucrum proveniens ex negotiatione juxta proportionem damni vel lucri inter ſe dividunt.

Aſſecuratio ſeu fidejuſſio eſt contractus quando quis rei alienæ periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe, quod, in caſu rei perditæ, aut non exhibitæ ſolicitudinis, ipſemet fidejuſſor pro principali ſolvet, aut rem reddet.

Q. *Contractus validus quomodo obligat?*

R. Obligat in conſcientia, & ſi læditur, etiam ad reſtitutionem.

Contractus initi cum metu gravi injuſte incuſſo, ſunt jure naturæ invalidi, quia ſi contractus cum metu initus eſſet validus, tunc ex injuſtitia oriretur juſtitia, quod implicat.

Q. *Petrus invenit annulum cum lucido lapi-*

pi-

pillo, quem vitreum esse putans, vendidit vili pretio Paulo, qui pariter lapillum vitreum esse putabat; certior postea factus Paulus, quod sit adamas, an teneatur contractum rescindere?

R. Affirm. quia mutuo contrahentium consensui ad valorem cujuscumque contractus requisito nihil ex communi axiomate est tam contrarium, quam error. Ita *D. Tho. p. 2. q. 6. Girib. &c.*

§. XXV.

De Usura, & Censu.

Q. QUid est Usura?

R. Est lucrum immediate ex mutuo proveniens. Ita Comm. DD. Dicitur autem *immediate*, quia si mutuatarius propria sponte in vim gratitudinis aliquid tribuat, non erit usura, dummodo illud non exigatur a creditore per modum debiti, nam hoc damnatum est ab Innoc. XI. Prop. 24.

Q. *Quale peccatum est usura?*

R. Est quidem ex genere suo mortale, potest tamen a mortali excusare parvitas materiæ, seu lucri ex mutuo provenientis.

Q. *Quotuplex est?*

R. *Expressa*, quando expresse aliquod exigitur pretium pro mutuo. Et *Palliata*, quando ob solam dilationem solutionis mutui exigitur plus aliquid justo.

Q. *An licitum est dare mutuo frumentum, ut post messem majore mensura, aut meliori reddatur grano, vel pro mutuo, ut aliquot diebus tempore messis laboret mutuatarius?*

R. Omnia ista onera ex vi mutui imposita sunt illicita & peccaminosa, quia sunt usuraria. Secus erunt licita, si non exigantur, sed titulo gratitudinis sponte offerantur a mutuatario.

Q. An

Q. *An licitum est in aliquo casu accipere aliquid ex vi mutui?*

R. Licitum. *Primo*. Ratione *lucri cessantis*. *Secundo*. Ratione *damni emergentis*, quia hoc non est lucrum ex vi mutui, quod est usura, sed compensatio damni, sibi ex mutuatione illati, quod compensandum jus naturæ non prohibet.

Tertio. Ratione periculi sortis principalis, seu capitalis amittendæ, quia v. g. difficulter & cum expensa, summa mutuo data recuperari metuitur. Quia tam periculum, quam difficultas recuperandæ suæ pecuniæ æquivalent damno sibi ex mutuo illato.

Q. *An licitum est mutuo danti suam pecuniam obligare mutuatarium, ut si statuto tempore non solverit, ultra sortem principalem teneatur pro mora & culpa aliquid solvere?*

R. Affirm. quia id non exigitur per modum usuræ ex vi mutui, sed in pœnam retardationis reddendæ sibi pecuniæ opportuno tempore.

Q. *An pro sola carentia pecuniæ possit in mutuo quid plus exigi?*

R. Non potest; contraria est damnata ab Alex. VII. n. 92.

Q. *Quid est Census?*

R. Est jus contractu aliquo institutum percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius. Census dicitur aliter provisio, pensio, seu potius jus ad pensionem.

Q. *Quæ est differentia inter censum & mutuum?*

R. 1. Quia in mutuo debet reddi res similis in specie & bonitate; in censu vero non tenetur censuarista reddere sortem sive capitalem summam, sed tantum annuam pensionem. 2. Quia in censu emitur jus percipiendi certos fructus, in mutuo vero nullum tale jus emitur.

Q.

Q. *An licitum est accipere provisionem seu censum pro futuro tempore anni statim dum datur summa capitalis?*

R. Illicitum est, quia Censuarius haberet injuriam, siquidem per annum hac provisionis pecunia potuisset aliquid lucrari.

Q. *An licitum est ex provisionibus retentis apud censuarium iterum alias provisiones recipere adjungendo illas capitali summæ?*

R. Loquendo de provisionibus justis, videtur licitum esse, quia si v. g. Petrus debitor solvisset per annum taxatam provisionem Paulo, potuisset hic iterum sibi hac pecunia aliquid lucrari, vel alteri dare ad provisionem justo titulo percipiendam, adeoque resarciendo damnum suum & lucrum cessans, poterit hancce retentam pecuniam adjungere capitali summæ.

Q. *Quo jure usura est prohibita?*

R. Divino, Levit. 25. Exod. 18. Naturali, multo magis humano.

Q. *Quæ sunt pœnæ usurariorum?*

R. Tres sunt præcipue ex Jure. 1. *Notorie* usurarius est ipso jure infamis, Cap. *infames*. 2. Non est admittendus ad S. Eucharistiam, imo neque mortuus gaudet Ecclesiastica sepultura. 3. Testamentum usurarii ipso jure irritum est, nisi ante mortem restituerit, quæ per usuras acquisivit. Hæ pœnæ intelligi debent de usurariis manifestis, non vero occultis.

§. XXVI.

De Testamento.

Q. QUid est Testamentum?

R. Est nostræ voluntatis justa sententia de eo, quod de bonis suis quis vult fieri post mortem suam cum institutione hæredis.

Q. *Quotuplex est?*

R.

R. Unum eſt *ſcriptum*, quod fit ſcripto cum obſignatione teſtium. Aliud *nuncupativum*, quod fit ſine ſcriptura, coram teſtibus.

Q. *Ad quid teneantur Executores?*

R. *Primo*. Non debent ſibi aliquid appropriare de bonis Teſtatoris, quia hoc officium eſt voluntarium pietatis & amicitiæ. Niſi inde a propriis negotiis impedirentur cum ſuo damno.

Secundo. Tenentur hæredem admonere, imo & jure compellere ad executionem ultimæ voluntatis Teſtatoris.

Tertio. Si habeant pecuniam a Teſtatore acceptam diſtribuendam pauperibus, poterunt illam applicare conſanguineis, & amicis ſuis, ſi ſunt vere pauperes, imo & ſibi, (verum tamen caveatur avaritia, & non adeo juſta commiſeratio) quia per aſſumptum executoris officium non evadunt deterioris conditionis, quam alii pauperes.

Q. *Ad quid teneatur hæres Teſtatoris?*

R. *Primo*. Tenetur non ſolum bona Teſtatoris poſſidere, ſed etiam omnia ejus onera ac debita ſolvere. Qui enim ſuccedit in bona, ſuccedit & in onera.

Secundo. Quod ſi hæres ſit naturalis, prius poterit ſuam partem legitimam ex teſtamento detrahere. Vide apud Juriſtas, & Theologos, & de reliquo proportionate omnibus legatis ſatisfacere.

Tertio. Hoc ordine ſatisfaciet oneri Teſtatoris. 1. Æs alienum ſolvet, 2. Expenſas funeris. 3. Partem aliis Superioribus. 4. Vota realia defuncti, 5. Tandem pia legata.

§. XXVII.

§. XXVII.

De Judicio.

Q. *Quid est Judicium?*
R. Est actus legitimus, in quo discutiuntur & judicantur publice litigantium & reorum causæ.

Q. *Quis potest dare jurisdictionem ordinariam.*
R. Lex, vel Canon, Papa, consuetudo, & communitas approbata.

Q. *Judex debetne auferre appellationes & defensiones partibus?*
R. Non, nec debet facere alias vexationes appellantibus, quia appellatio est jure naturali & propria defensio rei.

Q. *Dum Judex scit aliquem esse innocentem, num tenetur eum liberare?*
R. Omnibus modis debet curare, ut liberetur, vel dextere examinando testes, vel remittendo ad Superiorem, vel protrahendo judicium, vel aperiendo carcerem, si sine scandalo possit, vel deponendo personam Judicis, & assumendo personam testis.

Q. *Quæ sunt obligationes Judicis?*
R. 1. Servare processum juridicum. 2. Sententiam non differre in damnum, vel fraudem litigantium. 3. Personas non respicere nec munera, sed justitiam.

Q. *Quæ sunt obligationes Notarii?*
R. *Primo.* Debet omnia pertinentia ad acta fideliter sub peccato connotare. *Secundo.* Debet fideliter extrahere decreta. *Tertio.* Non debet detinere causarum expeditiones, nec aliquid supra jura Cancellariæ extorquere. *Quarto*, Juris solemnitates servare debet.

Q. *Quæ requiruntur in Advocato, seu Patrono, Procuratore?*

R. Scientia, fidelitas, timorata conscientia.

Q. *Quæ sunt ejusdem obligationes?*

R. *Primo*. Ut non suscipiat causam ad defendendum, quam scit esse injustam. *Secundo*. Non debet diffugia adinvenire in damnum adversæ partis, nec sui principalis. *Tertio*. Non plus justo a suo principali extorquere.

Q. *Quæ sunt obligationes rei?*

R. *Primo*. Tenetur fateri crimen suum si legitime, & a legitimo Judice interrogetur. *Secundo*. Tenetur latam contra se sententiam acceptare, si est justa; si injusta, potest ab illa appellare.

§. XXVIII.

De octavo Præcepto.

Q. *Estne grave peccatum dare falsum testimonium?*

R. Est sane & unum inter ea, quæ Deus maxime detestatur.

Q. *Quid præterea hoc præcepto prohibetur?*

R. *Detractio*, quæ est famæ alienæ occulta & injusta diminutio, vel denigratio. Differt a *Contumelia*, quæ est honoris alieni injusta violatio adinstar rapinæ aperte contra præsentem. Detractio ut plurimum est contra absentem adinstar furti.

Q. *Quot modis solet fieri detractio?*

R. Duobus: *Directe*, v. g. 1. imponendo crimen falsum. 2. Amplificando, seu exaggerando crimen verum. 3. Revelando crimen occultum. 4. Sinistre interpretando opus bonum, aut saltem indifferens alterius.

Et *indirecte*, v. g. 1. negando recte facta, ut dotes alterius. 2. Illa extenuando, sive mi-

minuendo. 3. Tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo silentium tale alii interpretantur tacitam vituperationem illius, de quo est sermo. 4. Simulate & frigide laudando alterum, ita, ut simulet se quidem laudare eum, nihil tamen adfert laude dignum. Omnes isti octo modi his versibus exprimuntur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

Q. *Quale est peccatum detractio?*

R. Ex genere suo est mortale, sive facta sit viventi, sive mortuo. Dixi *ex genere suo*, quia detractio sæpius solet esse veniale, vel ob levitatem materiæ, vel ob imperfectionem actus.

Universaliter loquendo exinde Confessarius poterit devenire an detractio fuerit gravis vel levis, si considerabit conditionem, personam, dignitatem, & statum ipsius læsi, an scilicet ex tali detractione graviter vel leviter contristaretur, si ei ad oculum similia verba proponerentur.

Q. *Quotuplex est detractio?*

R. Duplex: *Materialis*, quando quis non intendit famam lædere proximi, sed ex quadam loquacitate narrat peccata, vel defectus ipsius unde læderetur bona fama ejus.

Et *formalis*, quæ fit ex intentione & proposito alienam famam denigrandi. Utraque detractio toties est mortale, quoties detrahens graviter denigrat famam proximi, etiamsi talis denigratio non sequatur propter aliquam circumstantiam, v. g. quia detrahens non est fide dignus.

Q. *An licitum sit aliquando revelare crimen occultum proximi?*

R. Licitum præsertim in his casibus, 1. Si quis post fraternam correctionem patefaceret testi-

testibus vel Superiori crimen fratris sui in bonum ipsius, ut scilicet emendetur.

2. Ad impediendum notabile damnum proximo, vel toti alicui Communitati.

3. Quando agitur de officio conferendo, aut matrimonio contrahendo, vel de Religione suscipienda, possunt imo quandoque debent justa impedimenta etiam occulta manifestari, si ex illis notabile incommodum prævideatur secuturum.

Q. *An qui detractionem audit, peccat mortaliter, & ad restitutionem famæ teneatur?*

R. *Primo*. Qui detractorem audit cum complacentia non resistendo ei, peccat eodem peccato; quo & ipse detrahens, si tamen non cooperatur ad illam, non tenetur ad restitutionem.

R. *Secundo*. Qui in detractione sibi non complacet, sed ex timore, vel negligentia aut verecundia omitteret corrigere detrahentem peccat quidem, sed multo minus, quam ipse detrahens, & plerumque venialiter.

R. *Tertio*. Qui detractorem audiens non potest illum corrigere absque suo incommodo, non tenetur detractionem impedire, neque talis peccat, quia charitas proximi cum gravi suo incommodo non obligat. Comm. DD.

Q. *Quis modus potest a Confessario dari pœnitenti resistendi detractori?*

R. Suadeat, ut redarguat detractorem modestis verbis, subjungendo id non licere loqui de fama proximi sui: vel interrumpendo sermonem, vel surgendo de loco, vel displicentiam ostendendo.

Q. *An peccat graviter, si revelet occultum crimen coram aliis personæ illis incognitæ?*

R. Non videtur peccare, si personam non nominet, & ita discursum accommodet, ut ex illo audientes non veniant in cognitionem illius, cui detrahitur.

Q.

Q. *Quomodo practice interrogandus est pœnitens in Confessione detrahens alteri proximo?*

R. *Primo*. Interrogandus est, an fuerit detractio in levi, vel gravi materia. *Secundo*. Si in gravi, an assertive dixerit, vel solum relative, nihil addendo, sed prout ab aliis audivit. *Tertio*. Quod si assertive dixerit, an illa res detrahens famæ proximi sit vera, vel falsa, an occulta, vel publica; quoties deliberate id fuit. Tandem reflexione facta injungat ei restitutionem famæ proximi, si nulla aderit causa excusans a restitutione.

§. XXIX.

De restitutione famæ, & honoris.

Q. *Quomodo restitutio fieri debeat ab eo, qui falsum crimen alteri imposuit coram aliis?*

R. *Primo*. Talis tenetur retrahere verbum suum coram illis, quibus dixit, non obstante, quod talis restitutio sit cum graviori incommodo ipsius detrahentis. *D. Thom. Scot.* Quia id exigit justitia in reddendo proximo, quod suum est, quæ alias non servaretur.

R. *Secundo*. Si potest fama proximi læsa sufficienter caveri, satis erit, si infamator dicat coram illis, coram quibus falsum crimen proximo imposuit, se fuisse deceptum, vel aliter rem intellexisse &c.

Q. *Ad quid teneatur alterum diffamans cum damno non tantum famæ, sed etiam fortunæ?*

R. Si deliberate & ex proviso fiat talis diffamatio, tunc diffamans non tantum tenetur famam bonam restituere diffamato, sed etiam damni illati compensationem facere. *Less. l.* 2.

Q. *Qui autem inconsiderate ex sola loquacitate alterum diffamavit cum damno?*

R.

R. Tenetur illud resarcire si non ex justitia, saltem ex charitate. *La-Cro. l. 2.*

Q. *Si quis coram iis, quibus fuit occultum, manifestat crimen alicujus notum publicum & verum, teneturne ad restitutionem?*

R. Non tenetur, sed tantum peccat contra charitatem. Idem dicendum est de audiente detrahentem.

Q. *Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut fama per detractionem læsa sit restituenda?*

R. *Primo*. Ut fama proximo sit reipsa ablata. *Secundo*. Ut sit injuste ablata. *Tertio*. Ut eadem fama possit denuo obtineri, & non fuerit jam aliunde recuperata. Quod si ex his conditionibus aliqua deficiat, cessat obligatio restitutionis. *Reiffenst. Tr. 9.*

Q. *Quæ sunt causæ excusantes a restitutione famæ & honoris?*

R. *Prima*. Si ex oblocutione detrahentis nulla secuta fuit infamia, vel quia nullius erit fidei, vel quia audientes jam aliunde sciverunt.

Secunda. Si id quod contra bonam famam alterius aliquis locutus fuerat, jam in oblivionem prudenter abiisse existimatur, quia in tali casu, si teneretur ad restitutionem detrahens, in memoriam iterum revocaret crimen.

Tertia. Si crimen occultum, quod aliquis illicito modo aliis revelavit, fiat aliunde publicum.

Quarta. Si famæ restitutio fiat impossibilis, vel quia amplius non credent ei, qui attentaret restitutionem, vel ex alio capite.

Quinta. Si non possit fieri restitutio sine emissione famæ suæ, quæ sit longe majoris momenti.

Sexta. Quando is, qui alterum infamavit, fecit id propter bonum ejus spirituale, v. gr. dum Superiori detulit aliquod peccatum, sed neque hic potest dici proprie diffamasse.

Se-

Septima. Quando quis ſolum narravit audita, & dixit ſe audiviſſe talia, nihil addendo, ex quo faceret credulitatem, quia talibus dictis raro creditur.

Octava. Si is, cui detraxi, mihi pariter detraxerit, nec reſtituere velit &c.

§. XXX.

De judicio temerario, mendacio & aliis.

Q. QUid eſt judicium temerarium?

R. Cum quis ex malitia abſque ſufficienti fundamento judicat malum de proximo.

Q. *Quæ conditiones requiruntur ad illud ut ſit mortale?*

R. *Primo*. Ut ſit materia gravis. *Secundo*. Ut judicium formetur tanquam moraliter certum. *Tertio*. Ut judicium ſit ex levibus conjecturis. *Quarto*. Ut ſit plene deliberatum. Non obligat ad reſtitutionem cum ſit actus internus, niſi manifeſtetur exterius. In ſcrupuloſis raro judicium temerarium excedit veniale, quia vix aliquando habent vera judicia, quamvis ſe habere putant.

Q. *Quid ſit ſuſpicio?*

R. Eſt aſſenſus debilis de vita proximi junctus cum dubitatione de oppoſito. Per ſe eſt peccatum veniale.

Q. *Quid eſt ſuſurratio?*

R. Eſt peccatum linguæ, dum quis occulte de proximo male loquendo odium ac diſſenſionem animorum molitur. Hæc eſt gravior detractione, quia includit odium fraternæ charitatis ſi cætera ſint paria.

Q. *Quid eſt libellus famoſus?*

R. Eſt Scriptura, quæ infamiam alterius continet nondum publicatam, ut edatur, & publica fiat. Et eſt mortale.

Q. *Quid est mendacium?*

R. Est enunciatio falsa cum conscientia oppositi, & cum voluntate fallendi.

Dixi *cum conscientia oppositi*, quia si quis falsum dicit eo, quia taliter ab aliis audivit, vel sic esse supposuit, pro tunc non erit mendacium, sed error, quod bene notandum est.

Q. *Quotuplex est mendacium?*

R. Triplex. 1. *Perniciosum*, quod fit in damnum alterius, & est ex genere suo mortale, & mendax tenetur ad restitutionem damni ex tali mendacio emergentis proximo. 2. *Jocosum*, ob recreationem animi. 3. *Officiosum*, ob utilitatem sui, vel aliorum. Hæc mendacia regulariter sunt venialia, nisi aliam habeant annexam circumstantiam.

Q. *Quotuplex est falsum testimonium?*

R. 1. *Affirmativum*, per quod affirmatur id quod negari deberet. Alterum *Negativum*, per quod negatur id, quod affirmari deberet.

§. XXXI.

De nono & decimo Præcepto Decalogi.

Q. *QUænam his duobus Præceptis prohibentur?*

R. Specialiter peccata cordis, & prava desideria. In illis enim octo Præceptis prohibentur peccata externa, & operis, sive facti. His vero duobus ultimis tanquam complemento aliorum præceptorum prohibentur etiam peccata voluntatis desiderio elicita.

Q. *Quandonam motus concupiscentiæ sunt in nobis peccatum?*

R. Cum commun. Catholicorum, pro tunc quando accedit consensus voluntatis, quia non est peccatum, nisi voluntarium.

Q. *Quan-*

Q. *Quandonam concupiscentia est peccatum mortale, & quando veniale?*

R. Est mortale, quando consensus voluntarius erit perfectus, & deliberatus, & materia circa quam versetur, erit gravis; sin secus, erit veniale, ut dum quis vellet furari alteri unum solidum.

Q. *Quinam peccant contra decimum præceptum?*

R. 1. Illi, qui nimia aviditate divitias expetunt, & modis pravis ac artibus illicitis augere concupiscunt. 2. Milites, qui bellum desiderant, ut habeant facultatem furandi. 3. Principaliter omnes illi peccant, qui rem alienam pretio æstimabilem concupiscunt.

Q. *In delectatione venerea deliberata daturne parvitas materiæ, ut excusetur a mortali?*

R. Non datur. Opposita sententia est damnata a Clemente VIII.

Q. *Quid est delectatio venerea?*

R. Est simplex amor & complacentia in re venerea absque tamen desiderio executionis, per quod differt a desiderio. Quia hoc, est ille actus, quo voluntas vult & desiderat actum peccaminosum externum ipso opere perpetrare, si adesset facultas.

Q. *Quomodo cognoscendum est Confessario an pœnitens in cogitationibus venereis consensum præbuerit, vel non, qui positive non restitit, neque scit determinate se consensisse, vel non?*

R. 1. Consideranda est personæ qualitas, an sit timoratæ, vel laxæ conscientiæ. 2. Qualitas delectationis venereæ; an fuerit gravis, vel levis, brevis vel diuturna. 3. Causa & occasio talis delectationis, an deliberata, vel non; an aliquam displicentiam habuerit, vel nullam.

CAPUT OCTAVUM.

De Præceptis Ecclesiæ.

§. I.

De primo Præcepto.

Ubi agebatur de tertio Præcepto Decalogi dictum est de observatione Festorum, hic reliqua adduntur de eadem materia.

Q. AN *liceat die Festo molere frumentum, quando molendinum agitatur aqua vel vento?*

R. Si nulla est necessitas urgens molendi die Festo, & molitores multum temporis in hoc negotio consumant, non excusantur a mortali ob scandalum, & servilem laborem intervenientem.

Porro necessitas esse potest, & hæc excusans a mortali, si nimirum diebus feriatis non possit in molendino satisfieri populi concursui. Melius tamen ut Parochi saltem de mane usque ad meridiem abstinere Christianos jubeant, ut satisfaciant molitores præcepto Ecclesiæ de audienda Missa.

Q. *Quid considerandum sit Confessario in praxi, quo ad pœnitentes passim laborantes diebus festivis?*

R. Interrogandi sunt, an similes labores soleant fieri passim ab aliis viris communiter etiam conscientiosis; quod si sic, non erunt arguendi alicujus gravis peccati. Hoc tamen non obstante arguendi sunt a Confessario, & adducendi in emendationem, ne in posterum majores licentias sibi concedant.

Nota: Laborans die Festo per duas horas, peccat mortaliter, juxta *Syl. Caje.* Laborare minus una hora, non erit nisi veniale ratione parvitatis materiæ. *Iidem.*

Q.

Q. *Poteſtne quis tuta conſcientia ex loco, ubi eſt Feſtum ire ad locum alium, ubi non eſt Feſtum cauſa laborandi?*

R. Affirmat *Nav.* &c. dummodo Miſſam audiat in loco, ubi eſt Feſtum. Verum ſi hoc faciat non ex aliqua juſta cauſa, ſed ſolum ad fugiendum præceptum, peccat; quia fraus & dolus ei non patrocinatur.

§. II.

De ſecundo Præcepto Eccleſiæ.

Q. QUomodo hoc Præceptum obligat ad audiendam Miſſam diebus Feſtivis?

R. Sub mortali, niſi adſit juſta cauſa diſpenſans & excuſans.

Q. *Quinam obligantur ad audiendam Miſſam?*

R. Omnes fideles non tantum laici, ſed & Clerici, & Sacerdotes, ſi illo die Miſſam non celebrent. Celebrantes autem hoc ipſo eminenter audiunt.

Pueri ante completum ſeptennium non obligantur, etiamſi jam habeant uſum rationis. *Gobat.*

Q. *Quomodo audienda eſt Miſſa ad ſatisfaciendum Præcepto?*

R. Miſſam audire non conſiſtit in hoc, ut verba intelligantur, aut audiantur a Sacerdote prolata, alias ſurdi & rudes nunquam ſatisfacerent; neque ipſum celebrantem videre, quia cæci, & in magno concurſu puſillæ ſtaturæ, nunquam aut raro audirent, ut oportet. Sed conſiſtit in devota præſentia corporis, & attentione mentis ad Sacrificium. Com. DD.

Aliqui Doctores volunt non peccare mortaliter eum, qui venit finita Epiſtola ad Evangelium, *Laym. Gob, Suar.* &c. Imo excuſant

eum a mortali, qui venit ad Offertorium dummodo in fine adsit Evangelio ultimo Missæ.

Q. *An satisfacit Præcepto, qui duas partes Missæ, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit?*

R. Non; contraria est damnata ab Innoc. XI.

Q. *Qui audit dimidiam Missam ab uno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio successive satisfacitne Præcepto?*

R. Alii affirmant, alii probabilius negant; cum sint duæ partes Missarum, non una Missa. Sententia tamen affirmans potest servire pro casu illi, qui nimis est occupatus, ut unam integram unius celebrantis non possit audire.

Q. *Quænam sunt causæ excusantes fideles ab obligatione audiendi Missam die festo?*

R. Impotentia *physica* & *moralis*: Sic excusantur incarcerati, infirmi, itinerantes.

Excusantur ob impotentiam *moralem*, qui timent adire Ecclesiam, ne incidant in periculum peccandi, ut v. g. tempore persecutionis ne comprehendantur ab infidelibus, a quibus impellerentur ad negandam fidem Catholicam: vel si virgo prævideat periculum stupri, sibi in via inferendi.

Qui timent in via sicarios, vel reincidentiam in morbum; item qui non habent vestem decentem, ita ut nequeant absque dedecore & gravi irrisione, ac notabili pudore in publico comparere. Et illi excusantur, quibus imminet damnum fortunæ, si audirent Missam, ut custodes domus.

Item excusantur ratione *pietatis*, qui inserviunt ægroto, quorum præsentia est necessaria, quia major est obligatio charitatis proximi, quam audiendæ Missæ, utpote illud est præceptum naturæ, hoc autem de jure Ecclesiastico.

Item

Item ratione *Officii* excusantur excubitores ad portas, valla, & turres &c. Item pecorum custodes, & hortorum &c. Qui tamen tenentur mutare vices, & adesse Sacris, si plura in Ecclesia absolvantur Sacrificia, quæ obligatio manet circa dominos, ut talem dispositionem faciant.

Q. *An distantia loci excuset ab audienda Missa?*

R. Affirm. quia sæpius involvit impotentiam *moralem*. Non potest autem absolute determinari, quæ distantia excusat; sed hæc res prudentum judicio relinquenda est attentis omnibus circumstantiis loci nimirum distantis, temporis, auræ, & personæ. Nonnulli dicunt DD. sufficere pro excusatione peditis distantiam itineris unius bonæ horæ, vel quinque quadrantum. Alii majorem requirunt distantiam.

Q. *Ad quid tenentur illi, qui die festo non possunt adesse Sacrificio Missæ?*

R. Ut domi vacent orationi, lectioni spirituali &c. Talis autem domi devotio est solum consilii, non præcepti.

§. III.

De tertio Præcepto Ecclesiæ.

Q. QUid est Jejunium?

R. Est abstinentia ciborum ad carnis vitia comprimenda, peccatorumque pœnas expiandas.

Q. *Jejunium videtur non recte institutum esse ab Ecclesia; Christus enim Luc.* 10. *dixit Discipulis*: Manducate, quæ apponuntur vobis. *Item Matth.* 15. *ait*: Non, quod intrat in os coinquinat hominem?

R. *ad primum*. Christus ibi voluit suos Discipulos esse contentos appositis cibis, & si viliores

stiores sint, sectari frugalitatem, non lautitias in cibis.

R. *ad secundum*. Christus loquitur de cibis secundum se spectatis, non ut prohibitis a legitima potestate. Cibi secundum se & ex natura sua sunt boni, & non coinquinant corpus; si tamen prohibeantur, & tamen sumantur, coinquinant animam, hoc est peccatricem faciunt.

Sciendum, res alia est ex se, & natura sua mala: alia est ideo mala, quia prohibita; sic esus pomi in Paradiso, ideo fuit malus, quia prohibitus, quod pomum nisi fuisset prohibitum a Deo, nec Adamo, nec nobis nocuisset.

Q. *Quotuplex est jejunium?*

R. Duplex. *Naturale*, quod frangitur cujuscumque rei sumptione. Tale jejunium requiritur ad sumendam Eucharistiam, vel celebrandam Missam. Incipitque a media nocte.

Aliud *Ecclesiasticum*, estque vetitorum ciborum certis diebus abstinentia, & est institutum ab Ecclesia.

Q. *A quo ætatis anno incipit obligatio jejunandi?*

R. A vigesimosecundo inchoato.

Q. *Qui autem dubitat an expleverit* 21. *annum, vel an non hodie sit jejunium?*

R. Non tenetur jejunare, tenetur autem interrogare.

Q. *In quo consistit jejunium Ecclesiasticum?*

R. *Primo*. In *quantitate*, hoc est semel tantum de die comedere ad satietatem, vespere potest sumi modica refectio. Unde si quis bis die ad satietatem comederet, peccaret mortaliter.

Secundo. Consistit in *qualitate*, hoc est abstinere se ab esu carnium, & lacticiniorum

Tertio. Consistit in certa hora comestionis, quæ est circa meridiem, nisi aliud consuetudo loci ferat.

Q. *Poteſtne anticipari hora refectionis?*

R. *Primo*. Si ſine rationabili cauſa, foret veniale; perverteret enim ordinem ab Eccleſia præſcriptum. *Tol*.

Secundo. Si eſſet cauſa rationabilis, v. g. quia iter eundum urget, vel quia hora certa in tali, aut tali conſeſſu comparere: vel quia alicui ſocietati, quæ hora 9. aut 10. prandet, ſe tenetur accommodare, nullum eſſet peccatum. *Lay*.

Q. *Quantum unuſquiſque tempore jejunii ad collationem manducare debeat?*

R. Sumenda eſt regula comedendæ collationis ex conſuetudine in ſingulis regionibus recepta. Quia iſta refectiuncula per conſuetudinem eſt introducta, adeoque & menſurari debet juxta limites ejuſdem conſuetudinis.

Hac reſponſione ſolvuntur plures difficultates, quæ obvenire poſſunt Confeſſario legenti varios Auctores de jejunio ſcribentes. Ratio hujus diverſitatis eſt, conſuetudo diverſa in diverſis partibus recepta. Cum ergo in Regno Poloniæ eſt illa conſuetudo, ut pro collatione cibi cocti apponantur tempore jejunii, hinc Confeſſarius non ſtatim debet judicare pœnitentes obnoxios eſſe peccati mortalis. Excuſat nos aliquomodo frigidior aura, quæ majorem famem provocat propter ſubtilitatem ſuam. Specialiter cum pauperibus, & plebejis non ſcrupulizet Confeſſarius, quia excuſantur tum propter continuum laborem, tum quia olera in majore parte habent pro cibo, quæ modicum nutriunt, tum quia ſæpius in prandio non ſatient appetitum, quæ omnia & ſingula attendi debent.

Q. *Qua jejunia ſub hoc Præcepto continentur?*

R. Poſt promulgatum Breve Pii VI. in Regnis Poloniæ A. 1775. Vigilia Nativitatis Domini, Aſſumptionis B. V. M. Sanctorum Pe-

tri & Pauli, Omnium SS. Item tota Quadragesima, quatuor Temporum. In Adventu Feria quarta, & sexta.

Nota 1. In pervigiliis aliorum Festorum B. V. M. est jejunium ex pia consuetudine tantum, vim legis habente.

Nota 2. In Quadragesima, dies Dominicæ excipiuntur a quantitate, ideo licitum est bis comedere ad satietatem; idem dicendum est de Feriis 6. per annum. V. *Barthold.*

Feria 4. & die Sabbathi ante Dominicam SS. Trinitatis licet vesci lacticiniis, ex consuetudine, etsi sit jejunium quatuor Temporum.

Q. *Quid de Caffe judicandum venit?*

R. Probabilius venialiter peccant, qui bibunt cum lacte, absque ulla necessitate ob solum gustum. Secus vero judicandum est de illis, quibus solum caffe nocet, neque possunt de amygdalis lac bibere. *Pi. par.* 2. *S.* 4.

Q. *Petrus abest a Patria sua, teneturne jejunare illa die, in qua nullum est præceptum jejunandi in loco, ubi est, nisi in patria sua?*

R. Statuta Diœcesana, seu localia extra Diœcesim & patriam non obligant, nam hujusmodi statuta & consuetudines locales affixæ sunt loco, & solum obligant existentes in eo. *Lessius*, *Filliuc.* dummodo a patria sua non absit in fraudem jejunii.

Q. *Quomodo obligat Præceptum Ecclesiæ de servando jejunio?*

R. Sub mortali sine justa causa. Obligatio autem jejunii est personalis, quia finis hujus Præcepti est moderate affligere corpus proprium.

Q. *An satisfacit Præcepto huic, qui sine justa causa frangit jejunium die ab Ecclesia determinato, & alio jejunet?*

R. Non satisfacit, quia hæc obligatio est de-

determinata huic diei, & non alteri. Sicut recitatio Divini Officii, aut auditio Missæ die Festo.

Q. *Quot peccata committit, qui violat jejunium ex duplici præcepto obligans v. g. Vigiliæ & quatuor Temporum?*

R. Unum peccatum committit, quia licet sit duplex præceptum, ex eadem tamen motivo temperantiæ utrumque obligat. Comm. DD.

Q. *Quot peccata committit, qui deliberate statuerat per totam Quadragesimam non jejunare?*

R. Tot peccata committit, quot diebus non jejunat, quia jejunium est onus singulis diebus annexum. *Matheu. Sylv. &c.*

Q. *An qui sæpius comedit in die jejunii toties peccat quoties comedit?*

R. *Primo*. Si comedit cibos vetitos, puta carnes, toties peccabit, quoties distinctis comestionibus manducat tales cibos.

R. *Secundo*. Si vero sæpius comedit in die cibos quadragesimales, solum per secundam comestionem violat jejunium, & peccat. *Mastr.* Quia per tertiam vel quartam comestionem amplius non violatur jejunium, cum jam sit violatum; quamvis peccet contra virtutem temperantiæ.

Q. *An, & quomodo peccent inducentes alium ad frangendum jejunium?*

R. Mortaliter. Comm. DD.

Q. *An sæpius in die bibendo violatur jejunium?*

R. Non, quia hoc Præcepto tantum comestio prohibetur.

Si autem ita biberet, ut fiat ebrius, peccaret mortaliter contra temperantiam. Ad hoc autem, ut sit quis ebrius mortaliter, opus est, ut saltem una hora privetur usu rationis. *La-cr. n. 327.*

Q. *Quænam sunt causæ excusantes a quantitate jejunii?*

R. Ordinarie sunt tres. *Primo*. *Impotentia* tam physica, quam moralis, ratione cujus excusantur illi, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt. *Secundo*. Infirmi, convalescentes, prægnantes, vel nutrices lactantes. Senes, quia senectus ipsa est morbus, v. g. 60. annorum.

Secunda causa est *pietas*, ratione cujus excusantur universaliter illi, qui præstantioribus operibus incumbunt, quæ cum jejunio absque gravi incommodo perficere non possunt, v. g. docere, cantare, concionari, Sacramentum Pœnitentiæ administrare &c.

Tertia causa est *necessitas*, ratione hujus universaliter excusantur omnes illi, qui gravi suo labore victitant, cum quo jejunium stare non potest: Tales sunt omnes Mechanici, qui cum gravi sui corporis defatigatione suas exercent artes, v. g. agricolæ, ferrifabri, itinerantes, dummodo non sit iter unius diei tantum.

Q. *Quinam possunt dispensare a jejunio?*

R. Episcopus, Prælatus, Religiosus cum suis Religiosis. Imo & Parochus ex rationabili causa, cum suis particularibus Parochianis. *Mastr.*

Q. *Quandonam recurrendum est pro dispensatione de jejunio ad Superiores?*

R. Pro tunc quando causa excusans videtur quidem sufficiens, sed de ejus sufficientia adhuc dubitatur, & ideo ad superiorem recursus fieri debet, ut ipsius authoritate suppleatur causa. In aliis vero causis licet sit laudabile recurrere pro dispensatione, non est tamen omnino necessarium.

Q. *An peccent, qui sine rationabili causa dispensant in jejunio?*

R. Peccant, & quidem graviter, imo & dispensatio illorum est non tantum illicita, sed etiam invalida, ita ut dispensatus non possit

tuta conſcientia manducare, ſi diſpenſationem agnoverit fundari in frivola ratione. Hinc ſciendum eſt, peccare graviter illos Medicos, qui adulando magnatibus judicant, & perſuadent carnes neceſſe manducari ab illis tempore jejunii abſque juſta cauſa. Comm. DD.

Q. *Ad quid teneantur licentiati in jejunio veſci carnibus?*

R. Ex Reſcripto Bened. XIV. Conſtitut. *Non ambigimus*, Bullar. T. 1. obligantur ad duas conditiones. *Prima*. Ut unicam comeſtionem de die ſervent. *Secunda*. Ut non permiſceant epulas, id eſt non manducent piſces, hoc enim denotat frivolam cauſam diſpenſationis: ideo enim ſupponuntur eſſe diſpenſati, quia illis nocent piſces, niſi ſint tantum diſpenſati ad lacticinia.

Q. *An poteſt Catholicus comedere carnes die vetito ne cognoſcatur ab Hæreticis?*

R. Non, ſi dictus cibus paretur ad confitendam, vel negandam fidem.

§. IV.

De quarto, & quinto Præcepto Eccleſiæ.

Q. *QUid præcipitur quarto & quinto præcepto Eccleſiæ?*

R. Quilibet fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſub mortali tenetur ſemel ſaltem in anno, ſpecialiter tempore Paſchali confiteri, & communicare.

Quod ſi dicto tempore, ſive per negligentiam, ſive per malitiam id non fecerit, debet omnino alio tempore quamprimum id poterit peragere. Siquidem lex Eccleſiæ Cap. *Utriuſque Sexus*, involvit duo Præcepta, *alterum*, communicandi ſaltem ſemel in anno, quod concernit ſubſtantiam Præcepti; *alterum*, com-

municandi in Paschate, quod pertinet ad congruam temporis determinationem.

Q. *An, & quando tenemur præcepto Divino confiteri?*

R. *Primò*. In articulo mortis, aut periculo probabili mortis. *Secundo*. Si prævideat postea non habiturum copiam Confessarii. *Tertio*. Si quis sit in mortali, & velit communicare, aut celebrare.

Q. *An satisfit præcepto annuæ Confessionis per sacrilegam Confessionem, seu Communionem?*

R. Non; quia eo ipso nullum recipit Sacramentum Pœnitentiæ. Opposita est damnata ab Alex. VII. n. 14. Et Innoc. XI. n. 55.

Q. *Qua pœna puniuntur non confitentes, neque communicantes tempore Paschali?*

R. Viventes arcentur ab Ecclesia, mortui vero privantur Ecclesiastica sepultura. Verum hæc sunt ferendæ tantum sententiæ.

Q. *Cui facienda est Confessio Paschalis seu annua?*

R. Parocho proprio ut patet ex Conc. Later. *Omnis utriusq.* &c. vel coram Sacerdote regulari, idque ex mendicantibus, ut constat ex Bull. Clem. X. *Superna*. Item Leon. X. Pii V. Pauli V. Clem. VIII. ex quibus patet eosdem regulares Mendicantes posse excipere Confessionem Paschalem & infirmorum, dummodo sint approbati a loci Ordinario, & de Confessionibus sibi factis certiorem reddant Parochum, extra hos, si quis velit facere Confessionem Paschalem coram alio Sacerdote Sæculari, vel Regulari debet petere licentiam a Parocho suo, quæ omnia intelligenda sunt de sola Confessione; Communio enim Paschalis, & Viaticum omnino sumenda sunt a proprio Parocho, nisi is alteri dederit licentiam.

Q. *Quænam conditiones requirantur, ut fractum censeatur jejunium naturale in ordine ad celebrandum, vel communicandum?*

R.

R. Hæ quatuor. *Prima*. Ut illud, quod ſumitur, habeat rationem cibi, potus, vel medicinæ. *Secunda*. Debet ſumi ore ab extra. *Tertia*. Ante ſacra ſpecies. *Quarta*. Aliter debet ſumi, quam per modum ſalivæ.

Ex his multi quietari poſſunt ſcrupuli, ac ſcrupuloſi excuſari a fractione jejunii. 1. illi, qui deglutiunt fruſtum metalli, ligni, papyri &c. 2. Sumentes reliquias cibi inter dentes reſiduas. 3. Sugentes humores ex puſtulis dentium, vel ſanguinem ex gingivis. 4. Subito attrahentes per nares guttulam aquæ odoriferæ, vel tabaci pulverizati. 5. Maſticantes aromata, ſi parum quid inſeparabiliter ſalivæ adhæreret. 6. Lavando os, ſi una, vel altera gutta aquæ, aut muſca cum reſpiratione trahatur.

§. V.

De Conſiliis Evangelicis.

Q. Quæ *ſunt præcipua conſilia Evangelica?* R. Hæc tria: voluntaria & religioſa paupertas, caſtitas, & obedientia.

Q. *Reperiunturne iſta in Scriptura Sacra?*

R. Omnino: de paupertate, *Matth.* 19. v. 21. & v. 29. De caſtitate, *Matth.* 19. v. 10. 11. 12. *Cor.* 7. 25. De obedientia *Hebr.* 13. v. 17. 1. *Petri* 5. v. 1.

Q. *Tenemurne hæc conſilia obſervare?*

Non, cum non ſint præcepta. Qui tamen talia Deo libere voverunt, hi ad obſervationem eorum graviſſime præcepto Divino obligantur.

Q. *Ad quid nobis proſunt hæc conſilia?*

R. Ut vitam æternam ſecurius, & abundantius habere valeamus.

Q. *Eſtne acceptabile Deo id vovere, quod eſt bonum, & perfectius?*

R.

R. Procul dubio. Proph. ait *Psal.* 76. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro &c.*

Q. *Dissidentes objiciunt: quod Catholici nimium extollunt statum religiosum in præjudicium Sacramentorum?*

R. Inter Baptismum, & Professionem Religiosam faciunt quidem Catholici aliquam similitudinem, quatenus homo in utroque renunciat explicite diabolo, & novæ fit inchoatio vitæ spiritualis, non tamen omnino æquant, sed pie tantum putant per professionem Religiosam etiam omnem pœnam peccatis debitam aboleri, quod fieri per Baptismum fide Divina, & certo credunt.

Nota. Opera *Supererogatoria*, & opera *consilii* sumi pro eodem, & nihil esse aliud, quam opera quæ nullibi præcipiuntur, sed solum suadentur, vel sponte suscipiuntur, quia creduntur placere Deo.

CAPUT NONUM.

§. I.

De Sacramentis in genere.

Q. QUid est Sacramentum?

R. Est invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram justificationem Divinitus institutum. Hæc definitio convenit etiam Sacramentis veteris legis.

Q. *Det definitionem Sacramentorum novæ legis?*

R. Est res sensibilis ex institutione Christi habens vim sanctitatis, sive gratiæ justificantis efficiendæ, & significandæ.

Q. *Quænam fuerant Sacramenta in veteri lege?*

R. Ab Adam usque ad Abraham tam pro mascu-

masculis, quam pro fœminis fuit deletiva culpæ originalis. *Protestatio* fidei a parentibus signo sensibili facta Deo in venturum Messiam.

Ab Abraham vero usque ad adventum Christi pro masculis fuit *Circumcisio*. Pro fœminis autem fuit eadem protestatio fidei &c. Item esus agni Paschalis, oblationes &c.

Q. *Per quid differunt Sacramenta antiquæ legis a nostris Sacramentis?*

R. Per hoc, quia illa non causabant gratiam ex opere operato, sicuti novæ Legis. Vel si causabant gratiam ex meritis venturi Messiæ, ut volunt aliqui, non tamen ita uberem sicut causant Sacramenta Legis gratiæ. 2. Vetera Sacramenta erant tantum signa, seu figuræ nostrorum Sacramentorum.

Q. *Suntne omnia Sacramenta permanentia?*

R. Non, sed omnia sunt successiva præter solam Eucharistiam, quæ est *permanens*. Cætera enim post dictam formam desinunt esse in re, & solum manent in effectu. Eucharistia vero post verba consecrationis manet.

Q. *Suntne omnia æque digna?*

R. Sunt in ratione Instituentis, omnia enim sunt ab eodem Christo instituta. Non sunt tamen æqualia in ratione continentis, ut docet *Trident. Sess.* 7. nam alia continent solum gratiam Christi. Eucharistia vero & gratiam, & Christum realiter in se continet.

Q. *Qua necessitate necessaria sunt Sacramenta?*

R. Duo sunt necessaria necessitate *medii*, scilicet Baptismus respectu infantium, & Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto respectu adultorum in peccato mortali existentium.

Q. *Quare dictum est respectu infantium, cum Baptismus necessarius sit etiam adultis?*

R. Quia adulti, qui non possunt pervenire ad Sacramentum Baptismi, seu *fluminis*, salvari

vari possunt per Baptismum *flaminis*, seu desiderii cum contritione.

Alia sunt necessaria necessitate *præcepti*: ut Eucharistia, Extrema Unctio, & Confirmatio. Duo vero sunt consilii, Ordo & Matrimonium.

Q. *Nonne potest Deus salvare hominem sine Sacramentis?*

R. De potentia *absoluta* potest; de potentia vero *ordinaria* non potest sine aliquibus Sacramentis saltem in voto, hoc est ut habeat saltem desiderium & voluntatem ea suscipiendi.

Q. *Quid est potentia Dei* absoluta, *&* *quid* ordinaria?

R. *Prima* est qua Deus potest facere quidquid non implicat contradictionem. *Secunda* vero est, qua potest efficere, quod ab æterno decrevit facere.

Q. *Sacramentum qualium rerum est signum?*

R. Trium est, scilicet rememorativum Passionis Christi, demonstrativum gratiæ, & prognosticon, seu prænunciativum vitæ æternæ.

Q. *Potestne Papa aut Ecclesia instituere aliquod Sacramentum?*

R. Non potest, quia per Sacramentum confertur gratia Dei, quam nullus purus homo propria authoritate aliis conferre valet.

Q. *Quis est Author Sacramentorum?*

R. Christus Dei Filius; ex ejus enim passione & morte omnia Sacramenta suam vim & efficaciam habent. Hic ergo instituit omnia Sacramenta per potestatem sive per potentiam excellentiæ, quam habet ratione *Unionis Hypostaticæ*.

Q. *Quid est Unio Hypostatica?*

R. Est illa unio, quæ unit naturam humanam cum Verbo Divino, & hæc est unio supernaturalis, quoad substantiam.

§. II.

§. II.

De diviſione Sacramentorum.

Q. *Cur Sacramenta tantum ſunt ſeptem & non plura?*

R. Ob ſimilitudinem vitæ corporalis, nam homo, *Primo*, naſcitur, *Secundo*, augetur, *Tertio*, nutritur, *Quarto*, ſi in morbum incidit, ſanatur, *Quinto*, imbecillitas virium refocillatur, *Sexto*, Magiſtratus authoritate regitur, *Septimo*, per legitimam ſobolem propagatur.

Ita ſpiritualiter homo per Baptiſmum renaſcitur, per Confirmationem augetur, per Euchariſtiam alitur, ab infirmitatibus animæ per Pœnitentiam ſanatur, robur animi per Extremam Unctionem acquirit, per Ordinem regitur, tandem per Matrimonium propagatur.

Q. *Quotuplicia ſunt Sacramenta?*

R. Alia ſunt neceſſaria neceſſitate medii ut dictum ſuperius. Alia ſunt *iterabilia*, quæ multoties iterari, aut ſuſcipi poſſunt, uti Euchariſtia, Extrema Unctio, Pœnitentia, & Matrimonium. Alia *initerabilia*, quæ non poſſunt iterari, ideo imprimunt characterem, uti Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo.

Alia ſunt *vivorum*, quæ ſuſcipi debent ab homine in gratia Dei exiſtente, & talia ſunt Confirmatio, Euchariſtia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Hæc Sacramenta inſtituta ſunt ad ſecundam gratiam producendam, ſeu ad augmentum gratiæ.

Alia *mortuorum*, quæ in ſuſcipientibus ſupponunt peccatum, tanquam animæ morte, ſive originale, ut Baptiſmus, ſive perſonale mortale, ut Pœnitentia. Quæ ſunt inſtituta ad conferendam primam gratiam.

Alia vocantur *formata*, quæ in ſuſcipiente habent ſuum effectum, & cauſant gratiam. Alia *informia*, quæ quidem valide ſuſcipiuntur, effectum tamen ſuum non habent ob peccatum in ſuſcipiente exiſtens, vel ob indebitam diſpoſitionem ſeu præparationem.

Alia ſunt *priora*, ordine *neceſſitatis*. Alia ordine dignitatis, ſic ordine neceſſitatis Baptiſmus & Pœnitentia prius eſt Sacramentum, quam Euchariſtia. Ordine autem dignitatis eſt Euchariſtia quam Baptiſmus.

Aliud vocatur Sacramentum *tranſiens*, aliud permanens, ſed hoc jam dictum ſuperius.

Q. *Quando Chriſtus inſtituit Sacramenta?*

R. *Baptiſmum*, Matth. 22. dum dixit: *Euntes prædicate &c.*

Confirmationem: dum dixit Luc. 24. Sedete in Civitate.

Euchariſtiam: Matth. 26. *Accipite & manducate.*

Pœnitentiam: dum dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum.*

Extremam Unctionem: cum Apoſtoli miſſi ſunt a Domino, ungebant oleo multos ægrotos. ~~Matth. 6.~~ Marci 6. v 13.

Ordinem: cum dixit: *Sicut me miſit vivens Pater.* Joan. 20.

Matrimonium: inſtituit vel potius ad rationem Sacramenti elevavit, cum dixit: *Quod Deus conjunxit &c.* Matth. 19.

§. III.

De eſſentialibus Sacramenti.

Q. QUæ *requiruntur ad valorem Sacramenti?*

R. Materia, Forma, & Intentio. *Materia* ſunt res quædam ſenſibiles ex inſtitutione Chriſti efficaciter ſignificantes gratiam.

For-

Forma sunt verba a Ministro prolata in applicatione materiæ.

Q. *Quotuplex est materia Sacramentorum?*

R. Duplex: *Remota*, ut v. g. in *Baptismo* aqua, in *Confirmatione* Chrisma, in *Eucharistia* panis & vinum, in *Pœnitentia* peccata, in *Extrema Unctione* oleum benedictum, in *Ordine* res quæ traduntur ordinandis, in *Matrimonio* personæ contrahentes.

Et materia *proxima* in *Baptismo* ablutio, in *Confirmatione* & *Extrema Unctione* unctio, in *Eucharistia* positio specierum panis & vini, in *Pœnitentia* actus pœnitentis, scilicet dolor, & Confessio, in *Ordine* traditio materiæ remotæ, in *Matrimonio* corporum traditio.

Q. *An, & quomodò materiæ & formæ Sacramentorum a Christo Domino sunt determinatæ?*

R. Materiæ aliquorum sunt determinatæ in specie, ut *Baptismi* aqua, *Eucharistiæ* panis triticeus, & vinum de vite, *Extremæ Unctionis* oleum olivarum, ut constat Marci 6. & Jacob. 5. Matrimonii contractus, quo significatur traditio corporum inter sponsos.

Aliquorum Sacramentorum tantum in genere, ut *Confirmationis* Chrisma, quod confici potest ex oleo & balsamo, *Pœnitentiæ* dolor, sive sit contritio sive attritio, *Ordinis* aliquod instrumentum significativum potestatis, quæ confertur, relicta Ecclesiæ potestate determinandi illud in specie.

Quo ad *formam*: hæc etiam in quibusdam Sacramentis est determinata a Christo Domino in specie. In *Baptismo*: *baptizantes eos in nomine Patris &c.* In *Eucharistia*: *Hoc est enim &c. Hic est enim Calix &c.* Idem videtur posse dici in *Matrimonio*, scilicet acceptationem traditionis corporum. In aliis determinata est tantum in genere; horum ratio, est voluntas Christi Domini, quæ patet nobis partim ex

Scri-

Scriptura, partim ex Conciliis, Patribus, & praxi totius Ecclesiæ.

Q. *An Ecclesia potest mutare materiam vel formam Sacramentorum?*

R. Secundum quod determinatæ sunt a Christo, non possunt mutari ab Ecclesia proxime & formaliter, idest directe tollendo, seu non retinendo prædicatum illud in materia, vel illam significationem in forma, quam Christus in illis esse voluit.

Potest Ecclesia mutare remote, & materialiter substantias Sacramentorum, dummodo, illa quæ ab Ecclesia substituuntur, retineant prædicatum illud in materia, & illam significationem, quem Christus voluit. Sic Ecclesia apposuit aliquas conditiones certas Sacramenti, uti Contractui *Matrimonii* (ne sit clandestinus) præsentiam Parochi, & duorum saltem testium. *Pœnitentiæ*, approbationem; per hoc tamen non mutavit materiam & formam proprie, & formaliter, nisi improprie, & remote, inquantum materia v. g. *Matrimonii* consensus, qui fuit antea validus, sine hac conditione nunc fit invalidus. Interim materia nunc est eadem, quæ fuit antea.

Q. *An materia mutata redderet Sacramentum invalidum?*

R. *Primo*. Duplex potest esse mutatio materiæ *substantialis*, quando secundum communem usum, & æstimationem differt nomine & re ab ea, quam Christus instituit, & qua Romana Ecclesia utitur, ut si quis baptizaret aqua artificiali ex floribus & herbis expressa, esset materia substantialiter mutata, ab aqua pura elementari. *Accidentalis* vero mutatio dicitur, quando manet eadem materia secundum speciem physicam, mutatur tamen quo ad aliqua accidentia, ut si ad Baptismum assumatur aqua calida, vel non benedicta.

R. *Se-*

R. *Secundo*. Mutatio *substantialis* materiæ reddit Sacramentum invalidum, secus *accidentalis*.

Q. *An valide quis baptizaretur glacie aut nive?*

R. Non, quia etsi nix & glacies sint materia mutata solum accidentaliter *physice*; sed *theologice* est mutata substantialiter, nequit enim abluere corpus, nisi liquefiat.

Q. *An possunt Sacramenta administrari sub conditione?*

R. Si conditio sit de præterito, vel de præsenti possunt, cum talis conditio Sacramenti effectum non suspendit.

Non possunt autem administrari sub conditione de futuro, nam Sacramentum sub tali conditione dum administraretur, non esset validum, cum Minister tunc non intenderet ipsum conficere: Nec etiam validum esset conditione adimpleta, quia materia & forma tunc jam non existeret.

Q. *Materia quomodo debet esse Ministro præsens?*

R. Moraliter, ita ut oculis cerni, manibus tractari possit, non est tamen necessaria actualis visio, vel tractatio.

§. IV.

De Forma Sacramentorum.

Q. QUotuplex est forma Sacramentorum?

R. Duplex: *absoluta*, quæ sine ulla conditione profertur, & *conditionata*, quæ sub conditione pronuntiatur, v. g. *Absolvo te, si es capax*, vel, *si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

Q. *Quotuplex potest esse mutatio formæ?*

R. Duplex: *substantialis*, quando non ma-

net

net idem sensus verborum formæ, a Christo institutæ, ut si in forma Eucharistiæ loco verborum, *Hoc est Corpus meum*, dicat quis, *Hoc significat corpus meum*.

Accidentalis, quando manet idem sensus, sed verba duntaxat mutantur, ut si dicat quis, *Hæc res est corpus meum*. Prima mutatio formæ reddit Sacramentum invalidum, secus secunda.

Q. *Quot modis potest contingere formam variari?*

R. *Primo*, *Additione*, ut cum dicitur: *ego baptizo in nomine Patris, qui te creavit &c.* *Secundo*, *Diminutione*, v. g. *baptizo te* omittendo ly *ego*. *Tertio*, *Transpositione*, v. g. *ego te baptizo in nomine Filii, Patris, &c.* *Quarto*, *Interpolatione*, v. g. *ego te baptizo*, & casu interponendo: *amove manum &c.* *Quinto*, *Corruptione*, v. g. *ego te baptizo in nomine Patris &c.* *Sexto*, per verba æquivoca. *Septimo*, per verba synonyma. *Octavo*, per idiomatis mutationem, ut si loco Latinæ linguæ utaris Gallica, vel Polonica.

Q. *An & quale est peccatum mutare formam?*

R. Peccatum ex quacunque mutatione admissum, est Sacrilegium, & ex genere suo mortale, si veritatem formæ, aut Sacramentum dubium reddit.

In nullo Sacramento loco verborum possunt adhiberi scriptura, nutus, vel signa, cum hæc non sunt a Christo instituta; excepto Matrimonio, quod cum sit quidam contractus, potest celebrare nutibus.

De Intentione vide dicta Cap. 3. §. 9.

§. V.

De Ministro.

Q. *Quid est Minister Sacramentorum?*

R. De lege ordinaria solus homo

via-

viator, quia sunt instituta ad salutem hominis viatoris, Angelus non valet conficere, quia ad hoc non est deputatus a Christo ut Minister, idem dici potest de anima, quia etsi retineat characterem, re vera tamen non est homo viator, quia non est in via merendi, vel demerendi, quod proprium est viatoris.

Q. *Quotuplex potest esse Minister Sacramentorum?*

R. Duplex. *Primo solemnitatis*, sive ex officio, ille est, qui conficit aut administrat, specialiter ad hoc deputatus & consecratus. *Secundo necessitatis*, qui sine deputatione speciali Sacramenta conficit. Sic Minister Baptismi potest esse fœmina, judæus &c.

Q. *Probitas seu status gratiæ requiriturne in Ministro?*

R. Affirm. in Ministro solemnitatis, non tamen de valore Sacramenti, sed ad dignam administrationem, quia Sancta sancte sunt tractanda, nisi adsit necessitas v. g. absolvendi moribundum, tunc enim nullum fore peccatum docet S. *Thomas*, præcipue si nec minimum eliciendi contritionem sufficeret tempus.

Q. *Quotuplex est servandus ritus a Ministro in administrandis Sacramentis?*

R. Duplex. *Unus* præscriptus a Christo, nimirum Materia, Forma, & Intentio. *Alter* præscriptus ab Ecclesia, ut sunt cæremoniæ externæ.

Q. *Estne uterque ritus necessario servandus?*

R. Affirmat. cum hac tamen distinctione, quod primus servandus est ex necessitate Sacramenti, posterior vero necessitate præcepti, ob majorem rei sacræ significationem, vel Ministerii ornatum.

Q. *An & quomodo peccat Minister, si in administrandis Sacramentis contemnat, vel omittat, vel mutet ritus ab Ecclesia præscriptos?*

R.

R. Si contemnat, ſemper delinquit mortaliter; ſi tantum eſt negligens circa obſervationem cæremoniarum, delinquit graviter, vel leviter juxta advertentiam ad culpam gravem, vel levem, aut quantitatem materiæ.

Q. *An duo Miniſtri poſſunt conficere unum & idem Sacramentum?*

R. *Primo*. In *Matrimonio*, duo Miniſtri ſunt neceſſarii ad adminiſtrationem unius Sacramenti, quia natura talis contractus ita exigit, ut ſcilicet unus tradat, alter accipiat.

R. *Secundo*. In *Ordinatione* ad Presbyteratum, ſi duo vel plures cum Epiſcopo proferant, & ſimul finiant formam, omnes ſimul conficiunt unum Sacramentum Euchariſtiæ.

R. *Tertio*. *Extrema Unctio*, quia plures habet formas partiales, valide poteſt conferri a pluribus Miniſtris, & licite in caſu neceſſitatis. In *Euchariſtia* quoque ſaltem valide poteſt unus Sacerdos conſecrare Hoſtiam, & alter Calicem; ſecus dicendum de aliis Sacramentis.

Q. *An Miniſter licite poteſt uti materia, vel forma dubia?*

R. Per ſe loquendo, non licet, quando poteſt haberi certa, niſi in neceſſitate, & tunc adhibenda eſt illa, quæ videtur probabilior, & certior.

Q. *Quandonam Miniſter reiterare poteſt Sacramentum?*

R. Quando prudens dubium eſt de valore, reiterare debet ſub conditione. Quando nulla eſt prudens cauſa dubitandi de valore Sacramenti, ſed oriuntur tantum leves ſcrupuli, ne quidem ſub conditione eſt iterandum.

Q. *In dubio an protulerit formam Miniſter, v. g. an re ipſa conſecraverit, num debet repetere formam?*

R. Si hoc dubium oriatur ex eo, quia cum jam proceſſerit longius, non recordatur ſe

pro-

protulisse, non ideo poterit repetere, sed debet pergere judicando se bene fecisse omnia, si alias errare non solebat. *S. Thom. quæst.* 83. *Suar. &c.*

Q. *An Minister ob metum gravem licite simulare potest administrationem Sacramenti?*

R. Non; contraria est damnata ab *Innoc. XI.* Non est simulatio Sacramenti, quando Sacerdos loco absolutionis indisposito dandæ, orationem solum dicit, & Crucem format, nam pœnitens tunc scit se non absolutum fore, consequenter non decipitur. *Simulatio* est positio signi, de se indifferentis ad plura, cum prævisione, quod aliquis per illud sit decipiendus, eo quod accepturus sit illud in sensu, qui non est verus.

§. VI.

De subjecto, seu suscipiente.

Q. *Quis est capax recipere Sacramenta?*

R. Solus homo viator.

Q. *Animæ in Purgatorio suntne viatores?*

R. Non, quia non sunt in via merendi, vel demerendi, quod est proprium viatoris, neque etiam sunt in termino, sed manent in statu medio inter viam & patriam.

Q. *Quæ dispositio requiritur in suscipiente?*

R. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio in adultis, seu voluntas suscipiendi Sacramentum. Hinc sequitur hominem omnino invitum invalide Sacramentum recipere, excepta Sanctissima Eucharistia, quæ valide sine intentione susciperetur, sed sine fructu.

Q. *Sufficitne dicta dispositio, id est intentio etiam ad fructum percipiendum ex Sacramentis?*

R. Non; sed præterea ad fructum & effectum in Baptismo & Pœnitentia, requiruntur

ſaltem attritio ſupernaturalis. Ad reliqua vero Sacramenta requiritur ut ſuſcipiens ſit in gratia.

Q. *Intentio ad valorem Sacramenti requiſita, an debet eſſe in omnibus Sacramentis eadem, & uniformis?*

R. Non; *Primo* ad *Baptiſmum* ſufficit *habitualis*. *Secundo*, ad *Confirmationem*, *Extremam Unctionem*, *Eucharistiam*, *Pœnitentiam*, etiam ſufficit habitualis, imo ſufficit & interpretativa ſeu implicita, dummodo dolorem aliquo ſigno externo expreſſiſſet, quod ſignum eſſet loco Confeſſionis.

Q. *Cur Intentio interpretativa ſufficit potius ad quatuor dicta Sacramenta, quam ad alia?*

R. Quia dicta quatuor Sacramenta minus oneris afferunt ſecum, ergo facilius præſumitur volitio generalis habendi talia bona, alioquin non facile obtinibilia.

Ad *Ordinem* non ſufficit interpretativa, cum enim Ordo ſit immutatio totius ſtatus, afferatque gravia onera illi, qui illum adultus ſuſcipit, ergo ex eo, quod aliquis volitione generali velit ſibi media ad ſalutem, non ideo vult *Ordinem*.

Ad *Matrimonium* etiam non ſufficit interpretativa ob rationem immediate datam. Quandoque tamen ſufficit habitualis.

§. VII.

De effectu Sacramentorum, ſcilicet Gratia.

Q. *QUi, & quot ſunt effectus Sacramentorum?*

R. Tres. 1. Gratia ſanctificans ex opere operato, 2. Character. 3. auxilia quædam actualia ad obtinendum finem, in quem ſingula Sacramenta ſunt a Chriſto Domino inſtituta.

ſtituta. Primus effectus, ideſt *Gratia ſanctificans* eſt communis omnibus Sacramentis. Secundus Character reperitur in tribus tantum, ſcilicet in *Baptiſmo*, *Confirmatione*, & *Ordine*. Tertius eſt proprius omnibus Sacramentis, tamen juxta diverſitatem Sacramenti diverſa dantur auxilia.

Q. *Quotuplex eſt Gratia?*

R. Duplex: *Naturalis*, eſtque donum Dei naturale, quod Deus poteſt non conferre creaturæ ſine illius injuria, & hujuſmodi eſt v. gr. ſtatus nobilis, memoria, ſanitas, & cætera talenta naturalia. Et Gratia *ſupernaturalis*, eſtque donum Dei gratuitum ſupernaturale creaturæ rationali conferibile ex meritis Chriſti, ordinatum ad conſequendum finem ſupernaturalem.

Q. *Quotuplex eſt gratia ſupernaturalis?*

R. Alia eſt ſupernaturalis quoad *ſubſtantiam*, quæ eſt indebita omni naturæ creatæ, uti eſt gratia ſanctificans &c. Alia eſt ſupernaturalis quoad *modum*, quæ ſolum in aliquibus circumſtantiis eſt debita, talis eſt v. g. Sapientia, ſi illam Deus alicui infanti infunderet.

Q. *Quotuplex eſt adhuc gratia Dei?*

R. Alia eſt *interna*, quæ hominem interius afficit, ſive per modum *permanentis*, ut eſt gratia habitualis, ſive *tranſeuntis*, ut eſt gratia actualis. Alia eſt gratia *externa*, quæ hominem interius non afficit, ſed tantum movet ſenſus, ut eſt prædicatio, miracula &c.

Gratia *interna* alia eſt *gratis data*, quæ alicui a Deo datur principaliter propter ſalutem aliorum, ut eſt Gratia prædicandi &c. & hæc dividitur in præcipuas novem ſpecies ut videre eſt ad *Eph.* 4.

Alia eſt *Gratum faciens*, quæ principaliter datur alicui propter ipſius ſalutem, ut eſt v.g. jejunandi, meditandi &c.

Gratia gratum faciens, alia eſt *actualis*, quæ

eſt *auxilium* actu a Deo alicui collatum. Alia *habitualis*, quæ eſt qualitas ſpiritualis infuſa a Deo permanenter inhærens animæ & ſanctificans illam.

Q. *Quotuplex eſt gratia Actualis?*

R. Alia eſt *excitans*, per quam ex peccato retrahimur, & quaſi a ſomno mortis excitamur. Alia eſt *adjuvans*, per quam a Deo in noſtris bonis operibus adjuvamur. *Prima* vocatur *antecedens*, quæ antecedit actum voluntatis noſtræ. *Secunda* dicitur *concomitans*, quia adjuvando voluntatem, eſt quaſi comes illius.

Gratia *excitans*. Alia eſt *ſufficiens*, eſtque illud auxilium Dei, a quo quidem excitamur, illi tamen non conſentimus, & *efficax* eſt illud auxilium, cui conſentimus, unde quia efficit hoc in nobis, ad quod nos excitat, ideo vocatur efficax.

Q. *Quotuplex eſt gratia habitualis?*

R. Duplex: Alia vocatur *prima*, quæ ante ſe aliam non ſupponit, alia *ſecunda*, quæ ante ſe aliam ſupponit, eſtque augmentum gratiæ primæ.

Q. *Gratiæ habitualis qui ſunt effectus?*

R. Inter alios præcipue ſunt ſequentes. I. Reddit & efficit nos filios Dei adoptivos.

II. Reddit nos Deo gratos & dilectos amicos, qui in peccato mortali exiſtentes eramus ingrati, & inimici odibiles Deo.

III. Per gratiam *ſanctificantem* fit remiſſio peccatorum, quia ut primum hæc gratia animæ infunditur, ſtatim peccata deſinunt eſſe, & penitus delentur.

IV. Gratia *ſanctificans* dat jus ad gloriam æternam, quia eſt ſemen vitæ æternæ, & eſt cauſa noſtræ ſalutis.

V. Addit valorem, & ſignificat opera noſtra bona ſupernaturalia, reddit illa ſalutaria, & condigne meritoria vitæ æternæ.

Gra-

Gratia alia dicitur *ex opere operato*, ex eo, quia confertur independenter a meritis operantis, sed ex meritis Christi Domini, ex vi solius Sacramenti.

Gratia *ex opere operantis*, causatur tunc, quando confertur intuitu meritorum & bonorum operum ipsius operantis, idest secundum mensuram dispositionis, & meriti suscipientis, vel ministrantis.

Q. *Gratia Sacramentalis quæ sunt causæ?*

R. *Solus Deus* est causa physica principalis. *Christus Dominus* est causa meritoria principalis. *Sacramenta* sunt causæ instrumentales morales.

Q. *Qualem gratiam causant Sacramenta?*

R. Omnia causant *habitualem & quidem ex opere operato*. Non tamen omnia *primam* gratiam, sed solum *Baptismus* & *Pœnitentia*. Reliqua vero Sacramenta causant per se, & ex institutione sua gratiam *habitualem secundam*.

Q. *Sacramenta quæ ex institutione sua, causant gratiam secundam possuntne per accidens causare gratiam primam, & delere peccatum mortale?*

R. Possunt, v. g. si quis accederet ad Eucharistiam cum peccato mortali inculpabiliter oblito, & non confesso, in tali casu per Eucharistiam, & deleretur illud peccatum, & causaretur gratia prima, si tamen cum attritione accedit, licet postea teneretur confiteri illud post reminiscentiam, ut satisfaciat præcepto Divino.

Q. *An Sacramenta omnibus æqualem gratiam conferant?*

R. Affirm. si æqualiter dispositi sunt; secus si inæqualiter. Nam secundum bonam suscipientis, præsertim actualem dispositionem, devotionemque gratia uberior confertur.

Q. *Quæ sunt illa specialia auxilia ad finem Sacramenti ordinata?*

R. In *Baptiſmo* confertur peculiaris qualificatio, ad reliqua Sacramenta digne ſuſcipienda. In *Confirmatione* ad Fidem publice confitendam, & contra inimicos Eccleſiæ defendendam. In *Euchariſtia*, ſpiritualis delectationis, & devotionis augmentum, ſeu auxilium ad vincendas tentationes. In *Pœnitentia*, dantur auxilia ad perſiſtendum in gratia. In *Extrema Unctione*, robur contra tentationes dæmonum, qui in extremis nos in deſperationem ducere conantur. In *Ordine*, dantur auxilia ad bene fungendum ſuo officio. In *Matrimonio* denique confertur peculiare auxilium, ad mutuum conjugum amorem fovendum, ad fidem conjugalem ſervandam, & ad proles recte educandas.

Q. *An gratia habitualis poteſt ſtare cum peccato mortali in eodem ſubjecto?*

R. Certum eſt, quod ſecundum potentiam ordinariam non poſſunt ſecum ſtare, quia ſecundum præſentia Dei decreta, quandocumque gratia infunditur, Deus condonat, & delet peccata; de poſſibili vero diſputant Theologi.

§. VIII.

De Merito.

Q. AN *homo poteſt aliquid a Deo mereri?*

R. Poteſt vere & proprie.

Q. *Quid eſt meritum?*

R. Eſt obſequium Deo factum ex ſe potens movere Deum, ad dandum præmium ſupernaturale.

Q. *Quotuplex eſt meritum?*

R. Duplex, de *condigno*, per quod intelligitur meritum illud, quod mercede ac præmio ex ſe dignum eſt, cui ex quadam juſtitia debetur merces. Et meritum de congruo, per quod intelligitur quod, quamvis mercede non fit

ſit ex juſtitia dignum, illi tamen ex decentia quadam, & congruitate debetur.

Q. *Quænam conditiones requiruntur ad meritum?*

R. *Primo* ex parte *operantis*, ut ſit *actus poſitivus*, ſcilicet opus aliquod bonum, nam actus negativus, v. g. *omiſſio peccatorum*, non poteſt dici meritum. *Secundo*, ut ſit *actus ſupernaturalis liber*, ſive ex motivo ſupernaturali elicitus, ut ſit *actus dignificatus*, a gratia ſanctificante. *Tertio*, ut fiat cum aliqua difficultate ſuperanda.

Q. *Per quid differt meritum ab impetratione & ſatisfactione?*

R. Quia impetratio movet ad aliquid obtinendum, per modum ſubmiſſæ petitionis. Satisfactio eſt quædam redditio æquivalens injuriæ.

Q. *An homo poteſt mereri primam gratiam actualem?*

R. Non, neque *de condigno*, neque *de congruo*. Deus enim in nobis nullis præcedentibus meritis, & fidem & amorem inſpirat: *Conc. Arau.* 26.

Neque gratiam habitualem primam mereri poteſt *de condigno*, poteſt tamen *de congruo*. Comm. Theol.

Q. *Beati in cælo an merentur?*

R. Non, quamvis intenſiſſime eliciant actus bonos, v. g. amoris &c. Quia ad meritum requiritur ſtatus viæ, jam vero SS. in cælo non ſunt viatores, ſed comprehenſores.

Obtinent quidem nobis gratiam, *via impetrationis*, orando Deum, qui eorum preces exaudiens, concedit gratiam, & alia bona nobis viatoribus. Via tamen *meriti* nihil obtinent, quia ſunt *extra ſtatum meritorum*.

Q. *Quid eſt prædeſtinatio ad gloriam?*

R. Eſt decretum Dei, quo Deus prævifis

creaturæ meritis, & salutaribus operibus, decrevit dare gloriam æternam.

Q. *Quid est reprobatio?*

R. Est decretum Dei, quo Deus post prævisa absolute creaturæ demerita, decrevit illam ad pœnam æternam.

§. IX.

De Justificatione peccatoris.

Q. QUid est justificatio seu sanctificatio? R. Est supernaturalis emundatio peccatoris a peccatis per infusionem gratiæ sanctificantis, vel est transitus a statu peccati ad statum gratiæ.

Q. *Justificatio quotupliciter sumi potest?*

R. Dupliciter: 1. *Active & efficienter*, & sic est ipsa actio Dei, per quam nos Deus justificat, & emundat a peccato per infusionem gratiæ habitualis. 2. *Passive seu subjective*, & est ipsa emundatio peccatoris, & receptio ejusdem gratiæ sanctificantis.

Q. *Quomodo fit justificatio?*

R. Secundum præsentia Dei decreta fit per infusionem gratiæ sanctificantis inhærentis animæ. *Est de fide defin. in Trid. Sess.* 6. Quia in justificatione nominamur & efficimur filii Dei participes naturæ Divinæ, jam vero participatio hæc naturæ Divinæ non potest aliter explicari, nisi per gratiam sanctificantem intrinsecam, & inhærentem animæ.

Q. *Ad justificationem hominis an requiritur aliqua dispositio?*

R. Ad justificationem adultorum, requiruntur quædam dispositiones, idque supernaturales, Fidei, Spei, Charitatis, dolor, & propositum amplius non peccandi, Baptismus in re, vel in voto, timor Dei.

Dixi:

Dixi: *Adultorum*, quia in infantibus nulla requiritur dispositio, de facto enim in Baptismo justificantur, absque ulla dispositione, nullum enim possunt habere actum liberum.

Q. *Sanctus Paulus ait Rom. 3. 28. Arbitramur justificari hominem per Fidem sine operibus legis?*

R. *Primo*. Sanctus vero Jacobus ait Cap. 3. 20. *Hominem ex operibus justificari*.

R. *Secundo*. Sanctus Paulus voluit a justificatione peccatoris præcise excludere opera cæremonialia legis Mosaicæ, non autem pœnitentiam, quam toties in Epistolis suis rigorosissime exigit.

Q. *An potest quis certus esse de sua justificatione?*

R. Non potest sine speciali Dei relatione. *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit. Eccl. 9.*

§. X.

De necessitate bonorum operum.

Q. *AN sola fides sufficit ad salutem consequendam?*

R. Non, sed insuper requiruntur bona opera; *Matth.* 19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Item 1. *Corint.* 13. ubi per charitatem observatio mandatorum intelligitur, innumerisque sacræ Scripturæ locis vita æterna, & quidem veluti merces, & præmium bonis operibus promittitur. Uti *Matth.* 5. 1. *Corinth.* 3. Salvantur ergo aliqui ex solis meritis Christi Domini, ut sunt infantes baptizati. *Adulti vero habentes usum rationis*, similiter salvantur, ex meritis Christi Domini, ita tamen, ut etiam requirantur merita propria, & bona opera. Quia secundum præsentia Dei decreta requiritur, ut homo libertate

præditus, per propria bona, auxiliante, & cooperante gratia supernaturali, se disponat ad cælestem gloriam, illamque mereatur.

Q. *Quid ad hæc dissidentium pastores?*

R. Ex his complures, doctrinam illam Lutheri: *Nisi fides absque omnibus, etiam minimis bonis operibus fuerit, non justificat. Tom. 1. Lat. Vitember. fol. 371. par. 2. prop. 3.* rigorose usque ad hunc diem sequuntur.

Q. *Utique in nonnullis libellis suis observationem præceptorum fere instar Catholicorum commendare solent?*

R. Hæc solum ad speciem dicunt, re vera sic intelligenda esse volunt: *Præcepta Dei sunt quidem observanda, nihilominus etiam ille qui id non faceret, modo firmiter credat, se omnino salvatum iri per Christum infallibiliter salvabitur.* Imo expresse docent præcepta Dei servatu esse impossibilia, testantur id libri eorumdem.

Q. *Quid ex hac tota doctrina sequitur?*

R. Aperitur via lata: quis enim tali insistendo persuasioni, præcepta Dei observaret, si absque tot impensis, æque bene per solam fidem salvari possit.

Q. *Numquid non fidei toties in S. Scriptura vita æterna appromittitur?*

R. Sed non soli fidei, verum in aliis locis, etiam operibus.

Q. *Utique Christus ait Luc.* 17. Cum omnia feceritis dicite servi inutiles sumus; *igitur non debemus exigere gloriam a Deo?*

R. Cum enim ex nobis, nostrisque operibus, nullum jus ad gloriam cælestem habeamus, sine gratia Dei eam exigere non valemus.

Item: Quoniam gloria æterna, ex sola Dei misericordia nostris operibus appromissa est, hæcque opera, non ex naturæ viribus, sed per Christi gratiam redduntur digna promissionibus

nibus Divinis, ideo, merito etiam postquam omnia bene fecerimus, dicere debemus: *Servi* (quantum ex nobis) *inutiles sumus*, nec gloriari possumus, nisi forte ita prout S. Paulus 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*.

Q. *Opera hominum bona quotupliciter possunt considerari?*

R. Tripliciter: I. *Opera viva* sunt illa, quæ fiunt in statu gratiæ, neque sunt per peccatum mortale subsequens mortificata, seu impedita ad effectum vitæ æternæ.

II. *Opera mortua*, quæ fiunt in statu peccati mortalis, peccatum enim mortale est mors animæ.

III. *Opera mortificata* sunt illa, quæ prius facta sunt in statu gratiæ, postea per peccatum mortale mortificantur, idest impediuntur, ne habeant valorem vitæ æternæ.

Q. *Merita, seu opera bona mortificata an reviviscunt?*

R. Remoto obice per pœnitentiam reviviscunt, idest recuperant suum pristinum valorem promerendi vitam æternam, tunc quando peccator per veram pœnitentiam justificatur. Commun. Theol.

Q. *Reviviscuntne opera mortua?*

R. Numquam reviviscunt in ordine ad meritum vitæ æternæ. Quia nihil potest reviviscere, quod antea numquam vixit; siquidem non sunt facta in statu gratiæ, quæ sola est vita spiritualis.

Notandum tamen: Opera bona naturalia mortua, idest, in statu peccati mortalis facta, (quamvis non sint actus meritorii vitæ æternæ) tamen non sunt penitus inutilia, neque idcirco ab homine sunt intermittenda. Ita omnes Doct. Cathol. Quia homo per opera talia ex misericordia Dei præservatur a gravioribus peccatis. Tum quia talis homo sensim

assuescit exercitio bonorum operum, & facilius de peccatis commissis agit pœnitentiam.

§. XI.

De libero arbitrio hominis.

Q. *Habetne homo liberum arbitrium, vi cujus possit malum fugere, aut bonum eligere, si, & quando vult?*

R. Omnino, constat ex quotidiana experientia, tum ex innumeris Sacræ Scripturæ locis, uti *Eccli.* 15. 4. 14. 18. *&c.*

Q. *Igitur Deus neminem necessitat ad peccatum?*

R. Certe non; *Eccl.* 15. 4. 11. *&c.* Neque etiam Deus necessitat gratia sua ad bonum, inquit enim Christus *Matth.* 23. 37. *Quoties volui congregare filios &c.*

Q. *Satisfactio pro peccatis nostris an fuit condigna?*

R. Non solum fuit condigna, hoc est æqualis, sed etiam superabundans.

Q. *Si fuit condigna, & superabundans, quare non omnes homines salvantur?*

R. Quia plurimi reddunt se indignos satisfactione Christi, non applicando sibi eadem merita, per Sacramenta, & pœnitentiam, sed potius abutendo; jam vero satisfactio Christi, ut in actu secundo suum effectum sortiatur, requiritur nostra applicatio, & cooperatio per bona opera salutaria. Est de Fide.

Q. *Desideratne Deus sincere quantum de se omnium hominum salutem?*

R. Affirm. testante S. Paulo 1. *Tim.* 2. 4. Deus enim dat omnibus gratias sufficientes, & media necessaria, tam ad servanda mandata sua, quam ad consequendam salutem, modo ipsi velint.

Q. *Sed forte aliquid ſaltem ex parte Dei neceſſario requiſitum deeſt peccatoribus, dum non convertuntur?*

R. Non: proteſtatur enim Iſaiæ 5. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere, &c.*

Q. *Igitur poſſunt homines reſiſtere gratiæ Dei, eique non cooperari?*

R. Poſſunt, & frequentiſſime ſolent. Patet ex Act. 7. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus &c.*

Q. *Quomodo appellari ſolent hujuſmodi gratiæ?*

R. Dum homo gratiæ Divinæ reſiſtit, ſeu non cooperatur, dicitur *Gratia pure ſufficiens*, dum autem cooperatur, *Gratia efficax*.

Q. *Quid in re ſunt gratiæ actuales, quibus nos Deus ad bonum excitare & adjuvare ſolet?*

R. Sunt illuminationes ſupernæ intellectus, & piæ inſpirationes voluntatis. De quibus Scriptura Eph. 5. *Surge, qui dormis &c.* & Joan. 6. 45. *Omnis qui audivit &c.*

Q. *Præter has gratias tranſeuntes ſoletne quoque dari ex meritis Chriſti gratia permanens, & inhærens animæ hominis?*

R. Datur de facto in omnibus juſtis, diciturque juſtitia, & filiatio Dei adoptiva, & gratia ſanctificans. Hanc per peccatum mortale amittimus, per pœnitentiam recuperamus, per bona opera augemus.

Q. *An poteſt homo velle, aut facere bonum, ſine gratia (intellige) actuali?*

R. Non poteſt ſine ſpeciali auxilio velle, aut perficere opus bonum, quod ad ſalutem æternam conſequendam conferat, hoc autem auxilium eſt ipſa gratia actualis.

§. XII.

§. XII.

De Sacramentalibus & Benedictionibus &c.

Q. *QUid ſunt Sacramentalia?*

R. Sunt res quædam ab Eccleſia inſtitutæ in eum finem, ut per eorum uſum venialium peccatorum remiſſio obtineatur; idque virtute doloris, quem exercet is, qui eis utitur, qui dolor concipitur virtute gratiarum excitantium, quas ſæpe ſæpius concedit Deus in devoto Sacramentalium uſu, propter Eccleſiæ preces, & merita quam ſæpe exaudivit, ſunt autem ſex, ſequenti verſu expreſſa.

1. *Orans*, 2. *Tinctus*, 3. *Edens*, 4. *Confeſſio*, 5. *Dans*, 6. *Benedicens*.

1. *Oratio Dominica*, vel illa quæ fit in Eccleſia conſecrata. 2. *Aqua benedicta*. 3. Intelligitur *eſus Eulogiorum*, olim in uſu, vel panis aut vini benedictio. 4. Confeſſio generalis, v. g. *Confiteor Deo &c.* 5. *Eleemoſyna*, aut etiam alia opera miſericordiæ. 6. Benedictio Epiſcopi. Hic revocantur multæ actiones ſacræ, uti exorciſmi, inſufflationes, prima tonſura &c.

Q. *Quomodo differant Sacramentalia a Sacramentis?*

R. 1. *Sacramenta* ſunt inſtituta a Chriſto; *Sacramentalia* ab Eccleſia. 2. Illa conferunt gratiam *ex opere operato*, ex ſeipſis; hæc non ex ſeipſis, ſed tantum virtute doloris, quando is exercetur, id eſt ex opere operantis. 3. Illa inſtituta ſunt etiam ad remiſſionem mortalium; hæc ad remiſſionem venialium. 4. Illa infallibilem conſequuntur effectum in non ponentibus obicem, ſecus hæc.

Q. *Quomodo peccat, qui in Sacramentalibus falſam materiam ſupponit, v. g. pro benedicta aqua, non benedictam?*

R.

R. Mortaliter, Comm. Doct. Neque tunc obtinetur ulla venialium remissio, dum quis utitur aqua non benedicta putans esse benedictam.

Q. *Cæremoniæ in quolibet cultu Divino recte-ne, & utiliter adhibentur?*

R. Affirm. I. *Ut omnia honeste, & secundum ordinem fiant.* 1. Cor. 14.

II. *Ab exemplo Christi*, qui quamvis potuisset sine ulla cæremonia conferre gratiam, sanare tam corpus, quam animam, tamen adhibuit cæremonias; scilicet, insufflavit in Apostolos, *Joa.* 20. homines a dæmone obsessos exorcizavit. *Ma.* 5. ex sputo lutum fecit. *Joa.* 9. elevatis manibus benedixit. *Luc.* 24.

III. *Ex perpetua praxi*, & antiquissima traditione Ecclesiæ, ut constat ex SS. PP. *Dion.* *Cyp.* &c.

IV. *Ex utilitate multiplici*, & fine honesto, quia per cæremonias defertur Deo cultus externus, nutritur devotio, augetur reverentia in suscipientibus Sacramenta, dum quædam Majestas cultus Divini oculis objicitur, instruuntur fideles, discernuntur ab hæreticis &c.&c.

Q. *Quare benedicimus creaturas v. g. aquam, cereum &c. cum hæ bonæ sunt?*

R. 1. Ut usus earum sit nobis cum benedictione Divina proficuus, atque a diaboli fraudibus immunis, scimus etenim diabolum sæpe abuti istis creaturis ad nocendum hominibus. *Omnis creatura bona est, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*, ait S. Paul. 1. Tim. 4.

2. Ad significanda certa mysteria, & effectus spirituales, *Cereus Paschalis* significat Resurrectionem Christi: *Oleum*, ejus misericordiam, *Cineres* nostram pœnitentiam, *Aqua* purgationem animæ &c. &c.

Q. *Christus has omnes cæremonias non instituit?*

R.

R. Etsi non instituit per se immediate, sed mediate omnes instituit, id est per suos Vicarios. Christus Ecclesiæ dedit potestatem *solvendi*, & *ligandi* etiam in conscientia; ergo Ecclesia potest sub præcepto fideles adstringere ad aliquas cæremonias.

Interrogemus hic diffidentes ubi Christus instituerit, vel præceperit: ut Christiani orationes suas in pileum immurmurent, (si tamen orent) eoque faciem tegant, quo nihil est magis ridiculum.

§. XIII.

De Baptismo.

Q. QUid est Baptismus?

R. Est Sacramentum consistens in ablutione corporis exteriori sub præscripta verborum forma a Christo institutum ad regenerationem spiritualem. *Baptismus* est vox Græca, significans immersionem, tinctionem, seu ablutionem.

Q. *Quotuplex est Baptismus?*

R. Triplex: I. *Fluminis*, qui immediate est definitus. II. *Flaminis*, qui est desiderium suscipiendi Baptismum *Fluminis*, quod desiderium debet includere contritionem; & solum adultis rationis usu pollentibus competit. III. *Sanguinis* scilicet Martyrium pro Fide Christi, aut pro vera virtute.

Solus Baptismus *fluminis* est proprie Sacramentum, ac janua ad reliqua Sacramenta, ante cujus susceptionem, nullum Sacramentum susciperetur valide, excepta Sanctissima Eucharistia, nam non baptizatus acciperet quidem verum Corpus Christi, sed infructuose; alii duo Baptismi sic solum nominantur, ut primi Baptismi vices suppleant, potestque homo per ea salvari.

Q.

Q. *Cur vocatur Baptiſmus janua Sacramentorum?*

R. Quia in ſuſceptione Baptiſmi præter primam gratiam, quæ animam ſanctificat, confertur character, quo homo redditur aptus ad recipienda alia Sacramenta.

Q. *In quo differunt hi tres Baptiſmi?*

R. *Primo*. In eo quod Baptiſmus *flaminis* & *ſanguinis* non imprimant characterem, & ſi reſuſcitaretur mortuus, cum Baptiſmo *flaminis*, iterum baptizandus eſſet Baptiſmo *fluminis*, ut ſatisfaciat legi Chriſti.

R. *Secundo*. In Baptiſmo *fluminis*, ſufficit attritio, jam vero in *flaminis*, contritio.

§. XIV.

De materia Baptiſmi.

Quæ eſt materia Baptiſmi dictum eſt *Cap.* 9. §. 3.

Q. *QUæ eſt materia Baptiſmi dubia?*

R. Aqua roſacea, ex ſale reſoluta, liquores ex arboribus emanantes, vel per diſtillationem ex herbis, floribus, &c. educti, item juſculum, cerevifia tenuis.

Materia vero invalida eſt vinum, urina, ſanguis, oleum &c. idem dicendum de nive, glacie, grandine, niſi reſolvantur.

Q. *Requiriturne trina infuſio?*

R. Etſi hodie ſic exigitur, valide tamen baptizaretur unica infuſione, immerſione, vel notabili aſperſione, ſaltem 5. vel 6. guttarum. Aſperſione non licet baptizare, niſi in neceſſitate, v. g. peſte &c.

Q. *Quoniam Baptiſmus fieri poſſit immerſione, ſi ergo puella ad celandum partum, animo baptizandi infantem, vel alius quiſpiam jam agoni-*

gonizantem (in supposito quod nullum est remedium aliud, præter projiciendi eum) projiciat in puteum, utrum validus esset Baptismus talis?

R. Controvertunt DD. ideo dico Baptismum fore dubium. Actio enim talis non potest dici immersio, sed potius submersio vocanda. De illicitate conveniunt fere omnes, quod talis mortaliter peccaret, etsi vir projiceret, fieret irregularis; eo quod saltem indirecte occideret innocentem.

§. XV.

De Forma Baptismi & Ministro.

Q. QUæ est forma Baptismi?

R. Hæc (*Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*) de valore Sacramenti.

Q. *Apostoli baptizabant in nomine Christi?*

R. Id fuit ex speciali privilegio Redemptoris, ut ejus Nomen omnibus innotesceret. Vel juxta alios dicendum est: Apostolos eandem formam adhibuisse, quæ modo adhibetur, ut patet ex *Actis* 19. ubi cum discipuli quidam respondissent Paulo; *sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*. Dixit eis: *In quo ergo baptizati estis?* Ex quibus verbis patet Apostolos usurpasse in Baptismo nomen Spiritus Sancti, adeoque Ss. Trinitatis, quod autem dicuntur baptizasse *in nomine Christi*, intelligendum vice & potestate Christi, seu a Christo accepta illis verbis: *Euntes in universum mundum, &c.* quæ sententia magis certa est.

Q. *Quæ forma adhibenda est, si plures v. g. in naufragio forent baptizandi?*

R. Ego vos baptizo in nomine Patris &c.

Q. *Quis est Minister Baptismi?*

R. Duplex est, unus *solemnitatis*, seu ex officio scilicet Sacerdos. Alter *necessitatis* scilicet omnis

omnis homo viator, laicus, fœmina, judæus. Non debet autem infidelis baptizare, præsente fideli, nec mulier, si vir est, nec laicus, si Clericus adest.

Q. *Licitumne est Parocho infantem alterius Parochiæ solemniter baptizare absque necessitate, vel sine licentia proprii Parochi, aut Episcopi?*

R. Si nulla est necessitas, non licet, imo graviter peccaret, usurpando jus alterius, nullam tamen censuram, aut irregularitatem incurreret.

Q. *Poteſtne Sacerdos in pago unicus existens Missam celebrans recedere ab Altari ad baptizandum infantem in periculo mortis?*

R. Potest, si nemo tunc sciret modum baptizandi, etiamsi post consecrationem, peracto Baptismo, redire debet ad conficiendum Sacrificium.

Q. *An potest quis seipsum baptizare?*

R. Non potest Baptismo *fluminis*, nisi *flaminis*, seu *desiderii*. Quia Christus requirit distinctam personam, cum ipsemet baptizatus sit a Joanne.

Q. *An valet Baptismus collocatus a Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo dicit, non intendo facere quod facit Ecclesia?*

R. Non, contraria est damnata propositio ab Innoc. VIII.

Q. *An si Baptismus semel solemniter administratus, postea reperiatur nullus fuisse, cæremoniæ iterum sunt repetendæ?*

R. Sentiebant nonnulli DD., sed nunc contrarium a plerisque docetur, eo quod finis quem Ecclesia per cæremonias intendit, jam per primam earum administrationem sit obtentus.

Q. *An peccat Sacerdos negligens seu omittens scienter scriptionem in librum metrices, postquam baptizavit infantem?*

R.

R. Mortaliter peccat. Com. DD. Plura etenim inde ſequuntur damna, & incommoda, quando aliunde ſæpe ſciri non poteſt ætas pro Ordinando, Profeſſione Religioſa, matrimonio, jejunii obligatione, item cognatio ſpiritualis &c.

Q. *Quod ſi infans ſit ſpurius, & illegitimus, quomodo inſcribi debet?*

R. *Baptizavi infantem illegitimi thori filium matris N. N. &c.* Nulla eſt neceſſitas inſcribi tunc nomen patris, etenim contingere poteſt, quod malitioſæ matres verum patrem celarent, & crimen in alium conjicerent.

Q. *Quid Parocho ſervandum eſt circa puerperas poſt partum?*

R. 1. Ante 14. ſaltem a partu diem egredi domo ad Eccleſiam non permittantur. 2. Non domi, non alibi, niſi in Eccleſia benedicantur, niſi Principum conjuges. 3. Quæ ex illicito concubitu pepererunt, & extra Matrimonium ſunt, non benedicantur in pœnam peccati, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto a Miniſtro incurrendæ. 4. Non ſubſtituatur alia mulier in locum puerperæ defunctæ purificanda. Purificatio enim non eſt præcepti in nova lege, ſed ſolum devotionis actus. 5. Nec ad cadaver defunctæ in partu, legantur preces purificationis. 6. Puerpera acatholica ab iſta benedictione excludenda eſt.

§. XVI.

De Subjecto Baptiſmi.

Q. QUod *eſt ſubjectum Baptiſmi?*

R. Eſt homo viator ab Adamo deſcendens, tam infans, quam adultus, cum hoc tamen diſcrimine, quod in infantibus nulla requiritur diſpoſitio. In adulto autem communiter debent præcedere hæ tres diſpoſitiones.

Pri-

Prima, *Consensus*, nullum enim Deus omnino invitum vult familiæ suæ adscribi.

Secunda, *Dispositio*, est fides juxta illud Matth. 25. *Docete omnes gentes, qui crediderit &c.* tenetur ante Baptismum actum Fidei, Spei, Charitatis elicere.

Tertia, Requiritur aliqua pœnitentia, ac displicentia peccatorum personalium mortalium commissorum, seu attritio saltem, sine confessione Sacramentali.

Q. *Quod si adultus habens peccata mortalia vellet serio baptizari, non tamen pœnitere?*

R. Talis valide quidem, sed non fructuose reciperet Sacramentum, haberet characterem, non tamen gratiam.

Unde consensus in adultis requiritur ad valide, Fides autem & Pœnitentia ad fructuose suscipiendum Baptismum.

Q. *Scriptura dicit Marc.* 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. *Cur ergo infantes qui nondum credere valent, baptizantur?*

R. Quia sic nobis oretenus traditum est ab ipsis Apostolis, siquidem Christus Dominus *Joan.* 3. in re stricte monuerat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Textus Marc. 16. intelligi debet de adultis.

Q. *An extra necessitatem liceat domi baptizare sine ceremoniis, & postea tempore parentibus aut patrinis opportuno in Ecclesia peragere cæremonias?*

R. Cum *Manig. Nav.* multi per crassam ignorantiam id practicant, & maxime errant, quia extat *Clement. de Baptismo*, expresse prohibens baptizare extra Ecclesiam, nisi in necessitate, aut Principis filium, vel ad evitandam matris infamiam, aut aliquod aliud grave incommodum.

Q. *An infans ab obstetrice baptizatus debeat iterum baptizari saltem sub conditione?*

R.

R. Cum communiori affirmat. Etenim experientia docet, in tali casu esse valde perplexas obstetrices, alias veneficas posse esse, ut adeo prudens dubium concipi possit de valore Baptismi.

Q. *Quamdiu diferri potest Baptismus infantis?*

R. Tempus indefinitum est, lateque edicto mandatum fuit Romæ an. 1723. ut intra triduum infans lavetur ex fonte. *Bened. XIV. Instit. Eccl.* 98.

Q. *Si nascatur ex fœmina monstrum habens caput ferinum, cætera membra humana?*

R. Non esset prius baptizandum, quam constet esse hominem, dempto casu mortis, & tunc sub conditione. Idem dicendum est, si dubium est an infans vivat, ne forte si vivus foret, permitteretur sine medio salutis mori.

Idem dicendum si infans schedulam Baptismi collo appensam habeat. Nam fieri potest, ut hæc schedula in fraudem ab infideli appendatur, ne infans postea baptizetur.

Q. *Si infans aliqua corporis sui parte non vero capite prodiret?*

R. Baptizandus est sub conditione in ea parte, quæcunque illa fuerit, iterumque sub conditione in capite baptizandus est si totus exierit, si vero caput unice detectum fuerit, absolute baptizandus est. *Bened. XIV. Syn. Diœc. lib.* 7. §. 7.

Q. *An fœtus licet imperfecte figuratus, si aliquod signum vitæ per motum præbeat, baptizari possit?*

R. Potest.

Q. *An officit validitati Baptismi error privatus, v. g. putans esse marem pro fœmina?*

R. Nihil officit, dummodo in materia & forma nihil innovetur, neque adsit intentio contraria prævalens intentioni Ecclesiæ. Etenim qui-

quivis Minister habet intentionem præsentem infantem baptizare.

Q. *Qui sacrilege iteraret Baptismum, quam pœnam incurreret?*

R. Tam baptizans, quam taliter baptizatus fieret irregularis. *Bened. XIV. Instit. Eccl.* §. 18.

Q. *An infideles invitis parentibus vel tutoribus licite possunt baptizari?*

R. Non, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tanquam a parentibus derelicti. Si vero quis expositum assumpserit, potest illi salutare lavacrum impertiri, etiam synagoga vel parentibus reclamantibus. *Idem Bull. to. 3. n. 54.* Si vero aliquis infidelis baptizatus foret parentibus invitis, baptizans peccaret mortaliter, sed baptizatus non debet restitui parentibus, sed penes Christianos educari. *Idem ibidem.*

Q. *An baptizandus sit infans in utero matris, si nulla ejus pars quæ perfundi possit appareat?*

R. Non; cum Baptismus sic collatus nihil prodesset. *Idem de Syn. Diœc.*

Q. *Quænam pars corporis in baptismo ablui debet?*

R. I. De capite, scapulis, & de pectore, dubium non est. II. De pede autem tantum, manu, vel digitis abluendo, controversia est inter DD. Ideo in tali casu denuo sub conditione baptizandus esset infans. *Vas. Hen.*

§. XVII.

De Effectu & Patrinis Baptismi.

Q. *Qui sunt effectus Baptismi?*

R. *Primo*, Remissio peccati originalis, & omnium actualium Baptismum præcedentium.

Se-

Secundo, Remiſſio plena pœnæ peccato debitæ abſque ſatisfactione. *Tertio*, Infuſio gratiæ juſtificantis. *Quarto*, Jus ad auxilia fini ejus proportionata, nempe ad ſancte, ac Chriſtiane vivendum. *Quinto*, Unio moralis cum Chriſto, ut capite ad participanda ipſius merita. *Sexto*, Character. Præter hos effectus, qui ſunt ex inſtitutione Chriſti, eſt alius ex determinatione Eccleſiæ, ſcilicet, cognatio ſpiritualis, & ablatio irregularitatis ex delicto provenientis, non vero ex bigamia, ſeu ex defectu natalium ortæ. Unde ſpurius infidelis, deinde baptizatus nequit ad Ordines, dignitateſque Eccleſiaſticas promoveri ſine diſpenſatione.

Q. *An Baptiſmus liberet a pœnis in foro externo debitis?*

R. Non; ſic Baptiſmus non tollit a fure ſuſpendium, cum homines debent ædificari ex pœna ſicut ſcandalizati ſunt ex culpa.

Q. *Quid eſt patrinus?*

R. Sic dicitur quaſi ſpiritualis pater, ſeu pædagogus baptizandi, ſive ille, qui ſpondet ſe habiturum paternam ſpiritualem curam ejus, qui Baptiſmum ſuſcepit.

Q. *Quæ eſt obligatio patrinorum?*

R. In Fide inſtruere eos, quos levarunt ex fonte ſive per ſe, ſive per alios. Patrini non quidem de valore, ſed de præcepto neceſſarii ſunt ad Baptiſmum.

Q. *Quæ requiruntur, ut quis valide ſit patrinus, contrahens cognationem ſpiritualem?*

R. *Primo*, Ut ſit baptizatus. *Secundo*, Ut ſit compos rationis. *Tertio*, Ut intentionem agendi more Eccleſiæ patrinum habeat. *Quarto*, Ut baptizatum per ſe, vel per procuratorem tangat, ſeu teneat. *Quinto*, Ut deſignetur a parentibus baptizandi, vel a Parocho.

Q. *Quæ requiruntur, ut quis licite patrinum agat?*

R.

R. *Primo*. Ne ſit hæreticus, vel publice excommunicatus. *Secundo*. Ne ſit moribus depravatus, ne ſit ignarus myſteriorum fidei. *Tertio*. Bulla Pii V. prohibet, ne Religioſi, & Sanctimoniales fiant Patrini.

Q. *An hæreticus poteſt aliquando admitti pro Patrino; & an tunc contraheret cognationem ſpiritualem?*

R. Affirmat utrumque *Caſtrop*. 1. ſi Sacerdos timeat parentes baptizandi graviter eſſe offendendos ob repulſam talis Patrini. 2. Si timeat delaturos eſſe infantem miniſtro hæretico baptizandum, quia eo caſu Sacerdos minus malum permittit.

Q. *Utrum Catholicus rogatus a Lutherano obſequi poſſit?*

R. Affirmant nonnulli ob praxim in partibus ſeptentrionalibus, maxime ſi proteſtetur ſe nolle adminiſtrationem hæreticam approbare, neque juxta illum ritum ſponſionem facere, ſed juxta Eccleſiæ Romanæ morem.

Q. *An in privato baptiſmo patrinus adhiberi debeat?*

R. Negat cum *Com.* apud *Lay*. eo quod in tali caſu neceſſitatis parentes ferme non poſſint eligere idoneos ad munus patrini, atque adeo credibile non ſit Eccleſiam illis talem obligationem imponere voluiſſe.

Q. *Quot patrini requiruntur?*

R. Vel unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una. Si autem plures a parentibus deſignati ſe ingerant, ad tenendum, Sacerdos poteſt initio diſſimulare, ſed poſtea dicat ſatis eſſe ſi unus, vel unus & una infantem tangat, aut ſi permittat omnes tangere, deſignet cum aliquo ſigno externo unum tantum, vel unum & unam, quibus ſolis tradet infantem baptizatum, & illos ſolos annotet eſſe patrinos, reliquos fuiſſe aſſiſtentes.

Q. *Pater in necessitate suum, vel suæ uxoris filium baptizans contrahitne cognationem?*

R. Non, nec privatur jure petendi debitum, quia æquum non est, ut qui obligationi suæ satisfacit, ideo pœnam subeat. Communiter Doct.

Nec uxor privaretur jure petendi, etsi maritus ex malitia & fraude ideo baptizaret, vel levaret filium, quatenus non esset obligatus reddere debitum uxori, quia fraus nemini patrocinatur.

Sacerdos baptizans potest fieri Patrinus, si substituat sibi alium, qui nomine suo levet. Item duo conjuges etiam possunt simul levare eundem infantem. *March. Aver. &c.*

Q. *Quæ personæ contrahunt cognationem spiritualem in Baptismo?*

R. *Primo.* Baptizans cum baptizato, patre, ac matre baptizati. *Secundo.* Levantes cum levato, ejusque patre, ac matre. Cognatio hæc inter has solas personas dirimit matrimonium non extendendo se ad alias.

Dicta cognatio contrahitur etiam in Baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi peracto. S. Congr. 5. Mart. 1658.

Non contrahit autem, qui procuratorio nomine tantum tenet, tunc ejus principalis contrahit. Nec ille qui tunc tenet, dum cæremoniæ solum peraguntur.

§. XVIII.

De Confirmatione.

Q. QUid *est Confirmatio?*

R. Est Sacramentum quo homo viator baptizatus ungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate sub præscripta forma verborum ad fidei robur consequendum.

Q.

Q. *Quando institutum est, & quæ ejus materia?*

R. Dictum est ubi de Sacramentis in genere.

Nota: Quod Apostoli in primitiva Ecclesia per solam impositionem manuum hoc Sacramentum ministrasse leguntur *Act.* 8. hoc autem faciebant ex speciali dispensatione Christi pro illo solum tempore, quo Spiritus Sanctus supra fideles sub visibilibus signis descendebat, ac proinde tunc non erat necessaria visibilis materia sacramentalis. Quando vero hujusmodi signa cessarunt, usi sunt Apostoli Chrismate in collatione Confirmationis. *S. Thom. q.* 62. *art.* 2.

Q. *An ad valorem hujus Sacramenti requiritur ut Chrisma ab Episcopo sit benedictum?*

R. Omnino.

Q. *Quæ est forma?*

R. Sunt verba ab Episcopo prolata: *Signo te &c.*

Q. *Quis est Minister hujus Sacramenti?*

R. Ordinarie Episcopus; potest autem ex commissione Papæ etiam simplex Sacerdos esse minister.

Q. *Qui est effectus Confirmationis?*

R. 1. Gratia habitualis. 2. Character. 3. Cognatio spiritualis sicuti in Baptismo. 4. Gratia Sacramentalis, quæ est speciale auxilium tempore opportuno conferendum ad fidem Christi fortiter, & intrepide confitendam.

Q. *Quare infligitur alapa in Confirmatione?*

R. Ut sciat confirmatus se ab hinc paratum fore ad ludibria, & alapas pro Christo subeundas; tum ut Confirmationis sit memor.

Q. *An incurreret ille irregularitatem, qui reiteraret Confirmationem, vel bis eandem personam confirmaret, prout de Baptismo statutum est?*

R. Multorum Theologorum opinio est *nega-*

tiva, cum nullo expreſſo jure id caveatur. *Jord. &c.*

Q. *Quæ diſpoſitio requiritur in ſuſcipiente Confirmationem?*

R. 1. Intentio in adulto. 2. Fides, ut cum fructu recipiatur. 3. Confeſſio, ſi eſt in mortali, vel contritio perfecta.

Q. *Quomodo obligat hoc Sacramentum ad ſui ſuſceptionem?*

R. Ad ſummum ſub veniali (cum enim non ſit neceſſarium neceſſitate medii, nec ſtricte præcepti) niſi adſit contemptus.

Q. *Eſtne de neceſſitate præcepti aſſumere patrinum in Confirmatione?*

R. Eſt, quod tranſgredi ſub mortali non licet. Sufficit autem unus, vel ad ſummum unus & una, qui debent eſſe confirmati. Nec poteſt idem eſſe patrinus Baptiſmi, & Confirmationis, niſi urgente neceſſitate; & tunc poteſt mulier tenere virum, & e converſo.

Q. *Ob quam cauſam adhibetur in Confirmatione patrinus?*

R. Sicut in Baptiſmo patrinus debet inſtituere baptizatum in fide, ita patrinus confirmatum debet corroborare in fide, dum mors pro Chriſto ſubeunda immineret.

Q. *Quid ſignificat oleum & balſamum?*

R. *Primum*. Conſcientiæ nitorem. *Secundum* ſignificat bonæ famæ odorem.

Q. *Quis eſt capax hujus Sacramenti?*

R. Omnis homo baptizatus, viator, ſaltem ſeptem annos habens.

Q. *Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſtne alterius Diœceſis ſubditos confirmare?*

R. Affirmative, quia præſumi poteſt Epiſcopum proprium id ratum habere. Non poteſt autem licite in aliena Diœceſi etiam proprium ſubditum confirmare. *Tamb. &c.*

CA-

CAPUT DECIMUM.

§. I.

De Presbyteratu.

Q. QUid est Presbyteratus?

R. Est spiritualis potestas, qua ordinatus in Presbyterum, seu Sacerdotem, potest consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, & a peccatis fideles absolvere.

Q. *Ubi hic ordo præfiguratus fuit?*

R. In filiis Aaron sacerdotibus.

Q. *Quæ est materia hujus Ordinis?*

R. Est duplex, nam duplex datur potestas Sacerdoti, scilicet in Corpus Christi *physicum*, seu verum, & in Corpus Christi *mysticum*, id est fideles.

Materia *remota* primæ potestatis est Calix cum vino, aqua mixto, & Patena cum Hostia. *Proxima* est eorumdem traditio.

Secundæ potestatis, *Materia remota*, manus Episcopi. *Proxima* vero est impositio manuum. *Forma* sunt verba in traditione dictarum materiarum prolata.

Q. *An valida esset ordinatio si ordinandus tangat Calicem, & Patenam, non vero immediate Hostiam?*

R. Affirm. satis namque dicitur tangere, & acceptare Hostiam, dum tangit & acceptat vas, in quo est Hostia.

Q. *Validene esset ordinatio si tradatur Hostia immediate, vel si tradatur Hostia & vinum simul immixta in Calice?*

R. Affirmat. de essentia est ordinis illarum substantiarum traditio, & solum per congruentiam ex præcepto traduntur in Calice & Patena.

Q. *Si autem solus Calix tangatur, absque eo quod immediate tangatur ipsa Patena?*

R. Valida esset ordinatio, quia Calix & Patena ei superposita videntur facere unum, ex præcepto tamen tam Calix quam Patena sunt tangenda.

Q. *An valide quis ordinaretur, si ei ex oblivione traderetur Calix sine vino?*

R. Affirmant nonnulli; verum securior est negativa, nam materia ordinis Presbyteratus est traditio Patenæ cum Hostia, & Calicis cum vino, proinde deesset materia necessaria.

Q. *An valida ordinatio esset, si traderetur vinum aqua non mixtum?*

R. Affirm. quia aqua solum ex præcepto requiritur, non autem de valore.

Q. *An valide ordinaretur, si una manu solum tangat materiam?*

R. Affirm.

Q. *Si quis ordinaretur in Presbyterum omisso Diaconatu, & Subdiaconatu, vel omnibus Ordinibus?*

R. Valide esset ordinatus, sed illicite, & tamdiu esset suspensus, donec reciperet Ordines omissos; etsi interim exercuisset Ordinem susceptum, incurrisset irregularitatem, & opus esset dispensatione. *Fag. &c.*

Q. *Si Episcopus diceret:* accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, *& non diceret,* & pro defunctis; *taliter ordinatus an posset celebrare pro defunctis?*

R. Potest, quia haberet potestatem consecrandi panem & vinum, & conficiendi Corpus & Sanguinem Christi, quod est de essentia. Jam vero hoc est per accidens, quod pro vivis aut defunctis offeratur.

Q. *An ordinatus accepta prima potestate in Corpus Christi verum, antequam accipiat secundam,*

dam, valide conficeret Corpus, & Sanguinem Christi?

R. Affirm. quia jam tunc habet plenam potestatem in Corpus Christi, & vere dici potest Sacerdos. An autem tunc posset absolvere a peccatis, certius quod non; quia sunt distinctæ potestates, quæ non conferuntur nisi adhibitis debitis Materia & Forma.

Q. *An si quis per errorem acciperet secundam potestatem sine prima, valide absolveret?*

R. Non, quia potestas in Corpus Christi mysticum essentialiter præsupponit potestatem in Corpus Christi verum, siquidem per hanc proprie fit quis Sacerdos, & secunda potestas dari nequit, nisi Sacerdoti.

Q. *Quod est officium Presbyteri?*

R. Præcipuum & principale est, Missam celebrare, & Fideles a peccatis absolvere.

Q. *Quæ est obligatio?*

R. Horas Canonicas recitare, & castitatem perpetuo servare.

Q. *Quot sunt effectus Presbyteratus?*

R. Tres. Gratia habitualis, Character, & gratia Sacramentalis.

Q. *Quando fuit institutus Presbyteratus?*

R. Quoad primam potestatem in ultima Cœna. Quoad secundam, dum dixit Christus *Jo.* 20. *Quorum remiseritis &c.*

Q. *Quam scientiam debet habere ordinandus in Presbyterum?*

R. Ex *Trident.* tanta scientia requiritur, qua ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur. Atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.

Q. *Quomodo Sacerdotes novi se gerere de-*

bent in ordinatione, quando celebrant cum Episcopo?

R. *Primo*. Ut nullo modo præveniant Episcopum in prolatione verborum Consecrationis, sed curent cum eo simul dicere. *Secundo*. Intentione faciant formam proferre eo meliori modo, quam intendit Ecclesia.

Q. *An teneantur inchoare cum celebrante omnino ab initio Missæ?*

R. Non, sed sufficit, si incipiant ab oblatione panis, S. R. C. 20. Sept. 1749. Nec tenentur easdem benedictiones vel actiones peragere, quas facit Episcopus. Nec omnino tenentur de calice illo, quem in ordinatione tetigerunt sumere, S. R. C. ut supra statuit.

Nota: Missæ votivæ tres assignatæ ab Episcopo absolvendæ sunt, in diebus, in quibus legi possunt Votivæ ex præscripto Rubricarum.

§. II.

De Eucharistia.

Q. QUid est Eucharistia?

R. Est Sacramentum sub speciebus panis & vini consecratis, vel alterius eorum, verum Christi Corpus & Sanguinem realiter continens ad spiritualis vitæ nutritionem institutum.

Q. *Propter quos fines institutum est?*

R. *Primo*. Ut in medio populi Christiani Christus sit realiter, licet latenter præsens usque ad consummationem sæculi. *Matth*. 28. *Secundo*. Ut fideles habeant refectionem spiritualem. *Tertio*. Ut detur Sacrificium in Ecclesia. *Quarto*. Ut detur signum infiniti amoris, quo Christus dilexit nos. *Quinto*. Ut esset memoriale Passionis; tandem ut detur pignus æternæ beatitudinis.

Q. *Existitne cum Corpore Christi panis?*

R. Non; nam tota substantia panis per consecrationem omnipotentia Dei, & virtute verborum consecrationis convertitur in Corpus Christi, solæque manent species panis, scilicet odor, color, &c. idem censendum de speciebus vini, & inde orta est hæc vox: *Transubstantiatio*.

Q. *Quid est transubstantiatio?*

R. Est transitus seu conversio totius substantiæ panis & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini.

Sub his autem speciebus existit Christus quo ad suum modum existendi non *circumscriptive*, ita ut singulæ partes sint extra se invicem positæ, & occupent distinctum spatium, sed *definitive sacramentaliter* in hoc sensu, quod totus Christus sit in tota Hostia, & totus in qualibet parte Hostiæ, sive divisæ, sive conjunctæ. Dixi: *Definitive sacramentaliter*, idest mirabiliori modo, quam aliæ ubicationes definitive; quia ubicatio definitiva proprie tunc est, quando totum existit in toto loco, & totum in qualibet parte loci, ita ut non existat alibi; Jam vero Christus Dominus ita existit in Eucharistia, ut existat alibi; consequenter non definitur, seu non terminatur spatio loci sicut anima & Angelus.

Q. *Quomodo accidentiæ panis maneant sine substantia ipsius panis?*

R. Manent miraculose, quia sustentantur a Deo separatæ a subjecto, & in genere causæ efficientis ab ipso Deo manutenentur in realitate, quam prius habebant, supplendo id, quod subjectum faciebat.

Q. *SS. Eucharistia dicitur panis?*

R. Non qualiscumque panis dicitur, sed qui de cælo descendit, id est Filius Dei sub sola extrinseca panis specie.

Q. *Daturne sub specie panis non solum Corpus, sed & Sanguis Christi? Item, sub specie vini tam Sanguis quam Corpus Christi?*

R. Omnino. Cùm sub specie panis idem numero Corpus sumitur, quod ad dexteram Dei sedet: porro hoc exsangue non est. Et nefas foret dicere Christi Corpus post resurrectionem separari a Sanguine, & mori posse.

Q. *Quid inde colligitur?*

R. Eos multum delinquere, qui nobis improperant dicentes: populum Catholicum non sumere Christi Sanguinem; quasi vero sub specie panis, Corpus Christi exsangue, & mortuum dari posset.

Q. *Satisne ergo est Eucharistiam sub una tantum specie, scilicet panis, sumere?*

R. Satis. *Primo*. Ob rationem mediate datam. *Secundo*. Quia nullibi Christus præcipit omnino sub utraque specie communicandum esse, sed liberum Ecclesiæ suæ reliquit Sacramentum hoc, sive sub una, sive sub duplici specie, prout pro circumstantia exigentia fore congruentius, & commodius videbitur dispensare. *Tertio*. Siquidem etiam tempore Apostolorum contenti fuerant homines una specie. *Act.* 2.

Q. *Sumere Christi Sanguinem sub specie panis, utique non est bibere?*

R. *Primo*. Imaginatio nimis profana est, existimare Sanguinem Christi non aliter bibi posse, nisi quemadmodum potum quemcumque alium de calice, aut amphora haurire consuevimus.

R. *Secundo*. Christus ipse abunde declaravit Sanguinem suum pretiosissimum sufficienter sub specie panis bibi posse: cum Joan. 6. aliquot vicibus, v. g. v. 35. 48. 50. 51. solius speciei panis expresse mentionem fecerit, atque sub hac specie communicantibus vitam æternam pro-

promiserit, v. g. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Q. *Christus, Matth. 26. dixit :* Bibite ex eo omnes?

R. Nullum hic denotatur præceptum sumendi calicem, & quidem omnibus hominibus datum; verum ly *omnes* solum protunc præsentes Apostoli moniti fuerant : *dividerent hunc unicum a Christo consecratum Calicem inter se*, ita ut nemo solus aut duo, vel tres calicem illum penitus ebiberent; sed omnes quotquot præsentes aderant, de eodem participarent. Unde *Mar.* 14. 29. dicitur : *Et biberunt ex illo omnes.* Responsio hæc firmatur testimonio Luc. 22. v. 17. Mar. 14. 23. Item Act. 2. v. 42. & Cap. 20. Luc. 24. v. 30.

Q. *Utique Sacerdotes Catholici sub utraque specie communicant?*

R. Tunc solum, dum Missæ Sacrificium juxta Domini mandatum Apostolis, eorumque Successoribus impositum. *Luc.* 22. 19. actu celebrant.

Extra tamen Sacrificium omnes Presbyteri, Episcopi, ipse etiam Papa lethali affixi strato sub sola specie panis hoc Sacramentum percipiunt, stola tunc super humeros sibi imposita ab omni infirmo Presbytero communicante.

Q. *Ergo laici sub una specie non totum Sacramentum recipiunt?*

R. Recipiunt totum, *quo ad substantiam*, quia sub qualibet specie est totus Christus, licet non recipiant totum, *quo ad modum*.

Q. *Quomodo hoc debet intelligi, quod totus Christus sit sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini?*

R. Debet intelligi hoc modo : quod Corpus Christi Domini vi verborum ponatur *formaliter* sub speciebus panis; reliqua vero, scilicet Sanguis, & Divinitas *concomitanter*.

Similiter quod Sanguis Christi Domini, vi

verborum ponatur *formaliter* ſub ſpeciebus vini, reliqua vero, ſcilicet Corpus Chriſti, & Divinitas *concomitanter*. Porro: Hæc *concomitantia* fundatur vel in unione phyſica, vel in connexione naturali, quia unionis talis eſt natura, ut uniat extrema, ita ut illa durante, ubi unum extremum ponatur, ibidem neceſſario ponatur etiam aliud extremum.

Q. *Quid de Patre & Spiritu S. ſuntne iſtæ Perſonæ Divinæ in Euchariſtia?*

R. Perſona Patris & Spiritus S. neque offertur, neque ſumitur in Euchariſtia, quia non eſt unita humanitati hypoſtatice, uti eſt Perſona Verbi, tamen ob naturalem unionem, quam habent cum eadem Perſona Verbi ratione Divinæ naturæ, quæ una & eadem eſt in omnibus Divinis Perſonis, & cum qua omnes identificantur, neceſſario ſunt, ubi eſt illa. *Sanctus Thom. q. 78. Card. de Lugo de Euch. &c.*

Q. *Euchariſtia quot modis poteſt ſuſcipi?*

R. Quatuor modis: I. *Corporaliter*, ſeu *Materialiter*, tunc fit v. g. ſi quis infidelis ſumeret Euchariſtiam, non credens ibi eſſe Corpus Chriſti verum.

II. *Spiritualiter*, tunc v.g. ſi fidelis audiendo Miſſam cum devotione excitaret in corde ſuo deſiderium ſuſcipiendi Euchariſtiam.

III. *Sacramentaliter corporaliter*, tunc quando Chriſtiani ſumunt Euchariſtiam ſacrilege in peccato mortali exiſtentes.

IV. *Sacramentaliter corporaliter*, & *ſpiritualiter* ſimul, tunc quando Chriſtiani in gratia exiſtentes cum devotione debita ſumunt S. Euchariſtiam, qui ex tali perceptione recipiunt augmentum gratiæ, ut æternam mercedem recipiant in patria cæleſti.

§. III.

§. III.

De Ministro Sacramenti Eucharistiæ?

Q. *QUotuplex est Minister Eucharistiæ?*

R. Duplex: *Conficiens*, qui est solus Presbyter & *distribuens*, qui est solus Presbyter & de ejus licentia etiam Diaconus.

Q. *An mortaliter peccat Sacerdos Eucharistiam distribuens in mortali?*

R. Cum probabiliori affirmat. An autem toties peccat, quot sunt personæ, quibus dispensat uno eodemque tempore; probabilius negant Theol. quia ministratio illa, & Communio est unica actio moralis unicumque convivium.

Q. *An licet dare Eucharistiam aliis dignis, si indice & pollice dare nequeat?*

R. Si æger sine Viatico moriturus esset, dari potest, & debet. Citra Viaticum autem etiam dari potest, si necessitas aliqua foret, quia ratione digitorum tota manus videtur esse consecrata.

Q. *Quid faciendum esset Hostia decidente in terram?*

R. Locus tegendus est (si tempore distributionis Communionis accideret) palla, vel re aliqua munda, & postea abluendus.

Q. *Quod si Hostia decidat in sinum, seu infra pectus mulieris?*

R. Permitti potest, ut ipsamet, vel alia mulier manu sua extrahat, indecens enim foret, si Sacerdos ipse eximeret. Abluendi tamen erunt digiti mulieris. Laudabiliter faciunt, qui tempore distributionis patenam supponunt ori communicantis.

Q. *Quid facere debet Sacerdos distribuens Communionem, si v. g. fœminam videat Sacram Hostiam ex ore in strophium servare?*

R.

R. Tacite illam observare debet, nec tenetur illam publice arguere, per hoc enim fors innocenter infamaretur; quia forte recordatur peccati, & putat melius sic deponere, quam deglutire, vel forte vomitum præsentit, sed postea serio requirenda erit hæcce sacra Hostia a muliere.

Q. *Quid faciendum, si Sacramentum evomi contingat?*

R. Si ab aliquo communicante, vel a Sacerdote ipso sine nausea absumi potest, separetur a rejectamentis cæteris, & absumatur, secus in loco separato servetur, donec species corrumpantur, dein comburatur, & cineres in Sacrarium mittantur.

Q. *An Sacerdos qui commode celebrare non potest, seipsum communicare possit in absentia aliorum Sacerdotum?*

R. Cessante scandalo, & urgente aliqua rationabili causa (qualis est etiam simplex devotio) affirmant *Salm. Laym. Card. de Laur.*

Notandum: Quod Eucharistia nulli debet administrari Feria 6. Magna, seu die Parasceves, nisi infirmis. S. R. C. 19. Febr. 1622.

§. IV.

De suscipiente.

Q. *QUis est capax sumendæ S. Eucharistiæ?*

R. Solus & omnis homo baptizatus. Non baptizatus reciperet valide, sed solum *materialiter*, non vero *sacramentaliter*.

Q. *Sumptio S. Eucharistiæ estne jure Divino præcepta?*

R. Affirm. *Joan. 6.* Obligat vero sub mortali in articulo mortis, sive naturalis, sive violentæ. Deinde etiam in reliqua vita, quoties tali remedio opus est ad perseverandum in statu gratiæ.

Q. *Quæ dispositio requiritur ad digne suscipiendum hoc Sacramentum?*

R. *Ex parte animæ*, intentio actualis, vel virtualis communicandi, status gratiæ, & ne sit excommunicatus.

Ex parte corporis, jejunium naturale. Nihil nocet, etsi post cibum sumptum ante mediam noctem nullus captus sit somnus, neque cibus concoctus ante S. Communionem. Expedit quoque, ut in variis devotionis affectibus, & virtutum actibus se exerceat.

Q. *Quales virtutum actus ante Communionem eliciendi?*

R. Actus *Fidei*, de vera reali præsentia Domini nostri Jesu Christi sub speciebus Eucharisticis; *Spei*, contritionis, adorationis; *Amoris*, humiliationis sui, desiderii, & alii hujusmodi.

Q. *Qua hora sumenda est Communio?*

R. Quavis hora dummodo sit jejunus homo, hora tamen congruentior est matutina.

Q. *Qui sunt effectus hujus Sacramenti?*

R. Augmentum gratiæ, præservatio a mortalibus, & liberat a venialibus. Unio spiritualis cum Christo: auxilium ad sancte vivendum, & ad pellendas tentationes, potest conferre gratiam primam, ut si quis bona fide putans se esse in gratia, revera non est, accedat cum attritione ad hoc Sacramentum, recipit primam gratiam, & peccatorum remissionem.

Q. *An majorem gratiam Eucharistia sumpta sub utraque specie conferat, quam sub una?*

R. Major pars Theol. negat, quia utraque species continet totum Christum. *Coto. Mum.* 58.

Q. *In dubio num quis fregerit jejunium?*

R. Si nulla foret necessitas, præstaret potius abstinere a percipienda Communione. *Bened. XIV. De Miss. Sacrif.* §. 7.

Q. *Peccatori occulto (id est indigno rite non confesso) publice Eucharistiam petenti, estne deneganda ?*

R. Non, cum jus naturale ad famam id expostulet. *Bened. XIV. De Syno.*

Occulte vero petenti, & noto sibi Sacerdote, aliunde quam ex Confessione, tuto potest negari. Si vero pariter aliunde, & simul etiam ex Confessione sciat, exprimere debet Sacerdos se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit.

Si vero noverit rem tantum ex Confessione, perinde se gerat, ac si nescivertit, cum id exigat arctissimum Confessionis Sigillum. *Idem ibidem.*

Publicus peccator publice petens repellendus est. *Publicus* vero dicitur, non ille tantummodo, qui talis declaratus est a Judice, sed etiam, qui per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habeatur. *Idem Instit. Eccl.* §. 8. & *de Sacrif. Missæ*, L. 3. C. 20. §. 4.

§. V.

De Viatico.

Q. QUid nomine Viatici intelligitur ?

R. Eucharistia iis dari solita, qui vita discessuri brevi creduntur, ut medio hoc pro via in domum æternitatis iis prospiciatur. Confert enim ex opere operato specialia auxilia in morte juvantia. *Comm. DD.* Potest autem dari etiam non jejunis, & non tantum certe, sed etiam probabiliter morituris.

Q. *An graviter peccat infirmus adultus nolens suscipere Viaticum ?*

R. Affirm. Nisi eodem die communicasset, quia

quia materia est gravis conducens valde ad animæ bonum in articulo periculosissimo.

Q. *An qui hodie communicavit ex devotione, possit non jejunus denuo sumere SS. Eucharistiam per modum Viatici, si sit periculum mortis?*

R. Affirmat. Comm.DD. Imo in eodem morbo potest sæpius dari, si petatur ab infirmo.

Q. *Potestne Sacerdos non jejunus celebrare ad dandum ægroto Viaticum?*

R. Non; nam præceptum Viatici obligat quando conferri potest juxta ritum Ecclesiæ. *Bened. XIV. de Missæ Sacrif.* Lib. 3. cap. 12.

Nec licet Sacram Particulam deferre ad eam venerandam, & deosculandam ægroto impotenti Viaticum sumere. *Idem ibidem*, cap. 19. §. 4.

Non licet Sacerdoti ad infirmum deferre Corpus Domini capite tecto. *Decr.* S. R. C. 21. Jan. 1696.

Q. *Morituro impotenti Eucharistiam sub specie panis deglutire, an potest Sacramentum administrari sub specie vini; vel sub specie panis intinctum in vino consecrato?*

R. Non, ob rationem superius jam dictam. *Idem ibidem* §. 6.

Licite autem administrari potest sub specie panis consecrati, vino vel aqua non consecrata madefacti, ut facilius deglutiatur. *Idem ibidem*.

Q. *Damnato ad mortem, si ejus supplicium differri non potest, an dandum est Viaticum non jejuno, licet post horam ducendus sit ad mortem?*

R. Affirmat. Ordinarie tamen dari solet pridie mortis.

Q. *Quid faciet Sacerdos, si infirmus recepto Viatico statim moriatur?*

R. Si nihil appareat in ore defuncti credendum illud deglutivisse. Si particula remansit

in ore, extrahenda est, & corruptis speciebus ponenda in Sacrario, ut dictum superius de Ministro Eucharist. penult. casu.

Q. *Quomodo peste infectis administrari possit Viaticum?*

R. Si neque scandalum, neque periculum lapsus in terram adest, virgula oblonga, vel alio instrumento.

Quidam curant benedici particulas corporalium, in quibus Sacram Hostiam deponunt loco securo, ad quem ægro sit accessus, ut ipse sumere possit, quæ pars corporalis, seu involucrum illud igni postea traditur.

Alii capsulis, vel parvis vitris utuntur, e quibus æger Sacram Hostiam sumit. Practicatum id in Polonia tempore pestis, notum est.

Q. *Sub qua forma dari debeat Viaticum?*

R. Sub hac: *Accipe* (Frater, vel Soror) *Viaticum Corporis Domini* N. J. C. *qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat te ad vitam æternam. Amen.*

Q. *Quibus dari debet S. Viaticum?*

R. Omnibus usum rationis habentibus, etiam surdis & mutis, etsi a nativitate sint tales. *Lay.* Etiam energumenis, si absque periculo irreverentiæ communicare possunt.

Q. *Celebrans immediate ante suam communionem rogatur pro dando Viatico?*

R. Si nulla alia sit Hostia consecrata, potest dare partem de sua hostia. *Bened. XIV. de Sacrif. Miss.* Id autem per modum communionis administrandæ nequit facere, si nulla adsit rationabilis causa.

Q. *Si vero sumpto Corpore & Sanguine, non vero ablutione moneatur de Viatico administrando?*

R. Tunc potest aliam Missam celebrare, secus vero non. *Idem ibidem.*

Q. *Celebrans Missam etiamsi in necessitate*

dan-

dandi Viatici infirmo absque uno e sacris majoris notæ indumentis, vel sine luminibus peccaretne mortaliter ex irreverentia?

R. Affirmat. Non enim urget Viatici præceptum, si administrari non possit eo modo, quo debet. *Idem ibidem.* Lib. 3. cap. 7. §. 2.

§. VI.

De Sacrificio Missæ.

Q. *Quotupliciter sumitur Sacrificium in communi?*

R. *Primo*, Sumitur *improprie*, pro quolibet opere bono & meritorio: *Qui facit misericordiam offert Sacrificium*, Eccl. 36. *Secundo proprie*, pro certo Religionis actu, quo supremum cultum soli Deo debitum exhibemus.

Q. *Quid est Sacrificium generice sumptum?*

R. Est actus externus Religionis, per quem res aliqua, certo ritu & ceremonia Deo offertur, immolatur & destruitur ad protestandum supremum Dei dominium, & in recognitionem servitutis nostræ.

Q. *Sacrificium quomodo se habet respectu Missæ?*

R. Sacrificium est genus respectu Missæ. Missa est species Sacrificii. Unde omnis Missa est Sacrificium, non tamen e contra.

Proinde, Missa est Sacrificium tantum unicum novæ legis omnibus Sacrificiis perfectius, continens in se perfectiones omnium Sacrificiorum veteris legis. Christus instituendo Sacrificium Missæ videtur abrogasse omnia alia Sacrificia.

Q. *Quid est Missa?*

R. Est Sacrificium verum & proprium novæ legis, in quo sub speciebus panis & vini, Corpus & Sanguis Domini N. J. C. æterno Pa-

Patri offertur in memoriam cruenti Sacrificii olim in Cruce peracti. *Trid. Seß.* 22.

Q. *Quis primus Missam celebravit?*

R. Christus ipse, dum eam in ultima Cœna instituit, suis Discipulis celebrandam præcepit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22.

Q. *Quod fundamentum Christum in ultima Cœna non solum panem & vinum convertisse in Corpus & Sanguinem suum, verum etiam Corpus & Sanguinem sub speciebus panis & vini obtulisse Æterno Patri pro peccatis totius mundi, seu quod idem est, oblationem & Sacrificium pro tunc celebrasse?*

R. *Primo*, Dixerat enim, *cit. loc. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Igitur hoc Corpus debebat obtulisse Æterno Patri. *Secundo*, Quoniam Christus ad Hæbr. c. 7. 17. dicitur: *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Porro Sacrificium Melchisedech consistebat in oblatione panis & vini, uti est Gen. 14. 18.

Q. *Celebraruntne etiam Apostoli Sacrificium Missæ?*

R. Celebrarunt, colligitur tum ex illis verbis Act. 13. 2. *Ministrantibus* (seu prout in Græco paulo clarius habetur), *Sacrificantibus illis Domino.* Tum ex antiquissimis Liturgiis S. Petri, S. Jacobi &c. seu formis celebrandi Missam.

Q. *Nunquid non legimus ad Hebr.* 19. 12. *Christum semel tantum in Cruce oblatum esse?*

R. Semel Christus in Cruce fuit oblatus oblatione cruenta, quæ sufficientissima quidem erat; verum tamen, ut hanc cruentam oblationem continuo nobis in memoriam revocando applicaremus, instituit propterea oblationem incruentam pretiosi Corporis & Sanguinis sui sub speciebus panis & vini, seu Missam.

Q.

Q. *Quæ est substantia Missæ?*

R. Conversio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, prout factum in ultima Cœna. Igitur substantia Missæ in re est celebratio Cœnæ Domini.

Q. *An omnia quæ dicuntur, & fiunt in Missa sint necessaria ad Sacrificium?*

R. Non, quia aliqua spectant ad Sacrificii substantiam, alia ad ornatum, alia ad decentiam.

Q. *Quid præterea reperitur in Missa?*

R. Christi Evangelium, Lectiones S. Scripturæ, Epistolæ SS. Apostolorum, aliique varii S. Scripturæ textus, proportionate ad Festa per annum occurrentia, ac orationes devotæ ad Deum.

Q. *Quoniam omnia in Missa piissima & sanctissima sunt, cur eam nonnulli e prædicantibus dissidentium tam enormibus conviciis afficiunt?*

R. Certe pudere eos hujus facti juste deberet; quidam enim ex illis per ignorantiam culpabilem delinquunt, juxta illud: *quæ ignorant blasphemant. Judæ Ep. 1. v. 20.* Quidam ex invidia, quoniam ipsi hoc Sacrificium (*utpote a solis rite & valide per Episcopos Catholicos potestatem legitimam ad id a Christo & Apostolis per continuam & non incorruptam successionem habentes consecratis Presbyteris celebrabile*) non possunt valide peragere, nec administrare, cum sint puri laici, nullam potestatem Sacerdotalem habentes.

Q. *Sacrificium Missæ estne idem cum Sacrificio Crucis?*

R. Quoad *substantiam rei oblatæ* est idem, & quoad *principalem offerentem*, quia utrobique est idem Christus.

Quoad modum tamen, ritum, & alias circumstantias est diversum, quia in Cruce erat cruen-

cruentum, & fiebat per actionem *physice* destructivam Christi, nunc autem est incruentum, & fit per actionem moraliter tantum destructivam ejusdem.

Q. *Per quid differt Sacrificium Missæ a Sacramento Eucharistiæ?*

R. Per ista: *Primo*. Quia requirit consecrationem utriusque speciei; Eucharistia vero habetur in una specie. *Secundo*. Quia est quid transiens, cum in actionibus consistat transeuntibus; Eucharistia vero est permanens. *Tertio*. Quia primario ordinatur ad cultum Divinum; Eucharistia vero primario ordinatur ad sanctificandum hominem.

Q. *In quo essentialiter consistit Sacrificium Missæ?*

R. Probabilius in consecratione, & sumptione utriusque speciei.

Igitur nemini unquam permitti potest consecratio sub unica tantum specie, si hoc fieret a Sacerdote, consecratio quidem valeret, sed graviter peccaret, & Sacramentum non vero Sacrificium conficeret, deesset tunc enim mystica victimæ mactatio. *Bened. XIV. de Sacrif.* §. 19.

Q. *Cui offerri debet Sacrificium?*

R. Uni soli Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto, est enim cultus latriæ, qui soli Deo debetur.

Q. *Utique Missæ celebrantur in honorem Sanctorum?*

R. Tunc solum intendit Ecclesia intercessionem eorum obtinere apud Deum.

Q. *Cur Ecclesia Occidentalis utitur constanter unico idiomate Latino in Sacrificio?*

R. *Primo*. Quia S. Mysteriorum Majestas non debet tantis subesse mutationibus, quale in vernaculis linguis quotidie fieri experientia docemur. Unde singulis fere sæculis Liturgias immutari oporteret.

Se-

Secundo. Quia in hujuſcemodi translationes, & mutationes enormes errores irrepere poſſent maximo cum diſpendio debitæ venerationis, ac Chriſtianæ veritatis.

Tertio. Quia unitas linguæ Liturgicæ unitatem & communionem fidelium in Eccleſia conſervat, cum alias plurima poſſent exoriri ſchiſmata, inconvenientiæ &c. neque poſſet v. g. Sacerdos Italus vel Hiſpanus in Polonia vel Germania, aut viciſſim, ſacris operari.

Quarto. Si linguæ Liturgicæ ſervatæ non eſſent, inutiles nobis forent, imo dudum vel corrupti fuiſſent, vel omnino periiſſent SS. Patrum Canones cum conſtitutionibus, lucubrationibus omnibus Græco & Latino ſermone exaratis. Sicut ergo S. Spiritus per diverſitatem linguarum multarum gentes in unitate fidei congregavit, ita unitatem fidei per diverſas gentes unitas linguæ Liturgicæ cuſtodivit, & conſervavit.

Q. *Quotuplex eſt Sacrificium*?

R. Ob varios fines, varie dividitur. *Primo*, Dicitur *Latreuticum*, in quantum per illud ſupremus Deo redditur cultus *Latriæ*. *Secundo*. *Euchariſticum*, ſeu *gratiarum actorium*, per quod redduntur gratiarum actiones pro beneficiis exhibitis. *Tertio*. *Propitiatorium*, quod offertur pro remiſſione peccatorum; aliter vocatur *Expiatorium*, in quantum per illud expiantur peccata, non tamen eo modo, quo per Baptiſmum, & Pœnitentiam remittuntur peccata per gratiæ infuſionem; ſed Deus intuitu hujus Sacrificii donum Pœnitentiæ largitur, ſeu peculiarem gratiam donat, qua quis excitetur ad contritionem vel abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ utiliter conſequendam.

Quoad remiſſionem pœnæ, culpa jam abolita, immediate illam remittit, remittit inquam illi, pro quo offertur, ea tamen menſura, quæ

Deo

Deo placuerit. *Bened. XIV. loc. cit. lib.* 2. *c.* 13. §. 17. *Quinto*. Dicitur *Satisfactorium*, cum justitiæ Divinæ per Sacrificium satisfacere volumus. *Sexto*. *Impetratorium*, spiritualium & temporalium bonorum, hæc tamen omnia sunt in uno Sacrificio, quod unicum institutum est a Christo in Ecclesia, scilicet *Missa*.

§. VII.

De partibus Sacrificii Missæ.

Q. *QUotuplices sunt partes Sacrificii Missæ?*

R. Triplices: *Essentiales*, sine quibus valide fieri non potest; & hæ sunt, consecratio & consumptio. Aliæ *Integrales*, quæ non sunt de essentia ejus, integrant tamen illud.

Q. *Quotuplices sunt partes integrales in Sacrificio?*

R. *Principales*, seu ordinariæ, & sunt illæ, quæ in omni Sacrificio habentur. Aliæ *minus principales*, seu non ordinariæ, quæ non habentur in omni Sacrificio, sed tantum aliquando, & tales sunt: *Gloria*, *Credo*, plures *Epistolæ &c.*

Q. *Quot sunt partes principales integrales?*

R. Quatuor. *Prima*, Incipit ab Introitu ad Offertorium. *Secunda*, Ab Offertorio ad Canonem: *Te igitur &c.* *Tertia*, a Canone ad sumptionem. *Quarta*, Ad finem continuatur.

Q. *Quotuplex est oblatio in Missa?*

R. Duplex: *Una* panis & vini, quæ habetur in Offertorio per illa verba: *Suscipe sancte Pater*. *Altera*. Est Oblatio Corporis & Sanguinis Christi, quæ fit post consecrationem per illa verba: *Unde & memores &c.* Hæc secunda oblatio est de essentia Missæ, nam res oblata in hoc Sacrificio est Corpus & Sanguis Christi, non vero panis & vinum.

§. VIII.

De Materia Sacrificii Missæ.

Q. QUæ *Materia est Sacrificii Missæ?*

R. Minus principalis & transiens est *panis triticeus* de valore; debet autem esse sub mortali azymus in Ecclesia Latina; in Græca vero fermentatus, & *vinum de vite*.

Q. *An in defectu possit licite consecrari hostia rubra ob admixtum cinebrium?*

R. Neg. Comm. DD. An autem valide, disputant Theol. verior sententia est negativa, cum non sit panis usualis. *Cot. Dia.*

Q. *Quo jure necessaria est utraque species?*

R. Divino, ut neque Papa dispensare in hoc possit.

Q. *Foretne materia apta, si magna esset permixtio farinæ ex aliis frugibus, vel permixtio aquæ vinum superaret?*

R. Neg.

Q. *Quid si vinum sit congelatum?*

R. Esset materia sufficiens, quia tale vinum per accidens tantum non esset potabile; si tamen esset totaliter congelatum, illicite consecraretur secundum aliquos DD. Non licet celebrare cum vino acido. Quod si vinum factum sit acetum, invalida foret consecratio. *Quart. Dub.* 11.

Q. *Quo jure admiscetur aqua?*

R. Jure Ecclesiastico, & quidem sub mortali. Etsi vino jam infusa sit aqua in dolio, vel alias, est tamen omnino miscenda in calice, quia significatio ab Ecclesia intenta tunc primo completur; sufficiunt autem duæ, vel tres guttæ.

Q. *Quod Mysterium significat hæc mixtio aquæ?*

R. Effusionem aquæ cum Sanguine ex latere Christi. 2. Unionem hominis cum Deo.

Q. *Quid agendum si advertatur aqua non fuisse mixtam vino?*

R. Si ante consecrationem advertatur, miscenda est; secus si post consecrationem, quia jam erit mixtio inutilis.

Q. *An in calice loco aquæ naturalis potest infundi v. g. rosacea, vel alia artificialis?*

R. Non; Sacramentum quidem teneret: minister tamen mortaliter peccaret, quia in re gravi mutaret ritum.

§. IX.

De Forma.

Q. QUæ *est forma Consecrationis panis?*

R. Hæc verba: *Hoc est enim Corpus meum.* Forma consecrationis vini hæc: *Hic est calix Sanguinis mei.* Reliquæ autem particulæ sunt de integritate formæ ex præscripto sub mortali non omittendæ.

Q. *Quis est sensus hujus formæ?*

R. Ille: Hic potus contentus in calice est Sanguis meus.

Q. *In forma consecrationis potestne aliquis defectus accidere?*

R. Potest, qui vel *invalidam* reddet, v. gr. si loco *Hoc* substituatur *illud*, vel *hic* pro adverbio sumptum; vel illicitam consecrationem redderet, v. g. si omittatur vox *enim*.

Q. *Quomodo verba consecrationis pronuntiari debent?*

R. *Primo.* Recitative simul, & significative, quia id debet Sacerdos recitare, quod Christus in ultima Cœna dixit, & simul significare, quod fecit. *Secundo.* Debent proferri in persona Christi, non vero ipsius Sacerdotis, quia

alias

alias falso diceret celebrans: *Hoc est Corpus meum*, siquidem non ejus corpus, sed Christi, vi verborum ponitur. *Tertio*. Debent proferri voce depressa, & non clara. Nam juxta *Gav. &c.* mortaliter peccaret Sacerdos, si audiretur ad decem passus verba consecrationis proferri. Ecclesia enim ideo prohibuit hæc verba alta voce proferri, ne populus illa audiens postea temere aut ad jocos utatur illis. *Quarto*. Proferri debet forma consecrationis modeste simul ac mature, non movendo caput, aut alios inutiles gestus faciendo, quia hæc Sacramento irreverentiam, & populo scandalum, ac admirationem pariunt.

Q. *In Consecratione Calicis dicitur*: Qui pro vobis, & pro multis &c. *nonne Christus pro omnibus Sanguinem effudit?*

R. Effudit pro omnibus sufficienter, non efficienter, hoc est quantum ad effectum; quia multi non salvantur ob suum defectum, & indispositionem, eo quod ponant obicem divinæ gratiæ per sua peccata. *Ad Rom.* 8. 32.

§. X.

De Ministro Sacrificii Missæ.

Q. QUis est Minister Sacrificii Missæ?

R. *Principalis*, est ipse Christus, qui etiam est simul & res oblata. *Minus principalis*, est solus Sacerdos rite per Episcopum ordinatus habens intentionem, ita ut si alius facere id attentet, is sane nihil efficiat.

Q. *Quotuplex est minister Sacrificii Missæ?*

R. Duplex: Conficiens & Offerens. *Conficiens* est Christus, & in Persona ejus solus Sacerdos. *Offerens* vero Minister est etiam ipse Christus, qui ut homo seipsum offert Deo Patri. Et Sacerdos consecrans. *Secundo*. Tota

Ecclesia offert Sacrificium Missæ mediante Sacerdote. *Innoc. III. lib.* 3. *c.* 5. Celebrans enim dicit nomine Ecclesiæ: *Offerimus tibi Domine calicem &c. Tertio.* Specialiter offerunt Sacrificium Missæ dantes pro illo stipendium, vel ministrantes celebranti, aut assistentes.

Q. *Participantne omnes prædicti de fructu Sacrificii?*

R. Affirm. si depositi sint, non æqualiter tamen, sed illi magis participant, qui magis vel propius concurrunt hoc ordine. 1. Sacerdos. 2. Pro quo Missa absolvitur. 3. Ministrantes. 4. Assistentes. Omnes specialiter offerentes non solum participant de fructu Sacrificii Missæ, sed etiam aliis eundem possunt applicare. *Suar. &c.*

Q. *Quæ dispositio requiritur in Sacerdote ad Sacrificium fructuose peragendum?*

R. 1. Ut sit jejunus. 2. Ut non sit censuris innodatus, vel irregularis. 3. Ut intentionem & conscientiam mundam habeat.

Q. *Licetne aliquando celebrare Sacrum non jejuno?*

R. Licet in his casibus. *Primo.* Si aquam loco vini ex errore consecraverit, & sumpserit, tunc enim tenetur aliud vinum in calicem infundere cum mixtione aquæ, & offerre incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*: tandem consecrare & statim sumere, ut sit integrum Sacrificium. *Secundo.* Si post ablutionem sumptam reperiat aliquod fragmentum suæ hostiæ super patenam seu corporale, nam horum fragmentorum sumptio spectat ad unum & idem Sacrificium. *Tertio.* Si post Consecrationem ægritudine correptus Celebrans non possit prosequi Sacrificium, vel e vivis excedat, potest, imo debet alius, etiam non jejunus, si jejunus non adsit, perficere Sacrificium (si vero id accidat ante Consecrationem, non est opus Missam ab

alio continuari) at ſi Miſſa ab altero non poſſit perfici ante meridiem, tunc Hoſtia & calix cum ſacro Sanguine recondendi ſunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reſerventur, & ſuppleatur. *Paſq.*

Non eſſet ſupplendus defectus, ſi celebrans deficeret inchoata conſecratione panis; quia accidentalis ſolum defectus haberetur, cum nondum pars eſſentialis eſſet poſita. Si una materia conſecrata, aut conſumpta deficeret celebrans, hæc ſola pars, in qua deficeret eſſet ſupplenda per conſecrationem aut ſumptionem. *Quarto*. Si inter celebrandum recordetur ſe non eſſe jejunum, & ab Altari ſine ſcandalo recedere non poſſit, vel ſi jam facta ſit conſecratio. In utroque caſu debet celebrans progredi in Sacrificio. *S. Thom. Zua. &c.*

Q. *Parochus inſperate deglutit guttam aquæ die feſto, & eſt unicus, videt populi concurſum, anguſtiatur quidnam non jejuno faciendum?*

R. Si prævidet populum omnino non poſſe, aut ſaltem vix poſſe ſine Miſſa quietum dimitti, non peccabit, ſi celebret ad evitandum ſcandalum, quia lex Eccleſiaſtica minor debet cedere legi naturalis charitatis majori, quando utraque ſimul ſervari non poteſt.

Q. *Si jejunium ſit neceſſarium ad celebrationem Miſſæ, cur in natali Domini ter celebramus?*

R. Quia Corpus & Sanguis Chriſti Domini non frangit jejunium. Si autem Sacerdos tunc in prima Miſſa per oblivionem ſumpſiſſet purificationem, non poterit reliquas duas Miſſas abſolvere, quia jam non foret jejunus, niſi eſſet ratio immediate dicta.

Q. *Sacerdos comedens in vigilia Nativitatis Domini ante 12. horam mediæ noctis, poteſtne poſt eandem mediam noctem Miſſam noctis abſolvere, etſi non dormierit, neque cibum digeſſerit?*

R. Poteſt.

Q. *Extatne præceptum die Nativitatis Domini tres Missas absolvendi, vel audiendi?*

R. Non; id enim solum fit ex antiquissima consuetudine. Unde sufficit, si eo die una scilicet tertia celebretur cum oratio ejusdem concordat cum Officio diei, & una quæcumque audiatur.

Q. *An, & quoties Sacerdotes tenentur Missam celebrare?*

R. Saltem in præcipuis festis. Imo ex *Trid.* tenentur ex mandato Episcopi celebrare in Dominicis, & Festis, nisi legitimo impedimento excusentur.

Q. *Si Sacerdos verba Consecrationis cum intentione quidem proferret super panem & vinum, sed extra Missam, consecraretne valide?*

R. Affirm. sed illicite, nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit cum intentione consecrandi prolatis. Bened. XIV. *De Sacr. l. 3. cap. 11. §. 11.* Similiter tantum illicite celebraret, si lethali crimine sit infectus, vel excommunicatus, hæreticus, degradatus.

Q. *Potestne aliquando licite Sacerdos celebrare peccato mortali obnoxius, & desit Confessarius?*

R. Si gravis necessitas urgeat, potest prævio actu contritionis; neque tunc sufficit attritio, nisi ea, quam celebrans sine culpa contritionem existimaverit. *Idem ibidem §. 9.* sed quam primum poterit, confiteri tenetur ad summum intra triduum.

Q. *Quæ est ista urgens necessitas?*

R. 1. Si Sacerdos eo die non celebrans offensioni esset & scandalo. 2. Si tempore Sacrificii recordetur peccati mortalis non confessi, nec sine scandalo recedere potest.

Q. *Quando Missam Sacerdos applicare debet?*

R.

R. Optime, si tunc, cum se ad eam præparat. *Idem. ibidem.*

Q. Quid faciendum est Sacerdoti, si urgeat necessitas celebrandi, & solum adest parva hostia, quæ communicantibus dari solet?

R. Melius tunc faceret, si populum doceret, ne miraretur, si illam adhibet pro majori; potius quam utatur, sententia aliquorum, qui censent posse tunc extrahi e tabernaculo hostiam majorem, quæ forte ibi adest, & adhibere illam ad elevationem. Bened. XIV. *Ibid.* §. 9.

Q. *Sacerdos si plures hostias consecrandas deferat ad Altare cum intentione eas consecrandi, sed in actu consecrationis solius hostiæ, quam præ manibus habet recordetur, eruntne omnes consecratæ?*

R. Affirm. *Panorm. Sco.* quia intentio præcedens perseverat saltem virtualiter.

Q. *Sacerdos consecrans putat solum esse sex Hostias, & sunt v.g. decem, an consecratæ censeantur esse omnes?*

R. Affirm. quia error speculativus, quo Sacerdos existimat esse pauciores nihil obstat intentioni, quam ex praxi implicite habere censetur consecrandi omnes hostias præsentes quotquot sunt, secus dicendum, si contrariam intentionem haberet. *Sua. &c.*

Q. *Si hostiæ consecratæ misceantur non consecratis, quid faciendum est?*

R. Totum hostiarum cumulum, dum Sacrum peragit, sibi apponere curabit, intentionemque eliciat tantum eas consecrandi, quæ non sunt consecratæ.

Q. *Hostiæ parvæ consecrandæ quando adferri debent celebranti?*

R. Ad Offertorium, alioquin erit consecratio illicita. Si autem in necessitate aliquæ adferrentur post offertorium, Celebrans supplebit

oblationem mente, & tandem una cum magna hostia consecrabit,

Q. *Si autem hostia cœpto Canone adferatur?*

R. Non est consecranda neque pro dando Viatico infirmo; tunc enim sufficeret, si celebrans de sua hostia particulam separaret pro dando Viatico. Bened. XIV. *ibid.* §. 6.

Q. *An, ubi plures consecrantur hostiæ unum sit Sacramentum, vel plura Sacramenta?*

R. Respectu rei, id est Christi in hostiis contenti, est Sacramentum unum numero in omnibus hostiis, respectu vero actionis, qua ipsum Sacramentum producitur, nempe per modum spiritualis convivii, multiplicatur numero prout ad varias ordinatur sumptiones.

Q. *Quale peccatum foret adhibere hostiam fractam in Missa?*

R. Si adhuc sit apta ad servandos ritus præscriptos, veniale.

Q. *Si hostia post consecrationem frangeretur totaliter in duas partes?*

R. Tunc adhibenda esset major pars ad ritus peragendos. Hostia, si leviter esset maculata, veniale. Si graviter, mortale esset, quia gravis foret irreverentia.

Q. *Quid agere debet celebrans si post consecrationem, sanguis effundatur?*

R. *Primo*. Si aliquid remansit in Calice, illud sumatur, nec opus est nova consecratione, quia talis sumptio sufficit ad perfectionem Sacrificii, cum quælibet stilla sit totus Christus. Si vero nihil prorsus remanserit, iteranda est consecratio Calicis, facta prius oblatione saltem mentaliter.

R. *Secundo*. Res super quam ceciderit Sanguis Christi debet prius a Sacerdote lambi, si commode fieri potest. 2. Abradi, lavari, abrasio comburi, cinis in Sacrarium mitti, locus bene ablui debet. Si ceciderit super lintea-

teamina Altaris, ſingula ad quæ pervenit ſtilla aliqua, ter ablui debent, & aqua ablutionis in Sacrarium effundi.

Q. *Quid agendum eſt, ſi muſca ceciderit in Sanguinem?*

R. Si hæc nauſeam non fecerit, ſumatur: ſi autem: extrahi debeat, & comburi, cineres in Sacrarium ponendi ſunt. Idem multo magis faciendum eſt, quando periculum eſt veneni, vel ſi araneus decideret.

Q. *Quid agendum eſſet, ſi Hoſtia e manu decidat in Sanguinem Chriſti?*

R. Si tota Hoſtia madefiat, non debet extrahi, ſed dici debent orationes de more, fierique omnes cæremoniæ ſuper Calicem, & ſimul ſumendæ ſunt ſpecies dicendo: *Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* Quod ſi vero poſſit, deberet extrahi pars Hoſtiæ non madefactæ, ad cæremonias reliquas peragendas.

Cavendum eſt, ne ita ſugatur Sanguis, ut a circumſtantibus audiri poſſit.

Caveat etiam celebrans ne os ſuum, ac labia calicis in parte, ex qua bibit, digitis abſtergat, aut ipſos digitos lambat.

Q. *Poteſtne quis celebrare duas Miſſas eodem die?*

R. Si Parochus regat Parœcias duas, nec populi unius poſſunt in Templum alterius convenire, ac deſit alius Sacerdos, poteſt eodem die duas Miſſas celebrare, ſed cum licentia Epiſcopi, ſi in prima Miſſa non ſumpſerit ablutionem.

Hic vero unicus eſt caſus, in quo bis celebrare liceat, neque enim fas eſt Sacrificium repetere, ſive propter adventum hoſpitum etiam Principum, aut Epiſcopi, qui die Feſto Miſſam non audierint, nec alius adſit Sacerdos, neque enim hæc eſt tanta neceſſitas, quan-

ta requiritur in *Cap. Consuluisti &c.* ita Benedictus XIV. *de Sacrif. L.* 3. C. 5. §. 3.

Q. *Prudenterne faceret ille, qui necessitate coactus ad celebrandum, simularet, seu fingeret se celebrare coram populo, & non consecraret, timendo ne sacrilegium committat in mortali existens?*

R. Talis gravissime peccaret, & quidem gravius, quam si in peccato consecraret, quia & Sacramento infert injuriam, & populo fraudem.

Tum quia in tali casu deberet potius actum contritionis elicere cum proposito confitendi. *Trident. Sess.* 13. & sic celebrare.

§. XI.

De requisitis ad Missam.

Q. QUæ *sunt requisita ad Missam?*

R. Sunt illa, sine quibus illicite, vel saltem indecenter absolveretur Sacrificium Missæ. Hæc autem sunt: Vasa Sacra, Altare, lumina, crux.

Q. *Quotuplices sunt vestes sacræ?*

R. Duplices: majores sunt Alba, Casula, Stola. Minores autem sunt cætera indumenta.

Q. *Quale est peccatum celebrare sine vestibus?*

R. Mortale, si omittantur vestes majores, vel aliqua illorum. *Merati p.* 2. *tit.* 1. Veniale autem, si ex minoribus desit aliquod. In casu necessitatis licet uti cingulo non benedicto, vel Stola pro Manipulo, aut e contra. *Lay. l.* 4. *t.* 5. *c.* 6.

Q. *A quo benedicendæ sunt vestes Sacræ?*

R. Ab Episcopo, vel a Sacerdote habente facultatem, & quidem sub mortali, excepta parvitate materiæ, v. g. si cingulum non benedictum adhibeat.

Q.

Q. *Calix cum patena debetne esse ab Episcopo consecratus?*

R. Omnino debet.

Q. *Quodsi aliquis bona fide in non consecrato celebraret?*

R. Eo ipso jam consecraretur, & non indigeret Episcopi consecratione.

Q. *Si autem quis mala fide celebraret, id est scienter in non consecrato calice?*

R. Etiam tunc eo ipso calix esset consecratus, sed taliter celebrans peccaret mortaliter.

Q. *An calix pridem consecratus, dum de novo deauratur, nova indigeat consecratione?*

R. Negant probabilius *Lay. Lugo, Esco. &c.* cum sit communis doctrina, quod calix amittendo inaurationem, non amittat consecrationem, si de novo inauretur. Sic si Ecclesia consecrata de novo dealbetur, nova non indiget consecratione. *Comm. DD.* Oleum non consecratum, si immisceatur consecrato in minore parte, ex ipsa mixtione consecratur, sic superficies illa per conjunctionem ad calicem consecratum bene fit etiam sacra, sicut & dealbatio Ecclesiæ. Sed data nova deauratione abluatur calix aqua benedicta.

Q. *A quibus licite possunt tangi vasa sacra?*

R. Si actu non contineant Eucharistiam possunt licite tangi a Clericis tonsuratis. Peccant laici sæculares venialiter, si absque rationabili causa, sed ex levitate tangant corporalia, vel calices. *Pasq. q.* 833.

Q. *Peccaretne Sacerdos, si celebraret absque duplici lumine?*

R. Mortaliter, venialiter autem, si adhibeantur candelæ ex sevo, dum possunt haberi ex cera, vel si unam tantum adhiberet candelam. *La-Cro. l.* 6. *p.* 2. *n.* 392.

Q. *Crux estne necessaria in Altari?*

R. Est sub veniali. Ubi autem adest magna statua Crucifixi, non est necesse omnino aliam ponere crucem, dum Missa celebratur. S. R. C. 4. Aug. 1663.

Q. *An Sacerdotes Latini ritus possunt celebrare in Ecclesiis Ruthenorum Græcounitorum, in eorum Altaribus, super antimensiis, calicibus etiam stanneis, & in vestimentis illorum sacris?*

R. Possunt, dummodo ritu latino celebrent, scilicet in pane azymo, & de licentia ipsorum Ruthenorum Parochorum.

Antimensia sunt lintei quidam Episcopi benedictione consecrati, in quorum angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt.

Q. *Et e contra possuntne Rutheni Sacerdotes uniti in Ecclesiis Latinorum celebrare in omnibus vestimentis ritus Latini servato suo ritu Græco, quoad panem fermentatum, & alias cæremonias?*

R. Possunt non tantum in casu necessitatis, sed etiam solius devotionis. Bened. XIV. *Const. Imposito nobis.*

Ritus quo ad panem azymum, & fermentatum est semper, & omnino servandus, quamvis alias populus deberet diu Sacrificio privari, vel infirmus decedere sine Viatico, quia utilitas privata non debet pervertere constitutiones Ecclesiæ. *Conc. Flor. Mastr. &c. apud Cleric. Dec. XI.*

§. XII.

De effectu Sacrificii Missæ.

Q. *Quotuplex est effectus Sacrificii Missæ?*

R. Triplex: *Meritorius*, quia per Missæ Sacrificium tam offerens, quam etiam ille, pro quo offertur, meretur augmentum gratiæ. *Impetratorius*, quia per Missam impe-

trantur bona, non solum spiritualia, sed etiam temporalia. *Satisfactorius*, quia per Sacrificium satisfacimus pro peccatis Deo. *Trid. Sess.* 22.

Q. *Quotuplex est fructus Sacrificii Missæ?*

R. Triplex. I. Fructus *Generalis*, qui prodest & applicatur toti Ecclesiæ, quem Ecclesia omnibus fidelibus secundum eorum dispositionem applicat. II. Fructus *Specialis*, qui applicatur illi, pro quo offertur Sacrificium Missæ. III. *Specialissimus*, qui cedit ipsi Sacerdoti offerenti, nec potest in eadem Missa pro distincto stipendio alteri applicari, constat ex damnata Prop. 8. inter proscriptas ab Alex. VII.

Q. *Fructus ille estne infinitus?*

R. Est ex parte rei oblatæ; finito tamen modo applicatur, ita ut si Missa offeratur pro pluribus, minus singulis prodest, quam si uni applicata fuisset, ut patet ex praxi Ecclesiæ, quæ jubet ad multiplicationem stipendii multiplicari Sacrificia.

Q. *An ejusdem sit efficacia, sive a bono, sive ab improbo Sacerdote Missa celebretur?*

R. Fructus proveniens *ex opere operato* nunquam minuitur, & dum applicatur, semper operatur, dummodo impedimentum nullum obstet.

Alius fructus, qui oritur ex universa Ecclesia offerente Sacerdotum suorum ministerio. Ecclesia vero est semper sancta, pulchra, sine ulla ruga, aut macula. Tandem est tertius fructus ex ipso celebrante proveniens, dicitur *ex opere operantis*, atque iste ex majori vel minori Sacerdotis sanctimonia minuitur, augeaturve. Bened. XIV. *l.* 2. *c.* 13. §. 10.

Q. *Pro quibus potest offerri Sacrificium?*

R. Pro fidelibus vivis atque defunctis, imo & pro infidelibus, peccatoribus, ut convertantur, pro hæreticis, non tamen vitandis. Sacrificium enim saltem ut est impetratorium prodest acatholicis.

§. XIII.

§. XIII.

De defectibus in Missa commissis.

Q. QUotuplices possunt contingere defectus in Missa?

R. Duplices: *Substantiales*, qui possunt committi circa essentiales partes, vel integrales notabiles Sacrificii, & tales debent omnino suppleri, alias nullum fieret Sacrificium, vel saltem imperfectum; & *accidentales*, qui sunt circa accidentales, & minus principales partes. Et tales non sunt supplendi, nisi pro tunc, quando suppleri possunt absque eo, quod invertatur ordo Missæ. Si enim esset ordo Missæ invertendus, major difformitas oriretur ex suppletione, quam ex ipso defectu.

Q. *Ex quibus defectibus potest oriri defectus substantialis?*

R. Præsertim ex materia, forma, & intentione Ministri.

Q. *Si defectus substantialis ante consecrationem advertatur, nec possit haberi materia apta?*

R. Debet relinqui Missa in quacumque parte reperiatur, ad evitandum sacrilegium per consecrationem materiæ ineptæ.

Q. *Quid agendum, si aliqua ex speciebus veneno infecta reperiretur?*

R. Si id contingat ante sumptionem, debet alia species consecrari. Si vero post sumptionem, poterit quodcumque remedium adhiberi etiam vomitus ex Com. DD. Si enim sacræ Species potuissent non sumi, si illarum infectio nota fuisset, poterunt etiam ejici tamquam malæ sumptæ.

Q. *Quale sit peccatum cœptam Missam non complere?*

R. Mortale, sive talis interruptio post, sive

ve ante Consecrationem fiat. *Communiter Doctores.*

Q. *An dentur aliqui casus, in quibus Missa inchoata relinqui possit?*

R. Dantur: si periculum mortis immineat, quia Sacerdos non solum se, sed etiam Eucharistiam temere exponeret periculo. Quod si periculum immineat post consecrationem unius speciei, si fieri potest, debet statim consecrari, & altera species, & utraque sumpta, potest statim abire Sacerdos omnibus omissis cæremoniis.

Si autem propter imminens periculum mortis id fieri peremptorie non possit, probabilius videtur juxta *Pasqual.* Eo casu posse abire Sacerdotem relicto Sacrificio imperfecto, quamvis enim præceptum sit Divinum complere Sacrificium, in tali tamen casu videtur non obligare.

Secundo. Potest etiam relinqui Missa, si interdictum supervenerit ante inchoatam consecrationem, secus si post consecrationem, quia sumptio, & consecratio sunt *Juris Divini*, quod plus ponderari deberet, quam *lex Ecclesiastica* de interdicto.

Tertio. Si tempore Missæ superveniat excommunicatus vitandus, & monitus non velit recedere ante consecrationem, debet relinqui Missa; si autem cœpta sit consecratio, debet continuari tantum ad sumptionem inclusive, & tunc statim recedere, & Missam in Sacristia continuare. Excommunicatus autem ille, si monitus non exeat de Ecclesia, novam incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Habetur in *Clem. de sent. Excom.*

Quarto. Si contingat Ecclesiam pollui nondum Canone incœpto, cessandum est a Sacrificio, secus vero si jam sit incœptus Canon.

Q. *Licetne Missam interrumpere?*

R. Sine causa non licet ob Sacrificii Majestatem.

Q. *Quæ ſunt cauſæ juſtæ interrumpendæ Miſſæ?*

R. 1. Propter infirmitatem celebrantis, v. g. propter alterationem ſtomachi. 2. Spiritualis neceſſitatis proximi, ſive ad remedium neceſſarium neceſſitate medii ſive per ſe, ſive per accidens pro moribundo, poteſt interrumpi Miſſa, v. g. ad abſolvendum, vel baptizandum moribundum, ſi deſit alius Sacerdos, qui juvet, quod etiam fieri poteſt poſt conſecrationem, agitur enim de ſalute proximi, ac de vitando damno irreparabili.

Ad dandum tamen Viaticum ſolum interruptio licita eſt ante conſecrationem. Similiter & ad Extremam Unctionem miniſtrandam, cum hæc Sacramenta non ſint neceſſaria neceſſitate medii, niſi moribundus eſſet intra Eccleſiam, tunc enim eſſet ſolum modica interruptio, cum in tali caſu non exuerentur ſacræ veſtes.

Q. *An poſſet interrumpi ob corporalem proximi neceſſitatem?*

R. Si illa ſit gravis, tunc ex charitate tenebitur ad ſubveniendum.

Nota. Quando Sacrificium interrumpitur poſt conſecrationem ex juſta cauſa, conſtituendus eſt aliquis ad cuſtodiam, vel ſi nullus adſit probatæ vitæ, reponendæ ſunt ſpecies in tabernaculum.

§. XIV.

De loco Sacrificii Miſſæ.

Q. QUis locus conveniens Sacrificio Miſſæ?

R. Jure ordinario eſt Eccleſia, vel alius locus conſecratus, aut ſaltem legitima authoritate benedictus, ad divinum cultum deputatus, ſub mortali. *Trid. Seſſ.* 22.

Q.

Q. *Possuntne plures Missæ celebrari in Oratoriis privilegiatis?*

R. Si in facultate data additur ly *ut una tantum celebretur*, non possunt sub mortali ob graves prohibitiones, *Trid. & Clem. XI.* Neque a peccato excusat, si altera Missa clausis januis celebretur, quia est prohibitio propter locum, non personas.

Q. *Quid est Oratorium publicum, & quid privatum?*

R. *Publicum* est illud, quod extra privatas domos Episcopi authoritate ad Divinum cultum est erectum. *Privatum*, quod in privatis domibus, aut intra domesticos parietes sine authoritate Episcopi est erectum.

Q. *In quibus Festis non licet celebrare in Oratoriis privatis?*

R. Ordinarie prohibetur Festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. M. Apostolorum Petri & Pauli, Sanctorum omnium, & aliis in Indulto expressis.

Q. *An omnes tres dies Nativitatis Paschatis & Pentecostes sunt excepti?*

R. Non, sed sola prima dies. *Quarti*.

Nota: Quod si tale Oratorium conceditur alicui personæ propter infirmitatem ejus, nulla dies excipi solet, quia alias ille infirmus in maximis solemnitatibus solatio spirituali privaretur.

§. XV.

De tempore Sacrificii.

Q. *Quod est tempus celebrandæ Missæ?*

R. Jure communi tempus est ab initio auroræ usque ad meridiem inclusive.

Q. *Quid intelligitur per auroram?*

R.

R. Primum diei crepusculum, quo primum apparet in Cælo vestigium adventantis diei, *juxta Gob.* Aurora non est accipienda *physice*, sed *moraliter*, & *politice*, pro illo tempore, quando solet terminari hominum quies, & inchoari labor, juxta locorum consuetudinem. S. R. C. 2. Nov. 1634. Ideoque septemtrionalibus non est faciendus scrupulus, licet in hyeme multo ante Auroram sacrificent.

Q. *An licet anticipare Missam ante præfinitum tempus?*

R. *Primo*. Licet v. g. in casu necessitatis, ut infirmo detur Viaticum. *Secundo*. Ubi est consuetudo ut opifices & famuli summo mane possint audire Missam. *Tertio*. Si iter immineat Sacerdoti, vel populo.

Necessitas vero expectandi cum Missa post meridiem potest esse v. g. prolongata devotio, eo quia Missa solemnis aut concio diu durat. *Quarto*. Ratio itineris. Nonnulli Religiosi habent privilegium, vigore cujus possunt celebrare ad horam tertiam post meridiem. *Janusz. lib.* 2.

Q. *An potest Sacerdos absolvere omnes tres Missas post mediam noctem in die Nativitatis Christi?*

R. Non; S. R. C. 20. April. 1664. Et 7. Dec. 1702. *Jussu Clem. XI.*

Q. *Quænam observari debent circa Missam in Festo Nativitatis Domini?*

R. *Primo*. Dum transit celebrans in prima vel secunda Missa post sumptionem Sacramenti non debet flectere, etiamsi species vini consecrati non sint exsiccatæ. *Decr. S. R. C.* 1698.

Secundo. Si non omnes tres Missas absolvit simul, debet post primam vel alteram Missam calix semper habere suppositum corporale.

Q.

Q. *In quem finem tres Missæ celebrantur in die Nativitatis Domini?*

R. Propter Mysterium trinæ Nativitatis Christi Domini, qui *primo* natus est ab æterno ex Patre. *Secundo*. In tempore ex B. M. V. *Tertio*. Per gratiam nascitur in nobis quotidie. Institutio hæc facta est a S. Thelesphoro Papa, A. 126.

Nota: Missæ nec ita breves esse debent, ut saltem horæ tertiam partem non attingant, neque ita longæ, ut horæ dimidium excedant, Bened. XIV. *de Sacrif. l. 3. c. 24. Instit. Ecc.* 34. §. 19.

§. XVI.

De ritu & Rubricis Missæ.

Q. QUid *nomine rituum intelligitur?*

R. Omnes circumstantiæ requisitæ ad Missæ celebrationem, & solemnitatem, sive sint verba, sive actiones, sive vestes, aut vasa.

Q. *Quotuplices sunt ritus.*

R. Alii sunt *Essentiales*, qui sunt de necessitate Sacrificii, & Sacramenti, uti consecratio, communio. Alii *Accidentales*, qui solum pertinent ad ornatum, & hi possunt esse de necessitate præcepti, non vero Sacrificii, consistunt vero in actionibus, precibus, inclinationibus, & aliis circumstantiis ab Ecclesia adjunctis, quæ dicuntur Sacramentalia, & cæremoniæ.

Q. *Quid est Rubricæ Missalis?*

R. Est Regula communis continens ritus in celebratione Missarum observandos, vocatur *Rubrica*, quia plerumque rubro colore scribi solet.

Q. *Quæ est causa formalis Rubricarum?*

R.

R. Eſt ſignificatio verborum certos ritus præſcribentium.

Q. *Quotuplex eſt hæc ſignificatio?*

R. Una *Literalis*, quam voces immediate ſignificant, alia *Myſtica*, quæ ſub rebus ſignificatis per verba quaſi ſub velamine, & figura concluſa eſt. Dicitur *Myſtica*, id eſt, arcana & recondita, vocatur etiam *ſpiritualis*; eo quod lateat ſub rebus quaſi ſpiritus ſub corpore.

Q. *Quotuplex eſt Myſtica ſignificatio?*

R. Triplex, prima *Tropologica*, ſeu moralis refertur ad informationem vitæ aut morum. 2. *Allegorica* exprimit aliquod Myſterium ſub figura vel metaphora rei ſignificatæ per verba. 3. *Anagogica* refertur ad ea, quæ ſunt æternæ felicitatis.

Pro majori intelligentia ſit exemplum: Sacerdos oſculatur Altare, hæc rubrica in ſenſu literali ſignificat actum oſculandi Altare, in quo fit Sacrificium: quod oſculum in ſenſu myſtico tropologico ſignificat conſenſum animorum inter fideles, in allegorico delectationem & gaudium futuræ gloriæ.

Q. *Quæ eſt cauſa efficiens rubricarum Miſſalis?*

R. Summus Pontifex, a quo tanquam ab habente poteſtatem in totam Eccleſiam talis debuit lex univerſalis fieri. Primus autem earum Author fuiſſe ſcribitur S. Petrus, S. Pius V. vel maxime ſolidavit edito Miſſali Romano, quo nunc utimur.

Poteſtas condendi rubricas, & ritus Miſſarum Epiſcopis limitata eſt ob confuſionem & diſſonantiam a S. Pio V. in Bulla initio Miſſalis appoſita.

Q. *Quæ eſt cauſa finalis rubricarum Miſſalis?*

R. Eſt Dei cultus, & utilitas ſpiritualis fide-

delium, ac uniformitas condecorans Christi Ecclesiam.

Q. *Cujus sunt juris hæ Rubricæ?*

R. Humani, ideo possunt mutari a Summo Pontifice, id tamen non fit, nisi causa utilitatis vel necessitatis.

Q. *Quomodo in particulari discernenda levitas, vel gravitas materiæ in Missa?*

R. Hæc generalis Regula datur a DD. quod illa sit materia gravis, quæ considerato fine præcepti multum conducit ad finem legis talis, proinde præcepti transgressio gravis esse debebit. Discernere autem hoc ipsum in particulari requirit judicium prudens.

Q. *An leves transgressiones rubricarum possunt fieri graves ex accidenti?*

R. Possunt *Primo*. Per intentionem finis graviter peccaminosi, ut si ex fine turpiter placendi audientibus Missam, vel inducendi novum ritum breve sacrum legatur. *Secundo*. Ratione contemptus. *Tertio*. Ratione scandali.

Q. *Qui sunt ritus majoris, & qui minoris momenti?*

R. *Majoris* sunt mixtio aquæ cum vino, elevatio utriusque speciei, fractio Hostiæ, mixtio particulæ cum vino, purificatio patenæ & calicis. *Minoris* sunt benedictiones, cruces, inclinationes, osculationes, genuflexiones &c. Unde omittendo ritus majoris momenti, peccabit mortaliter; minoris momenti, venialiter; nisi ex contemptu fiat.

Q. *Quale erit peccatum addere Missæ novas preces?*

R. Mortale, vel veniale, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ. Ex Bulla Pii V. *Neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ in hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumat.*

Q.

Q. *Sub quali peccato rubrica obligat ad colores vestimentorum?*

R. Ad summum sub veniali, hinc ex defectu potest Sacerdos uti stola alterius coloris ac manipulo, aut casula, nisi quis in Festo magnæ solemnitatis, v. g. Nativitatis Christi uteretur nigro.

Q. *Quotuplex est inclinatio?*

R. Triplex: *Profunda*, est capitis & humerorum profunda incurvatio. *Media*, est capitis & humerorum modica incurvatio. *Parva*, est solius capitis demissio, quibus etiam adjungitur genuflexio.

Q. *Quando in Missa debet fieri profunda inclinatio?*

R. Tunc dum celebrans accedit, vel recedit ab Altari, ubi non est Sanctissimum. Ad *Confiteor*, ad *Munda cor*: ad *Te igitur*, ad *Supplices*, & dum sumit sacram *Hostiam*.

Nota: Celebrans dum dicit: *munda cor meum &c.* debet dicere, *Jube Domine benedicere*, quia petit benedictionem a Deo, non ab homine.

Quotiescumque inclinatus dicit Orationem in medio Altaris junctis manibus debet illas ponere in Altari, excepto *ad munda cor*, & ad *Sanctus*, quas tunc inclinatus tenet in aere supra Altare. Dum autem extenduntur manus in Missa, non debent latitudinem corporis, neque altitudinem humerorum excedere.

Q. *Quando media?*

R. Ad *Deus tu conversus &c.* dum dicit *in spiritu humilitatis*, ad *Suscipe sancta Trinitas*, ad *Sanctus*, ad *Agnus*, & orationes sequentes, ad *Domine non sum dignus*.

Q. *Quando parva?*

R. Ad invocationem nominis *Jesu*, & *Mariæ*, aut *Sancti* in Canone, de quo celebratur Missa, vel fit Commemoratio ad *placeat tibi*,

&

& quoties abit, vel redit ad medium Altaris a Missali.

Nota primo. Ad illa verba in fine Missæ: *Et Verbum Caro factum est*, genu flectendum est ad cornu Evangelii, etiamsi sit expositum Sanctissimum, nam tunc solum facies celebrantis debet converti aliquantulum ad Sanctissimum. *Gav. Mera. Tit.* 14.

Nota secundo. In recessu, vel accessu ad medium Altaris exposito Sanctissimo, quoties genu flectetur, non est jam facienda inclinatio nova Cruci, quia illa hanc excludit.

Nota tertio. Quod si incensatio fiat ad Altare, ubi Sanctissimum est inclusum in tabernaculo, non cruci debet fieri inclinatio, sed Sanctissimo genuflexio ante & post incensationem, in quo casu, etsi celebrans adorat SS. Sacramentum, non tamen illud thurificat, sed crucem. Quoties autem ibidem in thurificatione transit per medium Altaris, debet facere genuflexionem, tangens manu Altare, ut citius surgat. *Merati* T. 1. *p.* 2. *Tit.* 4. *n.* 28. 29.

Nota quarto. Quoties celebrans benedicit aliquid, nunquam in aere debet tenere sinistram, sed si se ipsum, vel populum signat, sinistram ponat super pectus suum. Si librum ad Evangelium, in missali; si vero calicem, aut oblata, in Altari illam ponat.

§. XVII.

De modo celebrandi Missam.

Q. QUotuplici voce Missa recitari debet?

R. Triplici. Alta, media, & submissa, seu secreta.

Alta voce dicuntur illa omnia, quæ cantari solent a celebrante.

Media, id est, nec omnino alta, nec submis-

missa dicuntur omnia a principio Missæ, usque ad Canonem. Et in Canone eadem voce dici debent illa verba: *Nobis quoque peccatoribus*, & hæc quatuor verba: *Domine non sum dignus*, ut excitetur populus ad devotionem.

Submissa voce seu secreta totus Canon dici debet. *Merati*.

Q. *Qualis devotio requiritur in celebrando Missæ Sacrificium?*

R. Major quam in officio Divino cum sit opus longe præstantius. Hinc graviter peccat, qui prætereuntes a latere consulto aspicit, vel dum se convertit ad populum, quia talis curiosus aspectus maxime distractionis fieri solet occasio, ratione cujus sibimet ipsi periculum erroris, vel inutilis cogitationis parit.

Q. *Licitumne est celebranti sub cantu longiori:* Gloria *&* Credo *in solemni Missa particulares orationes recitare?*

R. Affirm. melius est protunc orare, quam otiosis cogitationibus vagari. *Gob. n.* 763.

Q. *Quomodo peccat Sacerdos distractus in celebratione Missæ?*

R. Si sit distractus extra Canonem, venialiter; si tempore Canonis, mortaliter. *Tamb. Gob.* saltem ob periculum erroris. Quod si autem nullum adsit periculum, venialiter. *Quarti*.

Q. *An omnia quæ dicuntur & fiunt in Missa sint necessaria ad Sacrificium?*

R. Non; quia aliqua spectant ad Sacrificii substantiam, alia ad ornatum, alia ad decentiam.

Nota: Ablutio digitorum in Missa post Communionem debet fieri in vino & aqua. *Gav. Merat.*

§. XVIII.

§. XVIII.

De Stipendio.

Q. QUid *stipendii nomine intelligitur?*

R. Eleemosyna, quæ datur pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ. Sacerdotes enim non recipiunt stipendium, ut pretium applicationis Missæ, quia sic esset simonia, sed illud recipiunt titulo substentationis.

Q. *Quot modis potest obligari ad Sacrificium pro aliquo offerendum?*

R. Ex obedientia, charitate, voto, promissione simplici, aut ex justitia, & pacto.

Q. *An Sacerdos retenta parte stipendii Missam alteri celebrandam potest committere?*

R. Non; etiamsi pars illa alteri Sacerdoti pro Missa tradita contineat consuetam eleemosynam. Secus qui fecerit, si laicus fuerit, incidit ipso facto in excommunicationem Pontifici reservatam; si Clericus, vel Sacerdos, in suspensionem itidem reservatam, a quibus censuris nonnisi a Rom. Pontifice pro tempore existente absolvi poterit. Const. Bened. XIV. *Quanta cura*, An. 1741. 30. Jan. T. 1. n. 22. Et *Instit. Eccl.* 5. 6. §. 4.

Id valet, etiamsi id sine fraude fiat, hoc est, etsi sciat & consentiat Sacerdos minus stipendium accepturus. Hæc enim est mercatura pessima, in quam justo zelo insurgit Pontifex.

Q. *An Beneficiatus, qui in casu alicujus necessitatis committit alteri celebrandam Missam, tenetur huic dare stipendium ad rationem Beneficii, id est suæ perceptæ?*

R. Satis est si stipendium dat congruum secundum morem regionis, si aliud in fundatione cautum non fuerit. *De Lugo*, *Tamb.*

Q. *An Sacerdos, qui hodie a nemine stipendium accepit, Missam, quam hodie est celebraturus possit applicare illi, qui primus illi stipendium obtulerit?*

R. Neg. Contraria est damnata.

Nec potest plura stipendia pro uno eodemque sacro accipere ob Decr. Urb. VIII. editum. Duo autem, aut plura stipendia accipere pro Missa cantata, non est duo, sed unum accipere justum pro tali Missa ratione majoris laboris.

Q. *Quamdiu obligationes differri possunt?*

R. Ordinarie peccant mortaliter colligentes Missarum copiam, quas nisi post longum tempus absolvere possunt. Longum illud tempus communiter censentur duo menses.

§. XIX.

De Votivis.

Q. QUid *est Missa votiva?*

R. Quæ ex voto, seu arbitrio Sacerdotis legitur præter directionem Rubricæ, & discrepanter ab Officio Divino.

Q. *Quotuplices sunt Votivæ?*

R. Tripliciter: *Primi generis* sunt illæ, quæ dicuntur de aliquo Sancto, vel solemnitate, de qua juxta Rubricas per anni circulum celebratur dies Festus.

Secundi generis sunt illæ, quæ habentur in Missali Rom. post Commune Sanctorum scilicet de SS. Trinitate, Angelis, &c.

Tertii generis sunt illæ, quæ habentur in fine Missalis Romani.

Q. *Quibus diebus absolvi possunt Votivæ?*

R. Illis diebus, in quibus non occurrit aliquod Festum duplex.

Ad legendam Votivam diebus permissis a Rubrica, sufficit quicumque finis honestus, uti devo-

devotio celebrantis, voluntas Fundatorum, quod præcipue intelligitur de Missis *de Requiem*, de aliis legatur Rubrica Missalis ante Votivam SS. Trinitatis.

Q. *Quando non licet celebrare Missas Votivas?*

R. *Primo*. In Festo duplici, diebus Dominicis, & Feriis, quæ excludunt Festa primæ Classis, v. g. die Cinerum. *Secundo*. In vigilia Epiphaniæ, Pentecostes, Corporis Christi, Nativitatis Domini. *Tertio*. Infra octavas Epiphaniæ, Pentecostes, Corporis Christi, Nativit. Domini, Paschatis, & Hebdomadæ S.

Q. *An Votiva solemnis celebrari potest in duplicibus, & Festis de præcepto?*

R. Potest ex rationabili causa, quia Rubricæ prohibentes his diebus Votivam non loquuntur de solemnibus, sed de privatis Votivis Missis.

Imo & in Festis primæ Classis potest cantari Votiva pro re aliqua gravi, v. g. pro causa publica, pro Principe terræ, pro Antistite, & pro publica victoria, & similibus, quæ bonum alicujus communitatis concernunt.

Q. *In quo colore celebrandæ sunt Votivæ?*

R. Si sint Votivæ primi generis, color adhibendus est, sicut in Festo eorumdem Sanctorum. De reliquis videtur Rubrica Missalis n. XVIII.

Q. *In Missis Votivis debetne dici* Gloria *&* Credo?

R. Si sint solemnes, debet. S.R.C. 13. Aug. 1667. Nisi sint in colore violaceo, tunc enim utrumque omitti debet. S. R. C. 19. Mart. 1607.

In omnibus Votivis privatis debet omitti *Gloria* & *Credo*, nisi sint de Angelis, aut de S. Michaele, Gabriele; tunc enim dicendum est *Gloria in excelsis* sine *Credo*.

In Votivis de B. V. M. ſolum tunc dicitur *Gloria*, ſi fiant in die Sabbathi, alias non. *Credo* autem nunquam dicitur, etiamſi in Miſſa de Feſto occurrente illo die deberet cantari *Credo*. S. R. C. 29. Jan. 1609.

Q. *Quot orationes dicendæ ſunt in Votivis?*

R. Poſſunt protrahi ad ſeptem, non omnino tamen debent eſſe impares. S. R. C. 2. Dec. 1689.

Si tamen Votivæ ſint ſolemnes pro gravi cauſa Eccleſiæ celebratæ, unica oratio tunc dicenda eſt, excepta Votiva de SS. Trinitate pro gratiarum actione, in qua duæ orationes ſub unica concluſione cantari debent. *Merati de Votiv.* §. 8.

In privatis Votivis ſecunda oratio dici debet de illo, de quo fit officium; tertia vero illa dicenda eſt, quæ in Miſſa correſpondente officio ſecundo loco diceretur, puta ſimplicis, vel de Beata, aut pro Eccleſia, vel Papa.

In Votivis de Beata, ſecunda oratio de officio, tertia de Spiritu S. quæ omittitur, ſi adeſt Commemoratio ſimplicis, vel de die infra Octavam.

Q. *Qualis Præfatio dicenda eſt in Votivis?*

R. In illis Votivis, quæ propriam non habent, dicenda eſt communis, vel de tempore, v. g. Quadrageſimæ, vel Paſſionis, Paſchalis, vel ſi celebrabitur infra aliquam octavam habentem propriam Præfationem, dicitur de illa. S. R. C. 15. Septemb. 1714.

Quæ vero habent propriam Præfationem ut Trinitatis, dicenda eſt hæc, & non Octava, etiamſi ſit pro re gravi infra Octavam Nativitatis Domini, aut Aſcenſionis, in quo caſu dici debet Præfatio propria ipſius Votivæ. Communicantes vero de Octava. S. R. C. 16. Jun. 1683.

In fine Miſſæ Votivæ ſemper dici debet *Benedi-*

nedicamus Domino (quod ſemper dicitur facie verſus ad Altare) niſi dictum ſit *Gloria in excelſis Deo*, tunc enim dici debet, *Ite Miſſa eſt*.

In omnibus Votivis tam ſolemnibus quam privatis dici debet in fine Evangelium S. Joannis, *In principio*. Dum præter Miſſam conventualem cantatur Miſſa ex fundatione Votiva, in illa non debet fieri Commemoratio Feſti. S. R. C. A. 1736. 23. Jan.

§. XX.

De Gloria, & Credo.

Q. QUando dici debet in Miſſa, Gloria in excelſis?

R. Tunc dum in Matutino dicitur *Te Deum laudamus*, exceptis Feria 2. & 3. Rogationum, & Feria 5. in Cœna Domini, & Sabbatho Sancto, in quibus canitur *Gloria*, etiamſi prædictus Hymnus in Matutino non recitetur.

Item non dicitur in Miſſis, quæ non concordant cum Officio diei, uti in Vigiliis, Votivis, de Requiem.

Q. *Quando Credo* dicitur?

R. In omni Dominica qualecumque ſit Officium, aut Feſtum in illa, aut Miſſa, dummodo non ſit *de Requiem*.

Dicitur in Feſtis omnium Doctorum Eccleſiæ, in quorum Veſperis dicitur: *O Doctor optime*, Merati *p.* 1. *T.* 11. n. 7.

In Miſſis de *Beatis*, item in Feſtis SS. *Martyrum*, *Confeſſorum*, *Virginum*, quæ celebrantur ſub ritu duplici ordinarie non dicitur *Credo*. S. R. C. 10. Jun. 1700.

Octavæ totæ habent *Credo*, ſi earum Feſta illud habent.

§. XXI.

De Missis de Requiem.

Q. *QUando non licet privatas de Requiem celebrare?*

R. In illis diebus, in quibus non possunt celebrari Votivæ.

Q. *Quid est Altare privilegiatum?*

R. Est illud, in quo a Summo Pontifice concessa est indulgentia plenaria pro defunctis, quam potest concedere Pontifex animabus Purgatorii, non eas quidem directe, & immediate liberando per modum absolutionis, & judicii, ut facit pro vivis, cum non sint illi subjectæ, sed per modum suffragii, seu cujusdam auxilii, offerendo Deo de thesauro Ecclesiæ satisfactiones per modum pretii condigni pro earum liberatione.

Q. *Indulgentia Altari privilegiato concessa; v. g. ad Septennium quando incipit?*

R. Probabilius quod a die electo pro celebratione Missæ, & non a concessionis, quia septennium debet esse utile. *Gob.* & Comm. DD.

Durante expositione SS. Sacramenti non licet celebrari Missas tam privatas quam solemnes de Requiem, etiamsi sit Festum semiduplex. S. R. C. 19. Sept. A. 1654.

Sacerdotes habentes Festum semiduplex, vel simplex, si celebrent in aliqua Ecclesia, in qua fiat de duplici, non possunt dicere Missam de Requiem. S. R. C. 2. Jun. 1701.

Sacerdos tam sæcularis, quam regularis habens Officium dupl. quin & 1. vel 2. classis celebrans in aliena Ecclesia ex obligatione in sepultura solemni, vel exequiis solemnibus, debet se conformare illi Ecclesiæ celebrando Missam

ſam de Requiem. S. R. C. 29. Jun. 1752. apud Ferrar. T. ult.

Miſſæ ſolemnes & cantatæ pro Defunctis, qua die a teſtatore præſcriptæ ſunt, ſi illa ſit vera annua illius obitus, celebrari poſſunt, etiamſi Officium ſit de duplici majori vel minori. Bened. XIV. *de Sacrif. lib. 3. cap. 23. §. 5.* dummodo Feſtum non ſit de præcepto, ſeu ad populum.

Dies 3. 7. & 30, quæ habent Miſſam cum Oratione propria in Miſſali, nulla habent privilegia ſupra reliquas privatas. *Idem ibid.*

Poteſt Miſſa ſolemnis de Requiem cantari etiam in dupl. cum primo habetur certa notitia de alicujus obitu. S. R. C. 4. Maji 1686. In quo caſu Miſſa dicenda eſt, ut in die obitus. *Merati, Gav.*

Anniverſaria vera, & aliæ Miſſæ cantatæ de Requiem relictæ ex diſpoſitione teſtatorum poſſunt celebrari etiam in dupl. majori ex Decr. S. R. C. 22. Nov. 1664. approbante Alex. VII. non tamen privatæ.

Q. *Si autem Anniverſarium incidat in Dominicam?*

R. Debet tunc anticipari, aut transferri in diem proxime ſequentem. *Gav. Merat. Tit. 5.* In quo caſu illa verba in oratione: *cujus Anniverſarium depoſitionis diem commemoramus*, non ſunt omittenda. S. R. C. 4. Maji 1688.

Q. *In Commemoratione Omnium Fidelium, cui Miſſam applicare debet Sacerdos?*

R. Cui placet, ſive pro uno, ſive pro omnibus Defunctis. S. R. C. 4. Auguſti 1663. Si moriatur hac die aliquis, Miſſa ut in die obitus pro illo dici poteſt.

Miſſæ in Altari privilegiato celebrandæ pro Defunctis ſemper debent eſſe *de Requiem*, niſi Feſtum dupl. vel dies Dominica occurrerit; tunc enim acquiritur indulgentia, etiamſi Miſ-

ſæ de Feſto agantur. Si igitur teſtator juſſerit celebrari ſibi Miſſas in certis hebdomadæ diebus ad Altare privilegiatum, & in dies iſtos incidat aliquod Feſtum dupl. Satisfit teſtatori cum Miſſa de Feſto. Idem dicendum de diebus, in quibus duplex quidem non currit, ſed Miſſæ pro Defunctis vetantur. Hæc omnia ex variis Decr. Pontif. collegit Bened. XIV. de Sacrif. *l.* 3. *c.* 23. §. 8.

§. XXII.

De reductione Miſſarum.

Q. QUæ *ſunt ſcienda circa hanc materiam?* R. Certum eſt inter DD. quod quando fundus, ſive Capitale, ſive aliud quodcumque pro celebratione Miſsarum legatum datum ſine culpa Sacerdotis, vel alicujus communitatis, ſeu Monaſterii abſolute deperit, obligari non tenentur ad Miſſas celebrandas, quia beneficium datur propter Officium; ceſſante autem &c. Additur, *ſine culpa*, nam ea poſita, remanet obligatio ad celebrandas tales Miſſas, quia gravis injuſtitia foret fundatori,

Si vero prædicti fructus uſu temporis etiam ſine culpa obligatorum valde ſint diminuti, nec eſt ſpes reſtaurationis in totum, nec modus, non propterea licitum eſt obligatis propria authoritate numerum Sacrorum diminuere, ſed recurrendum pro reductione ad Epiſcopum, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum. Benedict. XIV. *De Synod. Diœceſ.* §. 35.

§. XXIII.

De Extrema Unctione.

Q. *QUid est Extrema Unctio?*

R. Est Sacramentum, in quo Presbyter ungit Oleo infirmorum consecrato certas corporis partes hominis infirmi, certa verba cum intentione proferendo.

Dicitur *Extrema*, quia datur post alias unctiones, quæ fiunt in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, vel quia datur in extremis.

Q. *Quis hoc Sacramentum instituit?*

R. Christus Dominus, quod per S. Jacobum Apost. promulgatum est.

Q. *Quæ est materia, & quæ forma?*

R. Materia *Remota* oleum olivarum ab Episcopo in die Cœnæ Domini solemniter consecratum. *Proxima* est ipsa Unctio. Forma, verba hæc: *Per istam sanctam Unctionem &c.*

Q. *Quis est Minister hujus Sacramenti?*

R. Solus Presbyter (qui saltem per contritionem debet esse in statu gratiæ) nec quidem ex dispositione Papæ (quod probat saltem praxis Ecclesiæ, quæ nunquam dispensat) ab alio ministrari potest. Potest hoc Sacramentum Parochus administrare, etiamsi esset excommunicatus, vel suspensus, si alius non esset Sacerdos. *Fil. Syl.*

Q. *An Religiosi possunt licite administrare hoc Sacramentum?*

R. Nisi cum licentia Parochi, vel intra Septa Claustralia manentibus, secus facientes incurrerent excommun. Papæ reservatam.

Q. *Quibus dari debet hoc Sacramentum?*

R. Adultis morti propinqui ex morbo, vulnere, partu, vel senectute; reo, qui sumpto veneno expectat mortem. Dari potest rotæ af-

fixo, si petat; non vero suspendendo, vel decapitando.

Q. *Quæ dispositio requiritur ad hoc Sacramentum cum fructu recipiendum?*

R. Ex parte *Animæ*, ut sit Baptizatus, non excommunicatus, ut expresse, vel tacite infirmus petat, & intendat illud suscipere, & peccati obicem per pœnitentiam abstulerit.

Ex parte *Corporis*, ut sit in probabili mortis periculo constitutus; ordinarie in eadem infirmitate reiterari non debet. Si autem infirmitas longa sit, & mutet statum, propter novum periculum potest reiterari.

Q. *Quis effectus hujus Sacramenti?*

R. *Primarius* est augmentum gratiæ sublativæ venialium, atque corroborativæ animæ contra tentationes dæmonum, in ultima lucta, & sic est salus spiritualis. *Secundarius* est salus corporis, seu morbi alleviatio.

Q. *In dubio an vivat ægrotus quomodo administrari debeat?*

R. Sub conditione, *Si vivis, per istam sanctam Unctionem &c. Sa. Lay.*

Q. *An Confessio, & Communio præmitti debeat?*

R. Per se loquendo Confessio non necessario præmittitur, cum ungendus disponi possit per contritionem. Per accidens tamen prærequiri potest, v. g. si post Viaticum peccasset mortaliter, & timeretur post unctionem non futurum tempus Confessioni.

Q. *Hoc Sacramentum potestne omitti absque peccato?*

R. Si omittatur ex negligentia veniale est; si vero ex contemptu, mortale.

Q. *An si æger sensu aliquo careat, debeat pars proxima inungi?*

R. Cum Comm. Doct. Affirm.

Q. *An secluso periculo animæ proximi teneatur*

tur Parochus miniſtrare Extremam Unctionem cum periculo propriæ vitæ, v. g. tempore peſtis?

R. Affirmant *Syl. Nug.* ſed plures alii negant. *Maj. &c.*

Et hanc ſententiam utpote communiorem poteſt Parochus ſequi, excepto caſu, quo infirmus abſque ullo alio Sacramento moreretur. Poteſt tunc virgæ argenteæ, ſeu alterius uſus inſervire ad ungendum infirmum e loco remotiori. *Lay. &c.*

Q. *An ſi Parochus Oleum benedictum non habeat, poſſit non benedictum adhibere?*

R. Cum Commun. DD. neg. contrariam vocat *Sua.* temerariam, ideo id tute ſuaderi non poteſt; miſcere tamen poteſt in defectu aliquantulum olei non benedicti v. g. tertiam partem cum duabus benedicti, ſimiliter faciendum in defectu aquæ benedictæ, in quo debent præmoneri rudiores, qui ſimplicem pro benedicta ſubſtituunt, præcipue in benedictionibus Paſchæ.

Q. *An Sacerdos infirmus poſſit ſibi ipſi adminiſtrare Extremam Unctionem.*

R. Non, quia Miniſter hujus Sacramenti debet eſſe perſona diſtincta, ſicut ad Baptiſmum.

Q. *An Parochus, ſi Oleum Sanctum domum deferat, credens ſe noctu ad ægrum vocandum, peccet mortaliter?*

R. Negat *Dia. &c.* Imo poteſt per diem & noctem retineri ſine omni peccato, quod intelligendum eſt ſi alias foret periculum, ne forte ſerio veniret.

Nota: Sacerdos ægrotus inungi debet ut alii infirmi, excepto quod non palma ungi debeat, cum jam ſit in ſuſceptione Sacerdotii uncta, ſed pars ſuperior manus ungenda eſt.

Q. *An peccat, qui omittit recitationem Litaniarum, & Pſalmorum?*

R. Non; quia prædictæ preces sunt tantum Consilii,

Laudabile erit, si dum hoc Sacramentum administratur, plures assistant Sacerdotes, vel saltem probi viri, ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Bened. XIV. *de Syn. Diœc. l. 7. c.* 19. §. 1.

Q. *Quidam infirmum unxit per errorem non Oleo Sancto, sed Chrismate, num cognito errore repetenda est unctio?*

R. Cum *Laym.* nihil esse repetendum, sed rem Deo esse committendam, tum quia sine scandalo reiterari non potest. Tum quia *Lug. Lean. Ami.* docet, quod sit probabile hoc Sacramentum valide conferri in materia sacræ Chrismatis.

Amicus addit in cursu Theol. T. 8. *Disp.* 19. *Sect.* 3. quod in casu, in quo non possit haberi S. Oleum, posset uti Chrismate.

CAPUT UNDECIMUM.

De Sacramento Matrimonii.

§. I.

De Sponsalibus.

Q. QUid *sunt Sponsalia?*

R. Promissio vera voluntaria, deliberata, ac mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas jure, & natura habiles.

Q. *Quæ requiruntur ad valorem sponsalium?*

R. 1. Ut sit promissio vera, & non ficta. 2. Ut sit voluntaria. 3. Ut sit mutua, & acceptata. 4. Ut sit verbis, aut nutibus, seu signo aliquo externo expressa. 5. Requiritur tam in masculo, quam in fœmina annus septimus com-

completus, nisi prudentia præveniat ætatem, quia tunc potest haberi rationalis consensus, ut patet ex *Cap. Juvenis*.

Q. *Quare sponsalia præmittuntur Matrimonio?*

R. Quia ardua res est Matrimonii, utpote in quo vir & mulier ita colligantur, ut nulla de causa, nec per ullam dispensationem eorumdem vinculum post consummationem solvi, & priore vivente uxore, alia nulla superinduci possit. Recte ergo sponsalia illi ut dispositio præmittuntur, tum ut matura deliberatione contrahatur, tum ut impedimenta, si quæ subsint, in apertum proferantur.

Q. *An sponsalia omnino præcedere debent Matrimonium?*

R. Licet ordinarie præcedant, non sunt tamen de necessitate Matrimonii.

Q. *Sponsaliorum contractorum quis est effectus?*

R. I. Obligantur sub mortali contrahere secum Matrimonium. Nolens potest cogi ab Episcopo censuris, dummodo hac ratione spontaneus contractus speretur; sin minus, satius est minus malum violatæ promissionis permittere, ut majus malum contracti Matrimonii vitetur. Tenetur autem resiliens ad damni reparationem, quod ex fidei violatione alteri est illatum.

II. Contrahitur impedimentum publicæ honestatis, de quo vid. inferius §. 6. Tit. *Honestas*.

III. Contrahitur inhabilitas ad contrahendum alia sponsalia. Siquidem illa secunda sponsalia, idest cum alia fœmina, & si essent jurata, imo etsi copula accesserit cum ista secunda, quoniam contra fidem priorum sponsaliorum sunt inita, invalida sunt. Comm. DD.

Q. *Anna sponsa sciens se defloratam, nihilominus*

minus tanquam virginem adhuc se præsentat; ubique locum virginum occupat, in ornatu capitis more virginum incedit, tandem tamquam virgo nubit, num peccat mortaliter?

R. *Dic. Per. &c.* negant. Si vir non putetur defectum illum deprehensurus, aut deprehensum ægre sensurus. Cum nimis durum, & intolerabile onus foret fœminis, vel detegere virginitatis suæ jacturam; vel innuptas perpetuo manere, non videntur ulla lege ad eam manifestationem obligari; siquidem nec vir solet, aut debet suos proprios defectus propalare, & par utriusque merito censetur conditio.

Eo casu non fingeret se virginem, sed solum tegeret suum defectum. *Burg. Cent.* 2.

Q. *Sponsis an licent tactus impudici?*

R. Non, cum proxime disponant ad copulam, & pollutionem; etsi liceant oscula & amplexus in signum amoris. *San. &c.*

Q. *Ob quas causas dissolvi possunt sponsalia?*

R. 1. Cum unus illorum ingreditur Religionem, alter manet liber, nec tenetur expectare professionem. An vero non admissus ad professionem, & rediens ad sæculum, liber sit obligatione sponsalium. Alii negant, alii probabilius affirmant. *Villa.* Cognoscens autem sponsus sponsam sub spe Matrimonii non potest ingredi Religionem.

2. Sponsalia etsi jurata solvuntur per votum simplex castitatis factum tam ante, quam post ipsa sponsalia, quia in sponsalibus subintelligitur ista tacita conditio, nisi perfectior vitæ status eligatur. Idem dic de voto Ordinis. Comm. DD.

3. Dissolvuntur per susceptionem sacri Ordinis, quia per susceptionem Ordinis censetur eligi perfectior status.

4. Si in contractu sponsaliorum tempus determi-

terminetur, eoque completo unus illorum non velit contrahere, alter manet liber.

5. Sponſalia etſi jurata ſint per diſceſſum alterius ſponſi in terras longinquas abſque licentia alterius, diſſolvi poſſunt.

6. Irritantur per ſubſequens Matrimonium valide, licet injuſte celebratum cum alia perſona.

7. Diſſolvuntur etiam per interveniens impedimentum dirimens Matrimonium, v. g. *Affinitatem*. Item per alterius ſponſi fornicationem, quamvis fœmina ſit vi oppreſſa.

8. Solvuntur ſi notabilis mutatio accedat, ſeu aliquid ſuperveniat, quod ſi a principio extitiſſet, merito a ſponſaliis abſtinuiſſet, v. g. ſi unus illorum haberet lepram, vel morbum gallicum &c.

9. Poſſunt diſſolvi mutuo conſenſu, & mutua remiſſione ipſorum ſponſorum, etiamſi fuerunt jurata.

10. Si non adimplentur conditiones, ſub quibus celebratæ fuerant.

Nota: Si cauſa ſolvendi Matrimonii moraliter eſt certa, nulla judicis Eccleſiaſtici authoritate opus ad ſolvenda ſponſalia, niſi ratione vitandi ſcandali.

§. II.

De Bannis, ſeu denuntiationibus.

Q. QUid ſunt banna, ſeu denuntiatio?

R. Eſt publica proclamatio in facie Eccleſiæ de Matrimonio, duorum inter ſe contrahendo facta ad eum finem, ut ſi aliquod impedimentum ſubſit, a fidelibus detegatur.

Q. *In quo loco fieri debeant?*

R. Ordinarie in Eccleſia; poſſe autem fieri etiam v. g. in Cœmeterio affirmat *Pon. Lay.*

cum

cum etiam in tali casu concursus populi haberi possit. *Tan. d.* 8. *n.* 126.

Q. *Quandonam debent fieri?*

R. Tribus diebus festivis continuis, per quos intelliguntur dies, quibus convenire solet in Ecclesiam multitudo populi. Continui autem dies sunt, inter quos non interponuntur multi dies festivi.

Q. *An possunt fieri tribus diebus festivis continuis, idest immediate succedentibus?*

R. Affirm. *Kug. Tamb. Dicast.* Nisi speciale sit alicujus loci præceptum, & nisi suspicio sit de aliquo impedimento. Si necessitas foret aliqua, & adesset concursus populi, possunt etiam esse die feriali. Affirm. *Laym.*

Q. *An Parochus omittens proclamationem incurrit suspensionem?*

R. Hanc pœnam non ipso facto incurreret, nisi per sententiam Judicis; peccaret tamen mortaliter, quia Matrimonium secundum quid esset clandestinum, esset tamen validum. *Engel.*

Q. *Si contracturi sunt diversæ Parochiæ, an in utraque debent fieri banna?*

R. Affirm. nisi consuetudo aliqua obtineat, ut in ejus solum Parochia fiant, ubi nuptiæ sunt celebrandæ.

Q. *Quis potest dispensare in bannis, ne absolute fiant, vel una tantum?*

R. Episcopus, vel ex ejus delegatione alius Superior. Sine gravi causa non debet dispensare, monet Bened. XIV. Constit. *Satis vobis. Bull. T.* 1. *n.* 55. Peccant illi, qui sine ulla necessitate procurant dispensationem. *Ibidem idem.*

Q. *An Parochus propria authoritate dispensare posset in bannis?*

R. Non, nisi urgeat necessitas instantis mortis pro accipienda in conjugem concubina

ad satisfaciendum famæ, aut filios legitimos relinquendum. *Comm. DD.*

Q. *An si post factas bannas longo tempore, v. g. intra duos, vel tres menses non contractum est Matrimonium, iterum præmitti debeant Matrimonio?*

R. Affirmat. eo quod intra tale tempus facile iterum novum impedimentum oriri queat.

§. III.

De Matrimonio quoad substantiam.

Q. QUid est Matrimonium?

R. Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir & mulier sibi mutuo legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ.

Q. *Quotuplex est?*

R. Triplex: *Legitimum*, quod est contractus legibus conformis, non tamen Sacramentalis, uti est inter Judæos. *Ratum*, est contractus fidelium Sacramentalis ab Ecclesia approbatus, non tamen adhuc copula carnali completus. Et *Consummatum*, quod est contractus Sacramentalis fidelium copula carnali completus.

Q. *Quoluplex est adhuc?*

R. Duplex: *Solemne*, quod fit cum assistentia Parochi, & duorum testium saltem; Et *Clandestinum*, quod fit sine dictis solemnitatibus, & ibi solum valet, ubi Trident. non est promulgatum.

Q. *Quotuplices sunt solemnitates Matrimonii?*

R. Duplices: *Substantiales*, sine quibus invalidum redditur Matrimonium. Talis e jure *Trid.* est præsentia Parochi & duorum testium omnino. Aliæ *accidentales*, sine quibus validum,

dum, sed illicitum est Matrimonium; tales sunt bannæ, benedictio &c.

Q. *Quæ est materia, & quæ forma?*

R. *Remota* materia sunt corpora contrahentium, ut actu tradita, vel tradenda. *Proxima* vero est corporum mutua traditio. *Forma* sunt verba, vel nutus contrahentium mutuum consensum exprimentes.

Q. *Quis est Minister?*

R. Ipsi contrahentes faciunt unum Ministrum totalem. Parochus enim est tantum assistens. Qui cum dicit: *Ego vos conjungo*: sensus est juxta *Scot.* hic: Ego vestram conjunctionem approbo.

Q. *Ad quid est institutum Matrimonium?*

R. Propter educandam prolem, & mutuum obsequium viri & mulieris, ac remedium concupiscentiæ.

Q. *Qui sunt effectus Matrimonii?*

R. Præter gratiam habitualem & sacramentalem sunt alia dona gratiæ ad perficiendum amorem conjugalem, & indissolubilem unitatem inter conjuges, ad frænandam indecentem concupiscentiam, & ad rectam prolis educationem.

Q. *Quo in loco celebrari debet Matrimonium?*

R. Ordinarie in loco sacro, ex causa tamen potest etiam in loco non sacro, v. g. si maliziose impediendum esset Matrimonium. Vel cum sine periculo non est accessus ad Ecclesiam. In Ecclesia tamen debet fieri benedictio. *March.*

Sciendum I. Debitum conjugale *reddere quidem licet, sed petere non licet illi, qui* Matrimonio contracto sciens, & voluntarie consanguineam v. g. uxoris in primo, vel secundo gradu cognovit, nisi dispensatione obtenta ad effectum petendi debitum. Idem dicendum

si v. g.

ſi v. g. uxor peccaret cum conſanguineo ſui viri in dictis gradibus.

Nec *illi*, *qui* bona fide contraxit Matrimonium, ſed poſtea prudenter dubitat de valore ejus.

Nec *illi*, *qui* Matrimonium contraxit poſt emiſſum votum ſimplex perpetuæ caſtitatis, niſi diſpenſationem obtineat.

Sciendum II. Debitum conjugale nec petere, nec reddere licitum eſt, ſi uterque conjux ſciat Matrimonium eſſe nullum. Item ſi uterque conjugum communi conſenſu continentiam voverit, & in eo etiam juri petendi renuntiaverit.

§. IV.

De Cœlibatu.

Q. *Verumne id eſt, quod Eccleſia Catholica reprobet Matrimonium?*

R. 1. Falſum eſt, quinimo adeo æſtimat, ut Sacramentum eſſe profiteamur.

R. 2. Eccleſia Catholica reprobat Matrimonium *Sacrilegum invalidum*, Divinæque legi e diametro *oppoſitum*, dum quis contra votum caſtitatis, & juramentum Deo voluntarie factum, uxorem ducit; dicit enim Script. Pſal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo. &c.*

Q. *Quæ lex obligat, ut qui perpetuam Deo voverunt caſtitatem a Matrimonio abſtineant?*

R. Lex Dei, & naturæ rationalis, hæc enim præcipit ſicut in omni alia materia, ſic & in præſenti: *Juramentis & promiſſis voluntarie Deo præſtitis, omnino ſtandum eſſe.*

Q. *Objiciunt diſſidentes: S. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet nubere,* 1. Tim. 4. *ſed hoc facit Romana Eccleſia obligans ad cœlibatum?*

R.

R. Recte vocatur doctrina dæmoniorum, quæ *absolute*, & *non libere* volentes obligat ad cœlibatum, & nubere prohibet, hoc autem Ecclesiæ Romanæ non facit; sed solum adstringit ad cœlibatum illos *jure positivo Apostolico*, qui libere voverunt Deo castitatem, seu qui suscipiunt benevole sacros Ordines, quibus ex dispositione Ecclesiæ annexum est votum, & obligatio perpetuæ castitatis. Cœlibatus enim secundum se est status perfectior Matrimonio. 1. *Cor.* 7. 39. *Matth.* 19. &c.

Q. *Cœlibatus est res difficillima, plerisque impossibilis, multa parit flagitia, & scandala?*

R. 1. Status Clericalis & celebs nulli impossibilis est, quia tamen aliquibus difficilis accidit, non facile a talibus suscipiatur sine prævia consultatione, & virium suarum disquisitione. Si autem susceptus jam est, etiam observari potest a quolibet cum Dei gratia, (sine qua nemo potest esse continens) quam Deus nulli denegat, dummodo adhibeantur media*, quæ ex parte hominis requiruntur, uti sunt orationes, sobrietas, fuga otii, & occasionum, custodia oculorum, mortificatio corporis, memoria novissimorum, amor suæ bonæ famæ.

Hæc media adhiberi debent etiam a conjugatis, quando alter conjux est absens, vel ægrotat, vel quando tentatur ad alienam concupiscendam. De reliquo, tentari, sentire motus contra castitatem absque consensu voluntatis, peccatum non est; cohibere autem consensum voluntatis in nostra libertate est.

R. 2. Flagitia non parit cœlibatus, sed abusus illius, sicut inter nuptos: adulteria non parit Matrimonium, sed abusus Matrimonii. Et sane, vix minora & pauciora fors peccata contra castitatem reperientur in conjugatis, quam cœlibatum profitentibus. An ergo lex obligans uxoratum (ut sit contentus una uxore,

& alie-

& alienam, neque concupiſcat, neque tangat) vituperari, & ſolvi debet, ſi uxorati multoties eam violent, & graviſſimam difficultatem propter vitæ ſuæ licentiam experiantur in ea obſervanda, utique nemo id affirmabit.

Cur ergo legem cœlibatus reprehendunt, & ſolvi cupiunt diſſidentes, ſi forte a quibuſdam perverſis violetur, vel aliqui omnia ſenſualitati ſuæ indulgentes contra caſtitatem tententur?

Q. I. *Utique Scriptura dicit Gen.* 1. Creſcite & multiplicamini. II. Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum. 1. *Tim.* 3. III. Honorabile connubium in omnibus, *ergo etiam in Clericis?*

R. Ad I. Id eſſe benedictionem, quia etiam ad piſces & aves dixit idem pariter Deus. Vel ſi fuit præceptum, fuit tantum pro illo tempore, quo erat terra adhuc vacua, alias Elias, Hieremias, uterque S. Joannes &c. violaſſent hoc præceptum, quod dici nequit.

R. Ad II. Hic textus non vult poſitive ut Epiſcopus habeat unam uxorem, ſed ut non eligatur uxoratus, (ut initio Eccleſiæ fiebat penuria aptorum hominum) niſi tantum talis, qui nec ſucceſſive, nec ſimul habuerit plures uxores, quam unam; a qua tamen quoad thorum fieri debebat ſeparatio ſuſceptis ſacris Ordinibus. *S. Chryſoſt. in* 1. *Timot. & in c.* 1. *ad Tit.*

R. Ad III. Ly *in omnibus* non denotat perſonas *omnes* indiſcriminatim, ſed eas tantum, in quibus nullum reperitur impedimentum. Vel ſolum denotat Matrimonium *omni ex parte* eſſe honorabile, ſive ratio Sacramenti, ſive proles, ſive alii fines illius ſpectentur.

Alia praxis fuit in Eccleſia Græca, quæ adhuc toleratur; ubi quamvis Epiſcopi ab omni Matrimonio abſtinere debeant tam contracto,

quam

quam contrahendo; Sacerdotes tamen, qui ante susceptos sacros Ordines illud contraxerunt, Matrimonio uti possunt; sed post semel susceptos sacros Ordines id contrahere amplius nec licuit, nec licet.

§. V.

De Parocho contrahentium Matrimonium.

Q. QUinam *censetur proprius Parochus contrahere volentium Matrimonium?*

R. 1. Valide assistere potest tam Parochus sponsi, quam sponsæ; imo etsi esset excommunicatus non toleratus, interdictus, suspensus, & irregularis, quia hujusmodi assistentia non est actus jurisdictionis; imo etsi esset vi, aut dolo adactus.

R. 2. Non solum Parochus urbis, aut Pagi, in quo contrahentes habent domicilium, sed etiam proprius Parochus censetur: Papa in toto orbe: Episcopus in sua Diœcesi: Vicarius Generalis, Capitulum sede vacante. Dicti Prælati possunt loco sui delegare jus assistendi alicui Sacerdoti, quamvis Parochus loci esset invitus, & inscius.

Q. *Quotuplex est proprius Parochus?*

R. Duplex: *Originis*, & *Domicilii*. Si quis tamen in uno loco natus sit, in alio autem domicilium contraxit, non Parochus *Originis*, sed domicilii assistere debet, quia Parochianum constituit non tam origo, quam domicilium.

Q. *Quantum temporis requiritur ut in aliqua aliena Parochia Parochianus quis efficiatur?*

R. Habitatio quæcumque etiam brevissima, & si per horam solum incepit habitare, sufficit in eo, qui domicilii figendi animo ad locum v. g. Parochiæ N. advenit.

Q.

Q. *Qui Parochus Matrimonii Vagorum assistere potest?*

R. 1. *Vagus* dicitur, qui nullibi domicilium habens versatur in loco N. sine animo manendi. *Peregrinus* autem, qui alibi domicilium habens in loco N. moratur animo non permanendi.

R. 2. Matrimonii vagorum (non autem Peregrinorum) quilibet Parochus valide & licite potest assistere, consulto tamen prius officio.

Idem dicendum est de eo, qui etsi quidem testimonium liberi status habeat, sed incertum, & suspicione obnoxium, talis ad officium remittatur, ibi juramentum super liberum statum præstet. Parocho præstiti juramenti testimonium afferat ex officio, quod circa Librum metrices copulatorum conservabitur.

Q. *An Parochus suis Parochianis etiam extra suam Parochiam valide assistere potest?*

R. Affirm. quia sic non desinunt esse Parochiani.

Q. *Quam pœnam incurrat Parochus assistens Matrimonium alienorum Parochianorum?*

R. Ipso jure tamdiu suspensus manet, quamdiu Episcopo videbitur.

Q. *An Sacerdos habens delegationem a Parocho ad assistendum possit subdelegare alteri?*

R. Non. Commun. DD. Facultas autem, quam Parochus alteri dat Sacerdoti, omnino debet esse expressa, tacita non sufficit.

Q. *An valeret Matrimonium, si ei assisteret Parochus, cui Episcopus interdixerat, ne assisteret?*

R. Affirm. quia per hanc inhibitionem Parochus non desinit esse Parochus; tum quia generaliter Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ celebratum valet; nisi aliquod aliud impedimentum dirimens interveniat. Benedict. XIV. *De Syno. c. 7.*

Q.

Q. *An filii, vel filiæ peccant, si contrahant Matrimonium invitis, vel insciis parentibus?*

R. Non; si contrahant cum dignis, & paris conditionis absque ullo contemptu parentum, & incommodo familiæ, secus, peccarent mortaliter. *Sanch.* Ordinarie tamen consensus parentum requiritur, & benedictio eorum petenda est.

Nota 1. Jungendi Matrimonio non sunt, qui ignorant necessaria ad salutem. Bened. XIV. *Ency.* n. 42.

Nota 2. Parochus tenetur a sponso & sponsa privatim, & ad aurem explorare liberam voluntatem ante contractum. Bened. XIV. *Nimiam Licentiam.*

Q. *Quo ritu Matrimonium, & ubi contrahi debet inter maritum latinum, & mulierem græcounitam?*

R. Latino ritu coram Parocho latino.

Inter maritum vero græcounitum, & mulierem latini ritus potest contrahi vel coram Parocho græcounito præsentibus duobus vel tribus testibus; vel coram Parocho latino ubicumque maritus græcounitus voluerit.

Ejus autem loci ac ritus Parochus assistere debet, ubi, & quo ritu Matrimonium contrahitur. *Idem Const. Etsi Pastoralis.*

Q. *Licitumne sit Matrimonium inter Catholicum & dissidentem?*

R. Non; nisi in gravi causa, quia hoc agendo fit communicatio in Divinis. *Idem de Syno.*

Potest tamen contrahi cum consensu Episcopi, 1. Si absit periculum aversionis, & persona Catholica permittatur libere vivere in sua Religione. 2. Ut non impediatur ritu Catholico prolem educare. 3. Ut non sit facile Catholicæ personæ in sua religione invenire conjugem sibi parem, vel e contrario. 4. Ut hæ-

reticus

reticus non ſit denunciatus, nec notorius percuſſor Clerici. *Quinto*. Ut eo loco paſſim ſit conſuetudo ſic contrahendi abſque ſcandalo.

Q. *Quando benedictio dari debet ſponſis?*

R. Vel in Miſſa de ſponſis celebranda ante contractum Matrimonii, vel immediate poſt ipſum contractum, uti habetur in Rituali.

Benedictio hæc dari debet omnino a Parocho ſponſi vel ſponſæ, vel etiam ab alio Sacerdote, ſed cum expreſſa licentia Parochi ſponſi vel ſponſæ: nam ſine dicta facultate, ſi benediceret alius Sacerdos, ipſo facto incurreret ſuſpenſionem ab officio, donec ab Epiſcopo Parochi abſolutionem habuerit. *Trident. Seſſ.* 24.

Notandum. Etſi fœmina aliqua ſciatur eſſe imprægnata, tamen, ſi ſint primæ nuptiæ ex parte ejus, benedictio danda erit. Etiam dum poſt nuptias ad Eccleſiam venerit, introducenda eſt more ſolito, poſt partum veniens ad Eccleſiam introducenda, ſeu benedicenda eſt, dummodo actu ſit in legitimo Matrimonio. *D. Abreu. Moſmill.*

Nuptiæ inter catholicum & diſſidentem multo rectius non ſunt benedicendæ, neque Miſſa in præſentia hæretici celebranda. *Bened. XIV. de Syno. Diœc. l. 6. c. 5. §. 5.*

Q. *Si per oblivionem aliquam benedictio tam in Miſſa, quam tempore contractus matrimonialis omitteretur?*

R. Non eſſet mortale, niſi ſequeretur contemptus, aut ſcandalum.

§. VI.

De impedimentis Matrimonii.

Q. *Quid est impedimentum Matrimonii?* R. Eſt obſtaculum quodam impediens ne licitum, aut validum fiat Matrimonium.

Q. *Quotuplicia ſunt impedimenta?*

R. Duplicia: *impedientia* & *dirimentia*.

Q. *Quæ eſt differentia inter illa impedimenta?*

R. Hæc, quod Matrimonium cum impedimento *dirimente* ſit illicitum & invalidum. Contractum vero cum *impediente*, licet ſit validum, tamen eſt illicitum.

Q. *Quæ ſunt impedimenta impedientia Matrimonium?*

R. Præter peccatum mortale, & excommunicationem, in quibus illicitum eſt omnino contrahere Matrimonium, ſunt ſequentia, quæ ſola ſunt ex ordinatione Eccleſiæ hodie in uſu.

1. Votum ſimplex caſtitatis perpetuæ.

2. Votum Religionis ingrediendæ.

3. Sponſalia. Et 4. Eccleſiæ vetitum.

Impedimentum vero *Catechiſmus* per *Trident.* Impedimentum *Criminis* uti *raptus* ſponſæ alienæ: *Presbytericidium &c.* per contrariam conſuetudinem ſublatum eſt.

Q. *Quid intelligitur per votum ſimplex caſtitatis?*

R. Illud: quod, qui fecit votum caſtitatis privare, *vel* votum non cognoſcendi fœminam, *vel* votum recipiendi S. Ordines, *vel* votum cœlibatus non poteſt licite contrahere Matrimonium ſine diſpenſatione.

Votum vero non fornicandi, aut non peccandi contra caſtitatem non eſt impedimentum.

Q. *Pe-*

Q. *Petrus obstrictus voto simplici castitatis scienter contraxit Matrimonium, an valide?*

R. Valide, sed illicite, & toties peccabit, quoties debitum petet (donec ipsi dispensatio procurabitur), reddere tamen potest, quin tenetur, si petatur a conjuge. Idem dicendum, si fœmina simile votum fecisset.

Q. *Quis potest dispensare, ut Petrus debitum petere valeat?*

R. Episcopus. Si autem ante initum Matrimonium rescivisset Confessarius de voto hoc Petri, tunc foret procuranda ipsi dispensatio a Sacra Pœnitentiaria in ordine ad licite contrahendum Matrimonium.

Q. *Vi hujus dispensationis, quam haberet Petrus ab Episcopo, possetne, mortua illa uxore, aliam ducere?*

R. Non, quia hæc dispensatio conceditur solum ad hoc, ut possit debitum petere ab uxore, quam nunc habet, sed mortua illa revivisit votum, adeoque ad licite contrahendum aliud Matrimonium requiritur dispensatio Papalis.

Q. *An non etiam Episcopus valeat dispensare super voto castitatis perpetuæ & religionis in ordine ad licite contrahendum Matrimonium?*

R. Non quidem jure ordinario, sed per accidens potest, quando sequentia occurrunt. *Primo*. Magnum continentiæ periculum. *Secundo*. Grave scandalum. *Tertio*. Difficilis recursus ad Papam, vel Nunciaturam ob distantiam loci, vel paupertatem voto adstricti. *Quarto*. Si vota non fuerunt absoluta, perfecta, sed solum conditionata.

Q. *Paulus fecit votum Religionis ingrediendæ, eo non attento contraxit Matrimonium sine dispensatione, an peccavit?*

R. Peccavit mortaliter, sed consummato Matrimonio poterit licite & reddere, & petere

Q 2 debi-

debitum absque ulla dispensatione. Quia tale votum non est formale votum castitatis, *Palaus* cum comm. Idem dicendum de eo, qui vovit cœlibatum, sive non ducere uxorem.

Q. *Quid intelligitur per impedimentum Ecclesiæ vetitum?*

R. *Primo*. Prohibitio, quæ fit ab Episcopo, vel Parocho ob dubium impedimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulandos.

R. *Secundo*. Quod vetitis ab Ecclesia diebus non liceat solemniter celebrare nuptias, scilicet tempore Adventus usque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum ad Dominicam primam post Pascha inclusive.

§. VII.

De impedimentis dirimentibus.

Q. QUotuplicia *sunt impedimenta dirimentia?*

R. Duplicia: Alia quæ invalidant Matrimonium jure naturali seu Divino, & talia sunt: *error*, *impotentia perpetua*, *consanguinitas in primo gradu*, *vis*, *ligamen*.

Et alia, quæ invalidant solum jure Ecclesiastico, & hujusmodi sunt reliqua. In his Papa dispensare potest, quia in cujus potestate est legem ponere, in ejus potestate est dispensare in illa, sed Papa est conditor juris Ecclesiastici, ergo etiam & dispensator.

In illis tamen, quæ dirimunt jure divino, dispensare non potest, quia dispensatio est juris relaxatio; Papa autem non habet potestatem in jus naturale & divinum, cum hæc sint ordinis superioris. Habet tamen potestatem declarandi & interpretandi, quando præcepta naturæ obligant, quando non, in quibusdam gravissimis casibus.

Q. *Si*

Q. *Si impedimentum aliquod dirimens supervenerit post valide contractum Matrimonium?*

R. Tunc illud jam non dirimeret, sed solum tolleret jus petendi, vel & petendi, & reddendi, prout casus tulerit; ut si ver. gr. uterque conjux conscius esset impedimenti, v. g. affinitatis de novo per peccatum contractæ.

Q. *Quæ sunt illa impedimenta dirimentia?*

R. Sequentibus versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, & impos,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

ERROR.

Q. *Quotupliciter potest error contingere in Matrimonio?*

R. Dupliciter: Unus circa substantiam personæ, ut si quis ducat Annam, putans esse Evam. 2. Circa qualitatem personæ, ut si quis ducat Annam putans illam esse nobilem, divitem, virginem, quam postea talem non invenit.

Error circa substantiam personæ semper invalidat Matrimonium, quia taliter errantis nullus est consensus, *nihil enim est volitum, nisi præcognitum.*

Error autem circa qualitatem personæ per se non dirimit Matrimonium, quia in tali casu contractus quoad essentiam est voluntarius, nam intentio nubendi, v. g. cum Anna non respicit qualitatem illam in Anna (v. g. nobilitatem) per se & tanquam objectum, sed tanquam aliquid accidentale objecto per se.

Si tamen contrahens cum Anna diceret sive expresse, sive intra se: *duco te in uxorem, si virgo es*, tunc utique dirimeret Matrimonium, etiam qualitatis error, nam si non reperiret virginem, nullus esset illius consensus.

CONDITIO.

Q. *Quid intelligitur nomine Conditionis?*

R. Intelligitur status servilis alicujus ex contrahentibus, & quidem non qualiscunque servitus, sed illa quæ mancipium reddit, ita subditum domino, ut ab illo possit vendi pro suo libitu.

Q. *Quando error conditionis invalidat Matrimonium?*

R. Tunc quando conditio errantis sit deterior, ut dum libera contrahit cum servo, quem credebat esse liberum. Siquidem Ecclesia hoc impedimentum apposuit, ut non fiat injuria liberis personis, magna autem esset injuria illius liberæ, quæ mancipio traderet corpus suum, & sic ratione vinculi cum ipso fieret aliquo modo mancipium.

Quando autem Matrimonium contractum fuisset cum errore conditionis, ita ut persona cum qua contrahitur, esset æqualis, aut melioris conditionis, quam ille, qui sic erraret, non esset invalidum, ut si v. g. servus contraheret cum serva, quam putabat esse liberam, aut cum libera, quam judicabat esse servam; quia in utroque casu conditio contrahentis non est deterior, sed in primo casu est æqualis, in secundo melior est, & sic nulla est injuria erranti.

VOTUM.

Q. *Quale votum dirimit Matrimonium?*

R. Non simplex ut dictum est superius, (dempto

pto unico, si uxor in sæculo continentiam vovens cum consensu Episcopi, marito licentiam daret, aut Ordines suscipiendi, aut Sacram Religionem profitendi, eo mortuo, si contraheret cum alio, Matrimonium esset nullum. *Cap. Quia* 10.) sed votum solemne tam Religiosæ Professionis, quam Ordinis Sacri, si antecedat contractum Matrimonii.

COGNATIO.

Q. *Quid est Cognatio?*

R. Est quædam conjunctio inter certas personas.

Q. *Quotuplex est?*

R. Triplex: legalis, spiritualis, & naturalis. 1. *Legalis* est propinquitas personarum ex adoptione proveniens.

Q. *Quid est adoptio?*

R. Est personæ extraneæ in filium aut filiam legitima assumptio, quæ fieri debet authoritate publica, seu Magistratus.

Alia est *perfecta* adoptio, per quam persona extranea transit in potestatem adoptantis, & fit hæres illius necessarius, ac si esset filius naturalis. Hæc adoptio fit authoritate supremi Principis regionis.

Alia *imperfecta*, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, (quia est sub potestate patris sui naturalis) & non est hæres necessarius in testamento, sed tantum ab intestato.

Q. *Qualis ex his dirimit Matrimonium?*

R. De *perfecta* omnes DD. affirmant; de *imperfecta* alii negant, alii cum *Scoto in* 4. *d.* 40. *q. unic.* affirmant.

Cognatio legalis dirimit Matrimonium in linea recta inter ipsum adoptantem & adoptatum, hujusque solos filios carnales descendentes usque ad quartum gradum.

2. In linea collaterali inter ipsum adoptatum, & solos filios carnales adoptantis, & non ultra.

3. Inter adoptatum & uxorem adoptantis, & e contra.

Q. *Quid est cognatio spiritualis?*

R. Est propinquitas inter aliquas personas ex generatione spirituali procedens, scilicet *Baptismi* vel *Confirmationis*. Inter quas autem personas contrahitur dicta cognatio, videatur ubi de *Baptismo*.

Hæc cognatio est ex solo jure Ecclesiastico statuta. *Trid. Sess.* 24. *c.* 2. Cur autem Ecclesia hanc cognationem spiritualem constituerit potius ex susceptione *Baptismi* & *Confirmationis*, non vero aliorum Sacramentorum, quia sicuti per generationem naturalem contrahitur naturalis cognatio, ita etiam per spiritualem generationem, quæ fit per hæc Sacramenta, constituitur cognatio spiritualis, & sicuti cognatio naturalis dirimit Matrimonium, ita & spiritualis.

Q. *Quid est cognatio naturalis?*

R. Est vinculum personarum, quæ ab eodem proximo stipite per carnalem propagationem descendunt. Et hæc cognatio vocatur etiam consanguinitas, quæ distinguitur per lineas & gradus.

Q. *Quid intelligitur per stipitem, lineam, gradum?*

R. Stipes est persona illa, a qua aliæ personæ, de quarum cognatione tractatur, descendunt vel ascendunt.

Per *lineam* intelligitur collectio personarum tam ascendentium, quam descendentium ab uno eodemque stipite.

Per *gradum* intelligitur major vel minor distantia unius personæ ab alia secundum lineam consanguinitatis.

Q.

Q. *Quotuplex est linea?*

R. Duplex. *Prima*, *Recta* est illa secundum quam multæ personæ descendunt ab uno stipite, ita ut una sit genita ab alia, v. g. filius a patre, nepos a filio. Et hæc alia est *descendens*, quæ est a persona generante ad genitas, ut pater, filius, nepos &c. Et alia *ascendens*, quæ est a persona genita ad generantem, ut pater, avus, proavus, &c.

Secunda, *Collateralis* linea est, secundum quam multæ personæ ab uno stipite procedunt, ipsæ tamen personæ a se invicem non descendunt, ut est frater & soror.

Hæc linea *Collateralis* dividitur in *æqualem* & *inæqualem*. In *prima* continentur gradus consanguineorum, æqualiter a stipite distantium, uti sunt, duo fratres aut sorores, vel eorum filii aut filiæ &c.

Si autem unus ab altero distet uno vel altero gradu remotius a communi stipite, dicuntur esse in linea *inæquali*. Sic frater a suæ sororis aut sui fratris filia distat inæqualiter, quia frater a communi stipite distat primo gradu. Fratris autem aut sororis filia secundo gradu distat.

Q. *Ad quem gradum extenditur hoc impedimentum dirimens Matrimonium?*

R. Ad quartum gradum inclusive. Consanguinei enim in primo & quinto gradu. Vel in quarto & quinto gradu licite possunt contrahere secum matrimonium.

Q. *Infideles conjuncti in gradu prohibito debentne separari post Baptismum, si fiant Christiani?*

R. Non, si gradus prohibitus est illius generis, in quo solet Ecclesia dispensare. Comm. DD.

CRIMEN.

Q. *Quid intelligitur nomine Criminis?*

R. Intelligitur, non quodcunque crimen etiam atrocissimum, sed necesse est intervenire vel *adulterium*, vel *conjugicidium*, vel utrumque cum certis tamen adjunctis. Jure Ecclesiastico hoc impedimentum introductum est, ut vitentur cædes & adulteria.

Q. *Quotuplex est crimen dirimens Matrimonium?*

R. Quatruplex: primum *conjugicidium* seu *machinatio*, idest conventio uxoris cum tertio in mortem mariti, vel contra; non aliter, quam sub intentione contrahendi Matrimonium effectu secuto scilicet morte.

Q. *Quæ requiruntur ad id conditiones, ut quis incurrat hoc impedimentum?*

R. *Prima*. Ut uxor vel e contra occidat maritum sive per se & immediate, sive per alium jubendo, consulendo. Non sufficit ratihabitio post factam cædem secuta absque conspiratione facta. *Lay. Les. Secunda*. Ut vir & fœmina, qui Matrimonium intendunt, contrahere ambo in mortem conspirent. *Tertia*. Ut ex fine contrahendi secum Matrimonium machinentur in mortem. *Quarta*. Ut ipsa mors sequatur realiter ex eorum actione, & non alia de causa. *Quinta*. Ut intentio nubendi a nemine sit revocata; Eaque ut sit expressa determinata, cum hac persona, & non cum alia nubendi post mortem prioris conjugis. *Sexta*. Ut unus machinantium sit vero matrimonio ligatus, & non putativo tantum.

Q. *Quod est crimen secundum?*

R. Adulterium cum conjugicidio, scilicet quando adultera, vel e contra occidit virum suum, ut contrahat cum adultero, quamvis adulter

non

non ſit conſors, ſeu conſcius occiſionis, non poteſt contrahere valide cum eodem adultero poſt mortem ſui occiſi mariti.

Q. *Quæ conditiones ad incurrendum immediate dictum impedimentum requiruntur?*

R. Ut adulterium ſit formale, ut utrique conſtet, quod unus illorum ſit ligatus vero Matrimonio, & aliæ dictæ immediate conditiones requiruntur.

Q. *Quid eſt crimen tertium?*

R. Adulterium ſolum ſine conjugicidio, ſed commiſſum ſub promiſſione, & fide data de Matrimonio contrahendo poſt alterius conjugis mortem.

Q. *Quæ conditiones requiruntur?*

R. *Primo*. Ut uterque ſciat ſuum peccatum eſſe adulterium, ſeu ſuperſtitem eſſe conjugem alterius, nam ſi unus ignoret, poterunt contrahere Matrimonium poſt mortem conjugis innocentis. *Secundo*. Ut perfectum adulterium & promiſſio fiat vivente legitimo conjuge adulteri. *Tertio*. Ut promiſſio ſit vera, non ficta, nec ante adulterium revocata, ut ſit aliquo ſigno externo manifeſtata; non requiritur ut ſit mutua repromiſſio. *San. Sot. Pir. &c.*

Q. *Petrus conjugatus ſolitus rem habere cum Anna libera, quadam die ſic dicit Annæ*: ſi moreretur uxor mea, ducerem te in uxorem; *cui illa reſpondit*: & ego ducerem te in maritum, *moritur uxor Petri, an poſſet ducere Annam?*

R. Affirmat. Quia etſi habetur adulterium formale, non tamen promiſſio formalis Matrimonii, ſed ſolum eſt velleitas Matrimonii. Non poſſet vero ducere, ſi dixiſſent: *ducam te in uxorem*, *ducam te in maritum*. Com. DD. apud *Roſign.*

Q. *Quod eſt quartum Crimen?*

R. Adulterium contracto matrimonio invalido vivente conjuge legitimo; quando v. g. quis rite celebrato Matrimonio vivente una,

contrahit cum secunda ; etiam post mortem primæ, crimen hoc dirimit Matrimonium cum illa secunda . Stantibus tamen his conditionibus : quod hæc secunda sciebat esse conjugatum vel e contra, & ab eo est cognita, aliter enim inter eos non contraheretur impedimentum.

Dixi *rite*, quia si cum prima matrimonium esset nullum, tunc cum secunda foret validum.

CULTUS DISPARITAS.

Q. *Quando hoc impedimentum incurritur?*

R. Quando fidelis scienter contrahit cum infideli, tunc & peccat graviter, & Matrimonium est nullum. Infidelis autem hic intelligitur non baptizatus, ut est v. g. judæus, gentilis &c. & etiam catechumenus, qui esto jam habeat fidem, quia tamen nondum ingressus est per januam Sacramentorum, scilicet Baptismum, non potest accedere ad Sacramentum Matrimonii.

Q. *Quando ex conjugibus infidelibus unus convertitur ad fidem, & alter non, an conversus possit deserere conjugem infidelem, & nubere fideli?*

R. Affirmat. Etiamsi infidelis cohabitare vellet cum converso ad fidem pacifice & absque injuria Creatoris juxta *Epist.* 1. *ad Cor.* 7. Eo ipso enim quod alter velit in infidelitate perseverare censent Theologi plures satis esse periculi in Neophito. *Bened. XIV. de Synod. Diœc. l.* 13. *c.* 21. *novæ edit.*

Si ergo conjux infidelis convertitur, tenetur monere alterum conjugem num converti velit, dandique sunt illi ad deliberandum aliquot dies, si converti renuat, poterit tunc contrahere cum alio.

Q. *An Parochus posset assistere Matrimonio inter hebræum & hæreticum?*

R. Non, quia esset invalidum ratione dispa-

disparitatis cultus. Bened. XIV. *Ep. ad Ducem Ebo. A.* 1749. 9. *Febr.*

VIS, seu METUS.

Q. *Quid per vim intelligitur?*

R. Gravis metus, injuste incussus, quando nimirum aliquis per vim ad contrahendum inducitur Matrimonium, quod nullo modo contraxisset, nisi ad illud per vim compulsus fuisset.

Taliter enim contractum Matrimonium est nullum, non solum jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali & Divino propter defectum libertatis ad contractum Matrimonium requisitæ.

Dixi *Metus gravis*, quando timetur grave malum inferendum, aut ipsi metuenti, aut personæ valde conjunctæ, ut patri, fratri &c. Hujusmodi est metus mortis, mutilationis, carceris diuturni, gravis infamiæ, amissionis officii ad sustentationem necessarii, majoris partis bonorum exhæreditationis, qui *metus* dicitur *cadens in virum constantem*, & talis metus reddit Matrimonium nullum in utroque foro.

Secus dicendum de *metu levi*, quando timeretur leve malum, v. g. incussio colaphi, levis verberatio; & de metu *reverentiali*, quo nimirum juvenis vel puella tantum ideo consentit in Matrimonium, quia timet, ne contradicendo agat contra reverentiam debitam patri. Verum de hoc metu fusius consulantur Authores, quia quandoque metus respectu unius levis erit, gravis respectu alterius.

ORDO.

Q. *Quid intelligitur per impedimentum Ordinis?*

R.

R. Tres Sacros Ordines, qui non ſolum ratione voti ſolemnis caſtitatis, quod habent annexum, ſed etiam ratione Ordinis dirimunt Matrimonium, ita ut ſi Clericus his Sacris Ordinibus, aut uno illorum initiatus contraheret Matrimonium, nullum eſſet. *Trident. Seſſ.* 24. *c.* 9.

Si autem poſt initum prius Matrimonium (& ſi ſit tantum ratum) ſuſcipiantur ſacros Ordines non dirimunt illud. Si vero talis profeſſionem in Religione aliqua feciſſet, tunc dirimeretur illud matrimonium ratum, quia pro hac habentur jura, non pro illis.

Q. *An valide ſuſciperetur S. Ordo a conjugato?*

R. Affirm. ſed illicite, nihil enim deeſſet ad valorem cum uxoris conſenſus non ſit de eſſentia Sacramenti Ordinis. *San. Lay.* Juxta quos uxor ſic ordinatum ad conſortium conjugale revocare poteſt, qui debitum conjugale reddere poſſet uxori petenti, ſed ille petere non poſſet propter caſtitatem adnexam Sacris Ordinibus.

LIGAMEN.

Q. *Quid nomine Ligaminis intelligitur?*

R. Vinculum viri cum uxore poſt contractum legitime Matrimonium ſive conſummatum, ſive tantummodo ratum. Quamdiu enim hoc vinculum durat, Matrimonium cum quovis aliud contrahendum impedit ac dirimit, non tantum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam Divino.

Polygamia ſeu pluralitas uxorum olim a Deo permiſſa viris, nunc a Chriſto ſublata, ut pateat ex verbis Chriſti *Matt.* 19. ut nec Papa diſpenſare poſſit. Comm. Theol.

Q. *Si impedimentum ligaminis vel aliud quod-*

cumque impedimentum Confessarius agnovit in Confessione, & nullo modo dissuadere potest, num debet copulare si venerint in Ecclesiam?

R. Affirm. nam sicut debet communicare publice petentem Communionem, etiamsi sciat ex Confessione esse indignum, ita etiam & in hoc casu, idque propter sigillum Confessionis.

HONESTAS.

Q. *Quid est publica honestas?*

R. Est quasi quædam affinitas jure Ecclesiastico introducta ob publicam justitiam honestatis; oritur hoc impedimentum duplici modo.

Primo. Ex *sponsalibus*, id est, qui sibi desponsavit Annam, non potest valide sine dispensatione Pontificia contrahere Matrimonium cum ejus consanguinea intra primum gradum, v. g. cum matre aut sorore germana Annæ, in secundo gradu autem contrahere potest.

Secundo. Oritur hoc impedimentum ex Matrimonio solum rato, v. g. Petrus contrahit Matrimonium cum Rosa, ea mortua ante Matrimonii consummationem, non potest consanguineam Rosæ in conjugem accipere usque ad quartum gradum inclusive. Vel e contra: mortuo marito ante consummationem matrimonii uxor superstes non potest nubere ulli ex consanguineis defuncti mariti ad quartum gradum.

Q. *Ex quibus sponsalibus oritur hoc impedimentum?*

R. Ex solis sponsalibus validis & absolutis, non vero ex conditionatis vel quacumque ratione non validis: neque ex sponsalibus contractis a parentibus nomine filiorum vel filiarum sine eorum consensu.

Q. *Ex sponsalibus ab initio validis, & postea*

ea vel mutuo consensu, vel morte alterius sponsi dissolutis, num permanet hocce impedimentum?

R. Affirm. Ita ex S. Cong. firmat Fag. in Cap. *ad audientiam de Sponſ.* Octav. a S. Joseph.

Q. *Ex sponsalibus fictis, & matrimonio invalido oriturne impedimentum publicæ honestatis?*

R. Ad primam partem negative. Ad secundam Affirm. Nam sic jure novo *Trid.* sancitum est. *Fag. Octav. &c.* nisi sit invalidum ob defectum consensus.

Q. *Quid si aliquis cum duabus sororibus germanis successive contrahat sponsalia, quamnam in uxorem ducere debeat?*

R. Eam, cum qua primo sponsalia contraxit; secunda vero sponsalia invalida sunt propter hocce impedimentum.

Aliud autem dicendum, si quis cum duabus sororibus successive contraheret sponsalia, & secundam insuper carnaliter cognosceret, tunc enim neutram habere posset. Non primam, quia ex copula habita cum illa secunda nata fuisset vera affinitas. Neque secundam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum. C. *ex Litteris* 8. *de eo, qui cognovit. Engel.*

ÆTAS.

Q. *Quæ ætas requiritur ad valide contrahendum Matrimonium?*

R. In mare 14. in fœmina 12. annus physice completus, ita ut contractus reddatur irritus, si vel unus dies desit. Imo etiam dies ultimus debet esse completus mathematice, ut probabilius tenent DD. apud *Kugl.* nisi malitia superet ætatem, sed & tunc adhuc requiritur licentia Episcopi.

AFFINITAS.

Q. *Quid est affinitas?*

R. Est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens.

Q. *Unde oritur hæc affinitas?*

R. Non solum ex copula conjugali, sed etiam fornicaria extra Matrimonium habita, vel adultera.

Oritur autem hæc affinitas, sive hæc carnalis copula exerceatur cum volente, sive invita, metuve, aut vi coacta, sive cum dormiente, aut ebria, vel insana, sive denique illa copula sit occulta, sive publica.

Q. *Inter quos affinitatis impedimentum contrahitur?*

R. Inter consanguineos viri cognoscentis fœminam, & ipsam fœminam cognitam: Et e contra inter consanguineos fœminæ cognitæ, & inter ipsum virum cognoscentem, ut si v. g. Petrus habeat copulam cum Anna, fit ipse tantum solus & unicus affinis cum consanguineis Annæ, & quidem in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei Annæ cum ipsa Anna.

Q. *Ad quem gradum affinitas contracta dirimit Matrimonium?*

R. Affinitas orta ex copula licita seu matrimoniali dirimit usque ad quartum gradum inclusive; ita, ut si Petro uxor moreretur, Petrus nullam ex consanguineis primæ uxoris suæ usque ad quartum gradum ducere possit, & e contra.

Affinitas vero orta ex copula illicita, seu fornicaria vel adultera ad secundum solum gradum dirimit inclusive. Hinc Paulus fornicans cum Eva, potest contrahere cum consanguineis Evæ in tertio, vel quarto gradu, & e contra.

Idem

Idem v. g. Paulus maritus, si committat adulterium cum consanguineis suæ conjugis in secundo gradu, (vel vicissim) ideoque factus affinis conjugi suæ intra gradum secundum, non dirimitur jam tunc contractum legitime Matrimonium, sed solum Paulus amittit jus petendi debitum, quamvis innocenti parti petenti reddere possit, quin & teneatur.

Affinitas hæc durat etiam post mortem ejus, qui affinitatis contractæ causa fuit, sicut & consanguinitas. Requiritur autem, ut sit copula perfecta, & consummata.

Q. *An incurrit hanc pœnam ille, qui ignorat illam, cum qua coibat esse consanguineam, aut putavit esse in remotiori gradu conjunctam?*

R. Non, nam textus dicit: *si scienter*.

Q. *Quod si sciverit se peccare in secundo gradu, sed non scivit hanc pœnam esse annexam, an tunc incurreret dictam pœnam?*

R. Probabilius Affirm. *Henr. Pont. &c.* Sicut enim mulier occidens virum, ut cum adultero contrahat, incurrit pœnam criminis, quamvis non sciverit esse annexam (uti cum Comm. *Hurt. Con. Less. Gob. &c.*) ex eo quia impedimentum criminis non est mera pœna, sed simul inhabilitatio, ita & hic incurritur inhabilitas ad petendum debitum ob contractum impedimentum novæ affinitatis.

Dicta pœna non incurritur ab eo, qui peccavit cum consanguinea suæ conjugis in tertio vel quarto gradu. *Kulg.* Neque qui cum sua propria consanguinea peccavit, quia pœna non est asserenda absque jure.

Neque uxor, si fuerit invite cognita a consanguineo mariti sui, quia suo jure sine culpa non debet privari.

Nota: Ad dignoscendam affinitatem directam, & proprie dictam ab indirecta, & impro-

propria, advertendum eſt diligenter, quod ille, qui cognoſcit carnaliter aliquam, ſolus & unicus contrahit affinitatem cum conſanguineis cognitæ.

Et viceverſa, quod illa ſola tantum, quæ cognoſcitur a viro aliquo cum ejuſdem viri conſanguineis affinis efficiatur. Unde licet conſanguinei utriuſque partis carnaliter copulatæ communiter vocare ſe ſoleant affines; revera tamen non ſunt, modus enim hic loquendi eſt popularis tantum & improprius. Rem declaro exemplis.

1. Poſſunt duo vel tres & plures fratres germani ducere duas, vel tres, vel plures ſorores germanas ſibi.

2. Poteſt pater ducere viduam, & duo filii & plures ejuſdem patris duas filias & plures ejuſdem viduæ.

3. Petrus poteſt ſucceſſive ducere duas viduas, quarum mariti germani fratres erant.

4. Poteſt Paulus viduus accipere viduam relictam poſt mortem fratris germani ſuæ primæ uxoris, quia Paulus nullam contraxit affinitatem cum affinibus primæ ſuæ uxoris.

5. Vitricus poteſt accipere uxorem demortui ſui privigni.

6. Poteſt filius viduæ unius ducere alteram viduam, cujus item filius duceret matrem vitrici ſui, ſeu mariti ſuæ matris. Quo facto, nato alicui ex dictis filio, dicere poſſet alterutra, vel utraque: hic eſt filius filii mei, & ſimul frater mariti mei.

CLANDESTINITAS.

Q. *Quid nomine Clandeſtinitatis intelligitur?*

R. Matrimonium abſente Parocho, vel alio

Sa-

Sacerdote de Parochi licentia, & sine duobus saltem testibus contractum.

Ad valorem Matrimonii sufficit assistentia proprii Parochi etiam si sit per errorem illegitime constitutus, dummodo habeatur pro Parocho.

Item sufficit etiamsi Parochus non sit actu Sacerdos. In eo autem, cui daret facultatem assistendi, requiritur omnino Sacerdotium. *Ratio 1. partis*, quia *Trident.* tantum requirit Parochum sine addito, quod sit Sacerdos. *Ratio 2. partis* est ipsa declaratio *Trident.* ubi in delegato omnino vult Sacerdotium ut notat *Boss.* Benedicere tamen Matrimonium non posset Parochus, qui adhuc est Clericus; alias fieret irregularis, quia exerceret actum Ordinis, quem nondum habet.

Sciendum: Valida esse Matrimonia Catholicorum sine præsentia Parochi, duobus saltem testibus adhibitis in locis hæreticorum, ubi ob metum, vel potentiam hæreticorum, nullus adest Episcopus vel Parochus, aut alius Sacerdos ab illis licentiam assistendi habens. *Kloz. l.* 4. *t.* 3. *Lay. Gob.* Quia *Trident.* talem casum non supponitur comprehendere. Ita Bened. XIV. *de Synod. l.* 12. Contractum vero Matrimonium coram Parocho, & uno teste nunquam valet, etiamsi sit bona fide contractum. *Idem*. Præter infantes, amentes, & ebrios, quos jus naturæ arcet, omnes alii possunt esse testes Matrimonii: viri, fœminæ, pater, mater, neo sponsorum, christiani, infideles, infames, excommunicati. *Led.* ex *Trident.* Tutius tamen erit idoneos testes adhibere ad tollendas dissensiones varias.

IM-

IMPOS.

Q. *Quid est impotentia, de qua hic sermo?*

R. Est vitium naturale vel accidentale impediens coitum, sive est defectus corporis, qui impedit copulam conjugalem.

Sterilitas seu impotentia solum ad generationem, valori Matrimonii non obstat.

Q. *Quomodo dividitur impotentia?*

R. Una est *naturalis*, & ab intrinseco, quæ procedit ex debilitate vel frigiditate personæ. Alia est *Præternaturalis*, & ab extrinseco, vel per maleficium, quæ arte dæmonis vel veneficii supervenit, utraque est vel perpetua vel temporalis.

Perpetua est, quæ viribus naturæ sine miraculo, vel sine offensa Dei tolli nequit.

Temporalis est illa, quæ sine peccato, & sine notabili periculo vitæ vel salutis per remedia naturalia & humana removeri potest.

Alia est *respectiva*, quando subjectum est inhabile ad cognoscendam certam in individuo mulierem, non vero alias. Alia *absoluta*, quando subjectum respectu omnium est inhabile. Alia est *antecedens*, alia *subsequens* Matrimonium.

Q. *Quæ ex illis impotentia dirimit Matrimonium?*

R. Sola perpetua, & antecedens Matrimonium. Temporalis vero, & subsequens non dirimit contractum.

Impotentia *respectiva*, *perpetua*, & *antecedens* Matrimonium solum dirimit respectu illius personæ, ad quam se extendit illa impotentia, non vero respectu aliarum, ad quas se non extendit. Impotentia vero *absoluta*, cum sit perpetuo & antecedens matrimonium dirimit cum omnibus personis, sive sit impe-

pe-

pedimentum naturale, ſive proveniens ex maleficio.

Q. *Impotentia proveniens ex maleficio, quo medio tolli poteſt?*

R. Exorciſmis, aliiſque piis operibus, uti, devota oratione, Confeſſione, S. Communione, ut Deus per talia media deſtruat omnem diabolicam facturam, quæ fini Sacramenti Matrimonii obſtet.

RAPTUS.

Q. *Quid eſt raptus?*

R. Eſt abductio violenta mulieris invitæ de domo parentis, aut tutoris cauſa Matrimonii ineundi, vel libidinis.

Raptus inter raptorem & raptam ſub poteſtate raptoris exiſtentem dirimit Matrimonium, etiamſi illa conſentiat ſub ea poteſtate exiſtens.

Dicitur, *mulier invita:* quia ſi illa rapi velit, aut precibus, donis, blanditiis convicta in raptum conſenſit, tunc non erit proprie raptus, ſed fuga voluntaria, conſequenter non incurretur impedimentum. Ita *Comm. DD. extra Regnum Galliæ.*

Dicitur, *de domo parentis:* nam ſi ſolum de hypocauſto ad hypocauſtum, talis raptus non dirimit Matrimonium.

Dicitur, *ſub poteſtate raptoris:* nam ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta illum in maritum habere conſenſerit, validus erit contractus. *Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 6.

DE DIVORTIO.

Q. *Quid est divortium?*

R. Est viri ab uxore, aut uxoris a viro legitima separatio.

Q. *Quot modis potest fieri divortium?*

R. Tribus. 1. Quoad vinculum Matrimonii. 2. Quoad solum thorum. 3. Quoad thorum & habitationem. *Bon. Nav.*

Matrimonium Catholicorum valide contractum & consummatum, est ita indissolubile quoad vinculum, ut ex natura sua inter contrahentes nexum requirat perpetuum non solum jure Ecclesiastico, sed etiam Divino.

Matrimonium autem solum *Ratum*, & nondum consummatum solvi potest etiam quoad vinculum per Professionem Religiosam. Permittitur enim ab Ecclesia cuilibet conjugum post contractum Matrimonium duorum mensium tempus ad deliberandum, utrum velit consummare matrimonium, vel potius Religionem ingredi. *Trid. Sess.* 24.

Posset autem ingredi tunc Religionem conjux invito altero conjuge, qui sic relictus in sæculo posset cum alio contrahere Matrimonium secuta alterius Professione.

Q. *An potest fieri divortium perpetuum quoad thorum & habitationem propter commissum Adulterium etiam propria authoritate innocentis, non expectata Judicis sententia?*

R. Non potest, sed opus est authoritate Judicis spiritualis. *Comm. DD.*

Q. *Præter adulterium suntne etiam aliæ causæ divortii, quoad thorum & habitationem?*

R. Sunt, non quidem in perpetuum, sed quamdiu ipsæ causæ durant, & tales sunt:

Prima Causa: Fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresim.

Secunda Causa: Sævitia, si nimirum tanta est, ut grave malum inde inferatur, vel inferri timeatur, & facile vitari nequit, nisi facto divortio, ut est v. g. verberatio crudelis, aut mors per venenum inferenda.

Tertia. Grave periculum corporis ex morbo contagioso alterius conjugis, ut est pestis, lepra, morbus gallicus &c.

§. VIII.

De Dispensatione in impedimentis.

Q. *Quomodo procuranda est dispensatio super impedimentis Matrimonii a Sede Apostolica?*

R. Duplex datur Romæ tribunal, ad quod pro impetrandis dispensationibus recurri potest.

Primo; *pro foro interno*, & vocatur, *Sacra Pœnitentiaria*, solet autem hæc dispensare ex justa causa super impedimento occulto, quod est juris Ecclesiastici: etiam pro contrahendis Matrimoniis excepta sola consanguinitate, nam quoad hanc dispensat solum in contractis; & quidem extra 1. & 2. gradum. Unde dispensat etiam in 1. gradu affinitatis etiam ex copula licita, etiam pro contrahendis, neque hic opus est ullis sumptibus. *Spengler &c.*

Alterum tribunal vocatur *Dataria*, & est pro foro externo, adeoque si impedimentum sit notum & publicum necesse est ab ea dispensationem postulare, sed non absque expensis.

Q. *Parochus deprehendit inter neosponsos in Confessione impedimentum dirimens, cujus detectio gravem infamiam produceret, quid ei faciendum?*

R. 1. Parocho laborandum est, ut neosponsi deponant voluntatem contrahendi; si utrique notum

notum est hocce impedimentum; si autem ob scandalum & infamiam id facere nequeunt, possent contrahere sub conditione, si Papa dispensaverit, & interea temporis more fratris, & sororis cohabitent, statimque curabit Parochus dispensationem ab Episcopo, qui dispensare potest super impedimentis occultis, etiam nondum inito Matrimonio.

R. 2. Si unus tantum conjugum sciat hocce impedimentum, v. g. Affinitatis contractæ ex copula illicita, Parochus dicere potest: contrahe Matrimonium, sed sine animo consummandi, vel debilitatem simules ad tempus, ego interim procurabo dispensationem. *Bosius &c.*

In hoc casu conjux sciens impedimentum, posset reddere debitum conjugale, non vero petere.

Q. *Factis tribus proclamationibus Matrimonii ineundi Annam inter ac Paulum, Agnes Annæ soror germana exponit in Confessione se olim cum Paulo peccasse, num Confessarius suadere debet, ut manifestet hocce impedimentum?*

R. Nullo modo ob gravem infamiam, sed suadere debet Confessarius, quatenus Agnes secluso periculo relapsus, & cujusvis alterius mali moneret secreto Paulum de impedimento, ut dispensationem procuret, vel a Matrimonio desistat.

Q. *An Episcopus dispensare potest super impedimento dirimente in Matrimonio jam contracto?*

R. Ex benigna interpretatione legis & mentis Pontificiæ potest pro foro interno tantum, si adsit gravis necessitas, si ea sic urgeat. *Secundo*. Si non sit tempus adeundi Pontificem, vel ejus Nuntium. *Tertio*. Si impedimentum sit occultum. *Quarto*. Si adsit bona fides, quando contractum est Matrimonium, si adfuit inculpata ignorantia impedimenti.

Q. *Utrum Matrimonium cum impedimento dirimente occulto contractum utrique conjugi noto celebratum, debeat rursus coram Parocho & testibus celebrari post obtentam dispensationem, ut revalidetur?*

R. 1. Affirm. Si Matrimonium fuerat invalidum ex defectu ipsius solemnitatis, quia scilicet clandestine sine Parocho, & testibus contractum in loco, ubi Trident. receptum.

Idem dicendum, quando impedimentum fuit publicum, & ad Forum contentiosum deductum.

R. 2. Si autem Matrimonium contractum fuit cum debita solemnitate, sed invalide ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum dirimens quodcumque, impetrata dispensatione non est necesse Parochum & testes iterum adhibere, sed sufficit, ut ipsi conjuges secreto inter se consensum renovent.

§. IX.

Variæ formulæ pro dispensationibus.

OBtenta pro foro interno dispensatione sive Apostolica, sive Episcopali pœnitens prius Confessionem absolvet, tandem Confessarius post datam ordinariam a censuris & peccatis absolutionem immediate subnectet formulam ex infra hic positis pro exigentia casus.

Formulæ commutationis Voti Religionis intrandæ in alia pia opera. Item authoritate Apostolica mihi specialiter delegata, tibi Votum Religionis, quod emisisti in opera pietatis, quæ tibi præscripsi dispensando ad effectum licite contrahendi Matrimonium, seu ad effectum remanendi in sæculo in vita cœlibe, commuto: In nomine Patris, & Filii &c.

NB. *Pro commutatione votorum castitatis, aut*

aut peregrinationis eadem formula inservit, mutatis mutandis.

Formula dispensationis super impedimento occulto affinitatis, proveniente ex copula illicita ad contrahendum Matrimonium,

Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi seu secundi. Vel primi & secundi gradus affinitatis ex copula illicita a te habita cum matre, aut sorore, aut consobrina, aut &c. Mulieris cum qua contrahere intendis, proveniente, ita ut præfato impedimento non obstante Matrimonium cum dicta muliere publica servata forma. *Trid. Concilii* contrahere, consummare, ac in eo remanere licite possis, & valeas. In &c.

Insuper eadem authoritate Apostolica prolem, quam ex Matrimonio susceperis legitimam fore decerno & declaro: In Nomine Patris, &c.

Formula dispensationis super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in Matrimonio contracto.

Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi vel secundi gradus affinitatis ex copula illicita, quam cum sorore vel matre vel &c. tuæ putatæ conjugis antea habuisti, ita ut illo non obstante renovato consensu cum præfata conjuge Matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere valeas & possis. In nomine Patris &c.

Item eadem Apostolica authoritate prolem, si quam suscepisti, & susceperis legitimam fore decerno & declaro. In nomine Patris, & Filii, &c.

Formula pro iis, qui Matrimonium contrahere desiderant cum impedimento occulto criminis.

Insuper authoritate Apostolica mihi specia-

 liter

liter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio & fide data, proveniente (*vel si aliud sit crimen, illud exprimatur*) ut illo non obstante cum muliere Matrimonium publica servata forma Concilii Trident. contrahere & consummare, debitum conjugale exigere licite possis & valeas.

Pariter eadem authoritate Apostolica prolem susceptam (non tamen in adulterio) & suscipiendam legitimam esse, & fore declaro. In nomine Patris &c.

Formula concedendi jus exigendi debitum conjugale postquam hoc amissum fuerit ob peccatum incestus cum consanguinea conjugis vel e contra.

Insuper authoritate Apostolica mihi commissa dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua uxore ex *illicita* copula per te habita cum ejus sorore (vel &c.) cum eadem remanere in Matrimonio possis, debitumque conjugale ab eadem exigere & reddere licite valeas. In nomine Patris, & Filii, &c.

Nota: Post dispensationem peractam debet alter conjux ignarus hujusce impedimenti informari cautissime de nullitate Matrimonii, quatenus novum consensum faceret. Si autem id nullo excogitabili modo fieri potest, sufficiet copula maritali affectu habita. Quia, ut inquit *Sanch.* licet ignorans impedimentum non intendat formaliter novum inire Matrimonium, intendit tamen virtualiter.

EXAMEN II.

Pro Approbatione ad excipiendas Confeſſiones.

§. I.

De Approbatione & Juriſdictione Confeſſarii.

Q. *Quid eſt Approbatio?*

R. Eſt authentica declaratio, ſeu teſtificatio de idoneitate Sacerdotis in ordine ad excipiendas Confeſſiones. Juxta *Trident.* eſt de valore Sacramenti Pœnitentiæ. Non requiritur, ut ſit omnino in ſcripto, nam poteſt dari etiam verbaliter.

Q. *Utique abſque approbatione Sacerdos rite ordinatus habet poteſtatem abſolvendi fideles a peccatis?*

R. Habet poteſtatem, ſed quaſi ligatam, ſeu habet poteſtatem Ordinis, non vero Juriſdictionis.

Nota: Ad excipiendas Monialium confeſſiones requiritur alia ſpecialis, & diſtincta approbatio Epiſcopi.

Q. *Approbatus ab Epiſcopo an jam valide poteſt excipere Confeſſiones in omnibus locis illius Diœceſis?*

R. Non poteſt extra neceſſitatem. Nam ad validam adminiſtrationem Pœnitentiæ præter approbationem, debet habere inſuper juriſdictionem vel Epiſcopi, vel Parochi loci, in quo audire vellet. *Trid. Seſſ.* 23.

Q. *Quid eſt juriſdictio?*

R. Eſt poteſtas, ſeu authoritas ad certas per-

 ſonas,

ſonas, in foro conſcientiæ dijudicandas conceſſa.

Q. *Quandònam conceditur dicta poteſtas?*

R. Obtento Beneficio, cui animarum cura eſt annexa, vel dum quis Paſtoris munere fungitur. Iſtis enim vere & proprie ſubjici dicuntur animæ.

Q. *Quotuplex eſt jurisdictio?*

R. Duplex: *Ordinaria*, quæ convenit Paſtoribus ordinariis titulo Beneficii, vel Prælaturæ Religioſæ, quales ſunt: Papa per univerſum orbem: Epiſcopus per ſuam Diœceſim, Parochus per Parochiam propriam, Superiores Regularium in ſuis Religionibus.

Alia *Delegata*, quæ habetur per commiſſionem illius, qui ordinariam juriſdictionem habet.

Q. *Quiſnam Confeſſariis juriſdictionem dare poteſt?*

R. *Ordinariam: Papa*, cum ſit *Ordinarius univerſalis* in toto mundo: *Epiſcopus* in ſua Diœceſi: *Parochus* in ſua Parochia, nam & is juriſdictionem ordinariam habere cenſetur, quam proinde delegare poteſt pro ſua Parochia, præſuppoſita Epiſcopi approbatione in illo, qui vellet habere Juriſdictionem, ver. gr. a Parocho.

Q. *Parochus dans alicui juriſdictionem num poteſt dare & approbationem?*

R. Nullo modo id poteſt poſt *Trid.* Vid. Seſſ. 23.

Q. *An approbatus ab uno Epiſcopo poteſt in alia Diœceſi ſine nova approbatione recipere juriſdictionem & audire Confeſſiones?*

R. Poterat olim, ſed nunc non amplius (& ſi ſit Parochus) poſt *Decr.* Urb. VIII. & poſt *Conſtit.* Innoc. X. *Stoz. Spò. &c.* quia reſpectu illarum perſonarum caret approbatione, conſequenter & juriſdictione, quam Paro-

rochus loci dare non potest non approbato ab Episcopo loci.

Q. *In casu, quo Parochus (cui expiravit approbatio) exciperet alicujus Confessionem, num valida esset Confessio?*

R. Si Parochus scienter id faceret, peccaret mortaliter; Confessio autem foret valida, si pœnitens ex communi errore putabat eum habere omnia requisita ad excipiendas Confessiones; Ecclesia enim suppleret defectum. *Barthol.*

Q. *Quando amittitur utraque jurisdictio?*

R. 1. Si Sacerdos privatur officio, cui annexa est per se jurisdictio. 2. Dum expirat tempus jurisdictionis concessæ. 3. Dum Sacerdos suspenditur ab Officio, aut excommunicatur, nisi sit talis censura occulta. 4. Quando peccatum prius non reservatum a Superiore, postea reservatur.

Q. *In quo casu potest simplex Sacerdos sine approbatione absolvere?*

R. In probabili mortis periculo potest ab omnibus peccatis, censuris, & casibus reservatis, si alius non esset approbatus.

Q. *An Regulares ex Privilegio audire possunt Confessiones Sæcularium, vel etiam Parochorum sine approbatione Episcopi Diœcesani?*

R. Urb. VIII. omnia revocavit & abrogavit Privilegia, quibusvis Religionibus, & Societatibus a Sede Apostolica concessa audiendi Confessiones absque RR. ordinariorum Diœcesanorum approbatione.

Imo nec Episcopus extra suam Diœcesim potest sibi eligere Confessarium non subditum, & coram eo confiteri, qui non sit ab ordinario loci approbatus. *Sa. Fag. &c.*

Q. *An Regulares, qui in aliqua Diœcesi approbati fuerint per examen, indigent alia approbatione non expirato approbationis tempore, dum ex alia Diœcesi revertuntur iterum ad*

mansionem ejusdem Diœcesis, in qua prius approbati fuerant?

R. Non indigent. *Reyffenst.*

§. II.

De Officio Confessarii.

Q. *AN quilibet Sacerdos est Confessarius?*

R. Non, sed qui habet potestatem jurisdictionis ultra potestatem Ordinis: nisi pœnitens sit in periculo mortis, & alius non habeatur Sacerdos.

Q. *Quam personam gerere debet Confessarius?*

R. *Judicis*, *Medici*, & *Doctoris*. Ut *Doctor* debet ignorantem edocere; ut *Medicus* debet conscientiæ & animæ pœnitentis mederi, dando illi salubria remedia contra vulnera peccatorum. Ut *Judex* tenetur discernere gravitatem delicti, ac pro ejus satisfactione congruam assignare pœnitentiam.

Q. *Quot personæ in hoc sacro Tribunali concurrunt?*

R. Quasi tres. *Prima*, Confessarius, per modum Judicis sententiantis. *Secunda* & *tertia* persona est ipse pœnitens, qui repræsentat personam rei & testis, imo & actoris, quia se ipsum accusat, testimonium præbet suæ conscientiæ,& pœnam assignatam subire non recusat.

Q. *Quæ requiruntur ut valide administretur Sacramentum Pœnitentiæ?*

R. 1. Ut sit Sacerdos rite ordinatus, & ab Episcopo approbatus. 2. Ut habeat intentionem absolvendi bene dispositos. 3. Ut habeat materiam & formam debitam. 4. Ut jurisdictionem habeat.

Q. *Quæ requiruntur ad licite administrandum Sacramentum Pœnitentiæ?*

R.

R. *Primo*. Ut Confeſſarius non ſit in peccato mortali, debet ergo prius confiteri, vel in abſentia alterius Sacerdotis debet contritionem ſaltem elicere. *Secundo*. Ut habeat ſcientiam ac prudentiam ſufficientem. *Tertio*. Ut ſciat omnes ſuas obligationes, & ſecretum ſigilli arctiſſime ſervare.

Q. *Quomodo peccat Confeſſarius audiens confeſſiones in peccato mortali?*

R. Mortaliter; quia gravem Sacramentali Miniſterio infert injuriam.

Q. *Si autem in peccato mortali plurium audit Confeſſiones ſine interruptione, num plura peccata committit?*

R. Alii affirmant; negant multi Theol. docentes, quod tantum unum peccatum committat.

Q. *Si duo Sacerdotes in peccato mortali exiſtentes vellent ſibi confiteri?*

R. Ille, qui primo loco alterius excipit confeſſionem, tenetur prius præmittere contritionem perfectam.

Q. *Quibus motivis ſe quivis Confeſſarius excitare poſſit ad confeſſiones cum magna alacritate ac conſtantia audiendas?*

R. Plurimis: 1. Confeſſiones audire eſt actus hæroicus, qui valde placet Deo Patri, cujus imago devaſtata renovatur, & filius prodigus ad gratiam reducitur; Deo Filio, cujus oves tanto pretio emptæ, perditæque reducuntur. Nihil Spiritui S. gratius: cujus templa diruta & polluta reparantur, & conciliantur.

2. Quia in hoc officio ſe Sacerdos vincit, & multas repugnantias carnis, & eſt cum minori applauſu, quam concionari, ſed cum magno ſuo merito, & ſummo animarum lucro.

3. Quia in hoc miniſterio ſatisfacimus officio nobis a Deo commendato. Sacerdotis enim officium eſt, *Conficere Corpus Chriſti Domini*,

absolvere & condonare peccata. Qui ergo habet licentiam & sufficientiam, quando hoc facit, facit suum officium; & qui animarum gerit curam, facit id ex obligatione sua strictissima.

4. Quia ibi exercet Deo summe grata misericordiæ opera spiritualia, & spiritualiter corporalia ibi docet ignorantes, corrigit errantes, condonat injurias Deo illatas, solatur tristes, orat pro vivis, dat bona consilia; ibi redimit captivos, vestit nudos veste gratiæ &c. Et ita puto Confessarium inventurum Dei misericordiam: *Beati misericordes, &c.* quia non est eleemosyna, quæ hanc adæquet. Etenim quid utilius Pœnitentibus præstare potest, quam si periculosissimo morbo animæ depulso, sanitatem integram restituat, ex captivo diaboli amicum Dei constituat, ex inferno ereptum cælo transcribere laboret?

O quantum solatium capturus est aliquando sedulus Confessarius, si se promptum in hocce maxime meritorio obsequio præbeat! Sicque de ipso quoque, ut olim de Christo dici possit: Et omnis turba quærebat eum tangere, *& ei confiteri*, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. *Luc. 6. Verum quam durissimum judicium his, qui nimium sunt desides in hoc sanctissimo negotio, a quo multorum salus, & æterna felicitas dependet. Cogitet Confessarius, dum rogatus respuit audire: utrum non dependeat salus ejusdem pœnitentis ab hac ipsa Confessione, quam hic & nunc vult peragere, & quis scit utrum non ultima hæc ejus erit Confessio. Judicia Dei abyssus multa!*

Notent id obsecro Curatores animarum, & alii omnes Confessarii, & caveant maximopere iracunda, seu impetuosa objurgatione (quæ vere non decet, Ministrum mansuetissimi Magistri nostri Jesu Christi) pœnitentes absterrere a tam

summe

summe necessario ad salutem æternam Sacramento. Quod si temporis angustia, aut alia legitima negotia non permiserint excipere Confessionem omnium confiteri volentium, sine iracundia, sed mansueti, paterne, in spiritus lenitate sese excusent, & afflictis propter vincula peccatorum majorem afflictionem, aspera ac impetuosa denegatione non superaddant.

O quam lectu jucundum est de multis zelosis animarum Curatoribus, qui admodum seduli ac infatigabiles fuere in excipiendis fidelium Confessionibus! V. Vincentius Cassagnola cum in Confessionali quotidie per multas horas sederet, sæpe autem nemo in templo esset, rogatus causam, cur nihilominus tam constanter sederet; egregium memoria æterna dignum dedit responsum : Mercatores, & opifices sæpissime cum nihil vendunt, spe tamen lucri in suis tabernis otiosi sedent, etiam frigidissimis temporibus, cur non perinde Confessarius in lucrum spirituale & æternum intentus, magna patientia expectet, donec aliquis veniat, & prædicti lucri obtinendi occasionem præbeat?

V. Consalvus Mederius post Sacrum mane lectum toto matutino tempore pedem e confessionali non efferebat, nisi charitas, aut aliud spirituale negotium avocaret. De V. Silvestro Landino scribitur eum ab horis antelucanis usque ad decimam noctis horam nullo tædio, nulla fatigatione confitentes audivisse. Taceo alios innumeros, quibus aliquando coram Angelis gaudium erit in Cælis una cum suis pœnitentibus conversis, æmulemur charismata meliora!

Q. *Quæ potissimum impedimenta absterrere solent ab audiendis sedulo confessionibus, & quomodo ea vincere, ac removere debeat Confessarius?*

R. *Primum est: Timor duplex*, quo vel varios errores admittere ob casuum difficiliorum

occurrentium solutionem timent: vel periculum violandæ castitatis incurrere verentur ob varia audita peccata contra castitatem. Sed neuter ex his timoribus Confessarium absterrere debet, quo minus confessiones alacriter audiat.

Non primus; quia Christus hoc tribunal non per modum carnificinæ, sed pro solatio & remedio peccatorum instituit, atque adeo ad Sacramenti hujus administrationem, non summam, sed mediocrem dumtaxat scientiam requirit, quam cum facile habere possit Confessarius, merito sperare potest, quod facienti sibi, quantum est in se, Deus suam gratiam tanto minus sit denegaturus, quanto majus habet desiderium, ut hoc Sacramentum alacriter & fructuose administretur.

Neque *secundus timor* absterrere debet, quia securitas in agendo cum proximo, cum ex vocatione, vel ex charitate fit, est valde magna, adeo, ut si quis ex obedientia causa conversionis infames fœminas accederet, ut cælo lucraretur, cum eis agens mundissimas haberet cogitationes, quasi esset Angelus Dei; etsi ex propria voluntate in cubiculo maneret, fœdis ibi cogitationibus ureretur. Confidat ergo Deo, experietur, quod tres pueri in fornace Babylonica sunt experti, & a flammis luxuriæ illæsus manebit. Sed & certo sibi persuadeat, plus longe Deo placiturum, si cum sincera intentione solius Dei gloriæ, & salutis animarum procurandæ, & firma fiducia in Divino auxilio confessionale accedat, quam si ob inutiles scrupulos, & vanum timorem se a confessionibus excipiendis absterreri sinat.

Secundum impedimentum est, *horror molestiæ*, quæ in excipiendis confessionibus crebra sane, ac non levis accidere solet. Sed cum amor onus non sentiat, & labores non reputet, facile has omnes molestias supportabit, si cor suum arden-

ardenti Dei, proximi, quin & sui ipsius amore inflammare studuerit, & quantopere per hoc ministerium Dei gloriam promovere, proximo prodesse, & proprium meritum augere possit, paulo accuratius perpenderit; certe omnes horæ, quas in confessionibus audiendis consumpserit, videbuntur illi breves præ amoris, quo in Divinam gloriam animarumque & propriam salutem atque perfectionem rapietur, magnitudine.

Tertium impedimentum est: eorum, quorum confessiones excipiendæ sunt, *ruditas* ac *simplicitas*, nec non *status humilitas*; hinc experientia, utinam! non crebra ostendit, aliquos Confessarios, quando personarum nobilium maxime fœminarum confessiones excipiendæ sint, promptos se ad id obsequium exhibere, secus vero si non nisi ad rusticorum aliorumque simplicium hominum confessiones audiendas vocentur: de quorum zelo jure illud *Tho. Kemp. l.* 1. *c.* 15. dici potest: *Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas, quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis raro abesse volunt.*

Qui enim veram erga Deum, proximum, & seipsum charitatem serio semel concepit, & finem, quem debet, sibi propositum habet, non modo non horrebit ejusmodi personarum confessiones excipere, sed potius easdem præ aliis omnibus optabit, & sovebit, eo quod in talium confessionibus audiendis major quidem labor, sed minus etiam periculum reperiatur; & præterea Dei beneplacitum, animarum salus, & proprii meriti augmentum ob sinceriorem intentionem, & generosiorem sui victoriam multo copiosius obtineatur; ipseque Confessarius tum Deum, (cujus est cum simplicibus sermocinatio, teste Salom. *Prov.* 3.) tum Christum (qui pro omnibus æqualiter mortuus

est,

eſt, & inſuper dicebat: *Sinite parvulos venire ad me*) perfectius imitetur.

Q. *Quæ induſtriæ adhibendæ ſunt a Confeſſario, ut confeſſiones cum debita perfectione, & fructu audiat?*

R. *Primo*. Ut in confeſſionibus audiendis meminerit ſe patrem ſpiritualem agere, ideoque paternam quandam & ſpiritualem gravitatem, ac ſeveritatem potius, quam nimiam familiaritatem oſtendat, quæ in eo conſiſtit, ut a blanditiis, & a nimia ſeveritate abſtineatur, itaque ſimul ut ametur, ac timeatur a pœnitentibus, quemadmodum patres a filiis ſuis amari ac timeri ſolent.

R. *Secundo*. Ut ſingulari ſtudio noxiam illam, & a confeſſionali omnino eliminandam zelotypiam (qua Confeſſarii interdum accenſi ægre ferunt, ſi ſui pœnitentes aliis confiteantur) diligentiſſime devitet: ad hoc enim faciendum non leves eum cauſæ impellere debent.

Nam I. Nemo venit ad Confeſſarium, niſi Pater cæleſtis traxerit illum, ſi autem hic pœnitentem ad alium Confeſſarium trahit, quam cauſam querelæ habere poteſt primus Confeſſarius, maxime ſi ſolum Dei beneplacitum & voluntatem quærat, quam æque in non audito perficere, & implere poteſt.

II. Si autem pœnitentis unice & ſincere quærat, gaudere potius, quam triſtari deberet de diſceſſu, cum ſeipſum minimum omnium, atque ad omnia ineptum eſſe ſibi perſuadere debeat, adeoque prudenter præſumere poſſit pœnitentem ab alio Confeſſario & peritius, & efficacius curatum iri.

III. Quia nihil ipſi de merito coram Deo decedit per diſceſſum pœnitentis, cum & voluntas ipſius bona, qua audire paratus erat, ſuo merito non ſit caritura.

Q.

Q. *Quibus virtutibus Confessarius maxime studere debet?*

R. I. Potissimum *patientiæ*, & *mansuetudini*, uti Christi Vicesgerens, ut quotiescumque ad confessionale accedit, dicere pœnitentes possint: *Ecce Agnus Dei &c.* Ut ergo hanc exerceat. 1. Si increpandi sunt & puniendi, faciat id cum singulari benignitate, gravitate, ac commiseratione, sicut Medicus infirmum urere, & scissionibus torquere solet. 2. Errores & vitia pœnitentium cum magna charitate, & patientia supportet, tranquille, ac patienter audiat, si inutilia narret, leniter sermonem abrumpat, dicendo: *quid ultra*, nec impetuose urgeat, ut se expediant.

II. *Humilitati*, qua summe indiget quivis Confessarius, tum ut gratiam ad hoc Sacramentum administrandum pernecessaria (quæ teste Apostolo humilibus potissimum datur) obtineat, tum ut se a superbiæ, quæ ex comparatione sui cum pœnitentibus facile oriri solet, tentatione custodiat.

Itaque *Primo* ex corde seipsum despiciat, & omnibus pœnitentibus inferiorem ducat, illud Ascetæ semper in mente habens: *Non nocet si omnibus te supponas, nocet autem vel maxime, si vel uni te præponas.*

Secundo. Semper sibi diffidat & pavidus hoc tribunal accedat, memor illius effati: *qui se existimat stare, videat ne cadat.* Deo confidat, & gratiæ vocationis suæ.

Tertio. Deponat omnem respectum humanum, & timorem contemptus apud pœnitentes subeundi; sed potius optet ob tale beneficium, nullam aliam mercedem ab ullo homine referre, ut tanto magis Deo placere possit.

§. III.

§. III.

De scientia & prudentia Confessarii.

Q. QUotuplex est scientia?

R. Triplex. 1. *Eminens*, quam qui habet, subtiles & difficiles quæstiones discernere novit, & sine librorum revolutione prompte respondet. 2. *Mediocris*, quam qui habet cum revolutione librorum scit etiam in difficilibus veritatem invenire. 3. Sufficiens, eam, qui habet, per se sufficit ad ea explicanda, quæ sunt sui officii.

Q. *Qualem ex his omnino debet habere Confessarius?*

R. Saltem sufficientem, ne seipsum & suos pœnitentes exponat periculo errandi in materia gravi.

Q. *Quæ scire debet in particulari Confessarius?*

R. 1. Debet scire, quænam peccata communiter ex genere sunt mortalia, & quæ venialia?

2. Quæ regulæ sint communes pro distinctione numerica & specifica peccatorum, vid. infra §. 6. hic revocentur in memoriam Cap. 2. §. 1. 2.

3. Quænam circumstantiæ mutantes speciem, & quæ aggravantes.

4. Quæ regulæ communes, quibus quis excusari possit a peccato mortali vel præcepto.

5. Debet scire casus reservatos.

Verbo, debet scire omnia illa, quæ spectant ad ipsum Confessarium, pœnitentem, & peccata.

Q. *Quomodo peccat Confessarius sine scientia horum præsumens audire Confessiones?*

R.

R. Si notabiliter in his deficiat, mortaliter; Comm. DD. Si tamen non ſit dubius de ſua ſcientia ſufficienti, debet ſe conformare judicio ſui ſuperioris aut alicujus docti Theologi: Tenetur tamen per lectionem librorum & indagationem in dies pro poſſe proficere.

Licet autem ſcire debeat Confeſſarius quidnam ex natura ſua ſit peccatum mortale & quid veniale, non tamen requiritur, ut de omnibus, quæ audit a pœnitente judicet, an ſint hic & nunc peccata mortalia vel venialia; ſed ſufficit ſi gravitatem peccatorum diſcernat ſecundum judicium practicum; neque ſe ipſum torquere debet, utrum veniale non judicet pro mortali; ſed attenta malitia peccatorum, abſolvat ſuſpendendo judicium pro natura ipſorum. Sacerdos enim non debet judicare pœnitentem ſcientia Divina, ſed authoritate Divina abſolvere. Cum in his diverſitas opinionum inter DD. ſæpe occurrat.

Q. *Quid faciendum Confeſſario ſi aliquem errorem in Confeſſione committat?*

R. Si error ſit circa ſubſtantialia, v. g. ſi abſolvit non habendo juriſdictionem, vel approbationem, vel poteſtatem in reſervata, tenetur illum corrigere petendo prius a pœnitente licentiam loquendi cum ipſo de re ad ſalutem neceſſaria; ſed hoc fiat nimis caute, & attentis bene omnibus circumſtantiis, num hoc cum fructu commode fieri poſſit, ſecus Deo committatur, apud quem excuſatur, cum ſit fide bona confeſſus. Confeſſarius autem peccaret, etiamſi hoc ignoranter faceret, cum ſcire teneatur ſuam poteſtatem.

Si error ſit circa accidentalia, relinqui poteſt pœnitens in bona fide. Errores autem, qui ex oblivione naturali occurrere ſolent, vel quia oblitus eſt de ſpecie peccati interrogare, vel quia non bene intellexit peccatum, & poſtea

per oblivionem interrogare omisit, non sunt cum gravi incommodo corrigendi, sed pœnitens relinquendus est in bona fide.

Q. *Circa quæ generaliter prudentia Confessarii debet esse sollicita?*

R. Circa se ipsum, Pœnitentem, & circumstantes.

Q. *Quid circa se ipsum?*

R. *Primo*. Ut sit in gratia Dei, ne alios judicans, solus æternæ damnationi sit obnoxius.

Secundo. Ut antequam Confessiones excipiat, prius invocando gratiam Spiritus Sancti intentionem faciat absolvendi omnes, quoscunque rite dispositus invenerit, & hæc una intentio sufficiet pro omnibus audiendis.

Tertio. Ut in materia contra castitatem non sit interrogationibus nimis curiosus, ne sibimet ipsi laqueum injiciat tentationis alicujus.

Q. *Quomodo ergo formandæ sunt interrogationes in materia luxuriæ?*

R. Valde caute, nam melius quod Confessarius peccatum pœnitentis minus perfecte intelligat, quam illi, vel sibi scandalum, seu ruinam pariat. Ideo faciendæ sunt interrogationes modeste, sine extorsione ad verba turpia, & inhonesta, si ex modestis terminis intelligere poterit qualitatem peccati.

Unde si pœnitens confiteatur generaliter se peccasse contra sextum præceptum, interrogetur, 1. num cogitatione, vel verbo, aut opere? si dicet, *opere*, non interroget de verbo, aut cogitatione, quia præsumitur præcessisse, constituuntque unum peccatum.

2. Interrogetur, quot vicibus: an cum una, vel pluribus. 3. Num hæc persona fuerat ligata, & esset *Adulterium*: vel libera, erit *Fornicatio*: vel spiritualis, & erit *Sacrilegium*: vel consanguinea, erit *Incestus*.

Quod si dicat pœnitens, *solum per oscula*, *vel*

vel tactus peccasse, interrogetur quoties, num diversa seu interrupta, vel una conversatione cum fœmina. Nam si una conversatione, non recedendo ad aliud distans tempore opus, sint plures tactus & oscula, unum erit peccatum continuatum. Superaddat Confessarius num aliquid aliud pejus non sit exinde secutum, si dicat, nihil, desinat jam ab interrogationibus, ne præsertim juvenis, & simplex scandalizetur, aut mala, quæ ignorabat, doceatur.

Si pœnitens negat se habuisse cogitationes immundas, de actibus non est interrogandus, quia ubi non est dispositio ad actum, nec ipse actus præsumitur adesse.

Q. *In quibus prudentia Confessario necessaria est circa pœnitentes?*

R. *Primo*. Ut non æqualiter cum omni pœnitente procedat, sed juxta uniuscujusque conscientiam remedia salutis suggerat. Cum scrupulosis & nimium timoratis, mansuete ac paterne: cum nimium licentiosis, aliquomodo rigidius procedet, sine passione tamen.

Secundo. Ut juvet pœnitentem suggerendo ipsius memoriæ aliqua peccata, si illa non commiserit, maxime cum plebeji confitentur.

Tertio. Siquidem non omnes pœnitentes sunt ejusdem status, officii, & conditionis, ita pariter non sunt omnes interrogandi iisdem interrogationibus; sed prudens Confessarius pensatis circumstantiis sui pœnitentis, adducat ei in memoriam illa peccata, in quibus suspicatur ejus periclitari animam. Verbo unusquisque officialis sicuti habet propria munera, ita & ipsorum defectus.

Quarto. Dum audit aliqua gravissima peccata, nullum det signum admirationis, indignationis, aut minarum, ne subticeat peccata tum ob timorem, tum propter oblivionem, sed

fini-

finita usque Confessione de circumstantiis interroget, & det ipsi salutis monita.

Quinto. Quotiescunque loquitur ad pœnitentem, semper utatur verbis honestis & paternis, ne odiosam reddat pœnitenti Confessionem Sacramentalem. Et si in se ipso zelum senserit (uti solent scrupulosi Confessarii & juniores Sacerdotes) recordetur, quod homo coram homine confiteatur, qui etiam similiter multis circumdatus est infirmitatibus. Unde si quid christianæ charitatis habet, de offensa Dei cum pœnitente doleat, & de ruina animæ pœnitentis sui condoleat.

Sexto. Antequam incipiat audire confessionem, non intendat curiose in faciem pœnitentis, quia hæc possunt esse occasio majoris pudoris in pœnitente, si quæ gravia peccata habebit. Si autem ignorat, cujus sit officii, aut an liberi sit status, poterit sciscitari modeste ex pœnitente.

Q. *Quæ prudentia necessaria est Confessario circa circumstantes?*

R. Hæc, quæ ad strictum secretum omnimode servandum est necessaria: unde, *Primo*. Confessarius dum audit pœnitentem, debet alios removere modicum, ne audiant ipsius peccata.

Secundo. Solus autem Confessarius, quantum fieri potest cum silentio, submissa intelligibili tamen voce loquatur, & interrogationes faciat.

Tertio. Si quem ex circumstantibus suspicatur audivisse aliena peccata, debet ipsum intra confessionem admonere de servando secreto sub mortali.

Q. *Quid facere debet Confessarius cum accidit casus difficilis in confessione, quem ipse nequit resolvere?*

R. Debet tunc caute pœnitentem remittere ad aliud tempus, vel suadere, ut in alia confessione idem peccatum confiteatur, ut in-

terim consulere libros, vel doctos viros possit. *Silv.*

Q. *Quid faciendum Confessario, qui evidenter scit pœnitentem tale peccatum commisisse, & propterea interrogat, nihilominus pœnitens negat?*

R. Si scit ex aliorum relatione, vel ex confessione complicis, debet pœnitenti credere, quia potuit aliter fieri, vel jam alibi confessum esse.

Si ipse Confessarius vidit, neque probabiliter existimat illum alteri esse confessum, sed deprehendit eum evidenter mentiri, non tenetur stare dictis ejus, sed potest uti sua scientia ad convincendum eum. *Sua.*

Q. *An in casu, quo aliqui in Confessarium conspirassent, ut de nocte eum dormientem occiderent, aut venenum in vino consecrando miscuissent, & Confessarius ex unius illorum confessione id audivisset, absque fractione sigilli sine licentia pœnitentis possit fugere, aut a celebratione abstinere?*

R. Posset, sed cum hac distinctione: Si ex tali fuga seu declinatione illius mali nulla habeatur suspicio apud alios, præter pœnitentem, quod Confessarius de intentatis sibi insidiis sit certus confessione. Vel etiam, si ex hoc nullum pœnitenti sequatur malum.

Quod si ergo illæ duæ conditiones non possint haberi, Confessarius in tali casu commendet Deo animam suam, & ita se habeat, quo ad apparentiam, ac si nihil sciverit: quia sigillum Sacramentalem ob bonum fidelium & reverentiam Sacramenti magis obligat, quam salus totius mundi, & multo magis, quam propria vita. Comm. DD.

Vel, posset Confessarius, quasi casu dimittere in terram ampullam, aut non egredi in viam, sed duntaxat protunc, quando v. g. Petrus nescivisset Paulum confessum esse coram

eo-

eodem Confessario, quia sic posset casuali eventui prædictos adscribere casus declinandæ mortis. Vel posset jubere, ut sibi extra confessionem id dicatur.

Q. *Quid agere debet Confessarius cum eo, qui gravia minatur, nisi eum absolvat?*

R. Tali (ut supponitur) omnino indisposito non est licitum ob timorem mortis absolutionem conferre indigno. Benigne ergo eum moneat, talem absolutionem ei non profuturam, & omnibus modis iram illius lenire curet.

Q. *An Sacerdos possit absolvere eum, quem videt v. g. post fluvium distantem viginti passus, illumque non audit, sed alii dicunt illi petere absolutionem?*

R. Affirmat. quia cum illum videat, verificatur illud: *Ego te absolvo*. Idem dicendum, si pœnitens sit in aliquo cubiculo & illum Confessarius non videat, sed vocem audit. Invalida autem esset Confessio, si fieret per literas vel nuntium, quamvis esset in articulo mortis. Contraria est damnata a Clem. VIII.

Q. *An Sacerdotibus post mediam noctem Nativitatis Christi, aut tempore Missæ nocturnæ licitum sit audire confessiones?*

R. Non: sed expectanda est aurora; S. R. C. 23. Mart. 1685. Neque Communionem distribuere, S. R. C. 7. Dec. 1641.

Q. *Si pœnitens confiteatur aliquod peccatum mortale, quod in prioribus confessionibus subticuit?*

R. Interrogandus est: *Primo*, a quot annis hoc peccatum reticuerit. *Secundo*, Quot confessiones & communiones cum tali peccato peregerit. *Tertio*, Utrum in omnibus confessionibus recordabatur ejusdem; tandem admonendus est, ut reconfiteatur omnia illa peccata, præsertim gravia illarum confessionum, in quibus scienter hoc delictum occultaverit; cum

omnes

omnes illæ confessiones fuerint sacrilegæ. In quorum commemoratione juvandus erit pœnitens a Confessario.

Q. *Quotuplex est occasio peccandi?*

R. Duplex: *Proxima*, in qua constitutus moraliter non potest cavere peccatum. Ut si v. g. Petrus & Anna ambo liberi status in eadem domo maneant. Et *Remota*, per quam homo moraliter non cogitur ad peccatum. Primam tenetur pœnitens fugere sub mortali, non vero secundam, alias omnes fugere deberemus in eremum.

Hinc licet sub mortali unusquisque teneatur removere occasionem proximam peccandi, non tamen indispensabiliter omnis, sed solum ille, qui potest: si vero sit in tali occasione constitutus, quam sine scandalo, infamia, aut gravi damno non potest removere, & fugere, aut quia non est in ejus potestate alienare illam personam, quæ pœnitenti est occasio proxima ad peccatum, tunc ad hanc legem pœnitens non tenetur, sed monendus erit, ut habeat firmum propositum, quam primum aderit commoditas se talem occasionem deserturum; & si est occasio proxima ad peccatum, promittat Confessario se specialiter evitaturum colloquia, familiaritates, loca privata, aliasque peccati illecebras, faciendo aliquomodo ex occasione proxima, remotam.

Q. *Si pœnitens sit recidivus & consuetudinarius?*

R. Magna prudentia & discretio circa ipsum adhibenda est; nam talis relapsus non semper est verum signum falsæ pœnitentiæ, sed potius fragilitatis humanæ. Unde si recidivus post ultimam confessionem saltem paululum se se emendaverit, nec tot peccata, quod ordinarie solitus fuerat, commisit, & aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet absolvi.

Q.

Q. *Quod si pœnitens augeat numerum peccatorum, aut saltem ita longo tempore sua peccata continuet, aliquoties se vincendo, & iterum relabendo, ac numerum augendo?*

R. Tunc Confessario duo extrema erunt vitanda. *Primo*. Ne per nimiam severitatem sit potius occasio ruinæ spiritualis, & desperationis pœnitentis, quam salutis. *Secundo*. Ne e contra per nimiam clementiam potius foveat peccata, quam minuat.

Unde prudens ac discretus Confessarius hujusmodi recidivum & gravioribus motivis deterreat a relapsu, & dulcioribus verbis erigat mentem in fiduciam Divinæ bonitatis, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui illi.

Q. *Si ista remedia post sæpius repetitas confessiones nihil proficiant, & ipse pœnitens semper in eodem numero peccatorum aut majori accedat, nullumque serium conatum adhibeat, quo tentationibus peccandi resistat?*

R. Tunc absolutio ei ad tempus denegetur, ne Confessarius pœnitentem in suis peccatis videatur fovere. Hoc tamen raro faciat & potius Confessarius omnem lapidem moveat, antequam absolutionem relapso deneget. Agitur enim in tam gravissima causa de periculo desperatæ salutis.

Q. *Quæ a Confessario præscribenda sunt remedia recidivis?*

R. *Generalia* remedia danda sunt hæc. *Primo*. Humiliter & frequenter cum plena in Deum fiducia petat auxilium ejus. *Secundo*. Frequenter confiteatur & quidem uni & determinato Confessario. *Tertio*. Sæpius devote communicet. *Quarto*. Attente legat de gravitate peccati libros, ac pœnis infernalibus. *Quinto*. Confugiat ad preces B. V. Mariæ. *Sexto*. Fugiat occasiones peccandi scilicet personas ac objecta inductiva ad peccatum. *Septimo*. Suadeat ut triduo ab-

abſtineat a familiari ſibi vitio, in honorem SS. Trinitatis. Iterum ut quinque diebus abſtineat in honorem quinque vulnerum Chriſti; & ſic deinceps, donec emendetur.

Particularia remedia, maxime quoad peccatum luxuriæ danda ſunt hæc: 1. Ut caveat aſpicere perſonas, cum quibus ſolet peccare. 2. Ut abſtineat a calido potu, & lautioribus eſculis. 3. Ut faciat aliquam carnis mortificationem. 4. Ut mane ſurgendo faciat firmum propoſitum hac die illud peccatum non committendi. 5. Remonſtretur ipſi, quantum habitus luxuriæ obſit ſanitati, & abbreviet vitam.

Q. *Quæ Confeſſarius ſcire debet circa maledictiones & imprecationes?*

R. Ad hoc ut maledictio & imprecatio mali proximo, aut brutis animalibus ſit peccatum mortale requiritur 1. Ut ipſa imprecatio mali ſit ex animo. 2. Ut ſit ex plena deliberatione animi. 3. Ut malum, quod imprecatur alteri, ſit grave; unde ſi aliquod iſtorum deficit, erit tantum veniale. Et ſic ſæpe excuſari poſſunt a mortali mulieres maledicentes ſuis liberis, vel ancillis; ruſtici jumentis, &c. *Nav. Sa.*

Non peccat, qui optat alicui malum ſub ratione boni, v. g. ut aliquis peccator ægrotet, ut ſcilicet melior fiat, aut ne aliis noceat. Optare vero malum ſub ratione mali, eſt peccatum. *Sylv.*

Q. *Quidam quærit in Confeſſione: nocte præcedente voluntariam pollutionem habui:* vel, *præter voluntatem paſſus fui:* vel, *ſolius voluptatis cauſa actum conjugalem exercui, num ſine peccato hodie communicare poſſim?*

R. Peracta rite Confeſſione talis, *per ſe loquendo*, poteſt permitti ad S. Communionem. Ita *Joan. Sancti. Burg. &c.* accedens digne ad

ſanctam Euchariſtiam non peccat, atqui talis digne accederet, quia purificatus per Confeſſionem eſſet juſtus, amicus, & filius Dei; tum quia ſancta Communio multa homini digne accedenti præſtat bona; ergo non facile talis ab eadem eſt arcendus, niſi alia cauſa aliud poſtulet, unde ſignate dixi, *per ſe loquendo*.

Præceptum non accedendi ad ſanctam Euchariſtiam poſt actum conjugalem, ſi quod olim extitit, jam pridem exolevit, ut omnes DD. fatentur apud *Burg. Cent.* 2. *n. XIV.*

§. IV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

Q. *Quotupliciter ſumitur Pœnitentia?*

R. Dupliciter: 1. Ut *virtus*: & eſt dolor animi, & deteſtatio peccati, cum propoſito emendandi.

2. Ut eſt *Sacramentum*, poteſt ſic deſcribi: Eſt Sacramentum novæ Legis a Chriſto Domino inſtitutum ad remiſſionem peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum.

Q. *Quot ſunt partes hujus Sacramenti?*

R. Tres. Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

Q. *Quid Trident. circa hoc Sacramentum definivit ſub Anathemate?*

R. 1. Quod pœnitentia fuit ſemper neceſſaria ad veniam peccati mortalis. 2. Quod nihil proſit non baptizatis. 3. Quod a Chriſto inſtitutum ſit. 4. Quod eſt vere & proprie Sacramentum diſtinctum a Baptiſmo. 5. Quod ſolus Epiſcopus & Presbyter rite ordinati poſſint abſolvere, (& nullus alius) & licet ſint improbi, non tamen amittunt hanc poteſtatem.

Q. *An Pœnitentiæ Sacramentum eſt de neceſſitate ſalutis?*

R. Eſt omnibus poſt Baptiſmum in pecca-

tum mortale lapsis necessarium necessitate medii vel præcepti. Quamvis non semper & de facto realiter necessario sit suscipiendum, sed satis sit alterutro modo capi, nempe vel in re vel in voto sive desiderio. Comm. DD.

Q. *Utique ante Christum legitur fuisse Pœnitentia?*

R. Fuit ut virtus, non vero ut Sacramentum.

Q. *Quot sunt effectus Sacramenti hujus?*

R. 1. Remissio peccati mortalis, quam venialis. 2. Gratia prima vel secunda, si erit remissio venialium. 3. Gratia Sacramentalis. 4. Commutatio pœnæ æternæ in temporalem. Quibus additur etiam illud, quod per Pœnitentiam revivi scunt merita, quæ fuerunt per peccatum mortale mortificata.

§. V.

De Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

Quoniam *Cap.* 2. §. 1. jam nonnulla dicta sunt de peccatis, ideo revocanda erunt, & denuo relegenda. Hoc solum addo ad pag. 16. quod peccatum *Philosophicum* non est dabile sine *Theologico*.

Q. QUotuplex *est materia hujus Sacramenti?*
R. Duplex: 1. *Remota, necessaria:* est omne peccatum mortale post Baptismum commissum & non confessum. *Sufficiens* materia etsi *non necessaria*: est omne veniale post Baptismum commissum, vel etiam mortale, alias jam rite confessum.

R. 2. Materia *proxima* sunt actus Pœnitentis: *Contritio*, *Confessio*, *Satisfactio*, quarum ultima est integralis tantum, duæ priores sunt essentiales.

Q. *Quibus modis & regulis dignosci possit mortale esse commissum a Pœnitente, & non veniale?*

R. 1. Desumitur gravitas vel levitas peccati a lege graviter vel leviter obligante. 2. Ex dictamine rationis, si enim conscientia hic & nunc dictat peccatum commissum cadere in gravem Dei aut proximi injuriam, erit mortale. 3. Parvitas vel levitas peccati potest desumi ex ipso actu peccaminoso, considerando etiam malitiam & materiam gravem vel levem. Potest etiam considerari tam ex objecto, quam fine, & circumstantiis, uti est perfecta vel imperfecta libertas; plenus vel non plenus consensus & advertentia.

Hæ omnes Regulæ non necessario debent simul inveniri in uno eodemque peccato mortali: Quia potest esse materia levis, & lex graviter obligans.

Q. *Quot possunt esse circumstantiæ speciem peccati mutantes vel aggravantes?*

R. Octo hoc expressæ versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis, non substantiam, sed personæ conditionem delicta patrantis significat, ut si sit conjugatus &c. *Quid*, qualitatem objecti, circa quod peccator suam exercet actionem, denotat, ut si percussit Clericum, vel patrem &c. *Ubi*, ad locum spectat, v. g. sanguinis effusio in Ecclesia. *Quibus auxiliis*, personæ circumstantiam peccatum adjuvantis explicat, ut mediatore utens ad mœchandum &c. *Cur*, ad finem attinet. *Quomodo*, declarat modum, quo peccatum committitur. *Quando*, ostendit circumstantiam temporis.

Q. *Quæ sunt peccata restitutioni obnoxia?*

R. Ea, quibus violatur justitia, vel ea, quibus pœna restitutionis injuncta est a Summo Pontifice, uti sunt: usura, Contractus illicitus, simonia, omissio Horarum Canonicarum in beneficiatis.

Q.

Q. *Teneturne pœnitens exprimere in confessione omnes circumstantias peccati?*

R. Affirm. quoad circumstantias mutantes speciem. *Concil. Trident. Sess.* 14. C. 5. Circumstantiæ autem notabiliter aggravantes peccatum in eadem specie, an sit aperiendæ nec ne, utrumque apud DD. probabile est, eo quia Trident. de talibus circumstantiis nihil aperte concluserit.

Q. *Aliena peccata quot modis possunt imputari alteri?*

R. Sequentibus modis: consilio, jussione, consensu, cooperatione, auxilio, favore, laudatione seu adulatione, prava doctrina, exemplo, & silentio. Quia homo his modis cooperando peccato alieno, efficitur causa moralis peccati alieni, & illi vere consentit, vel expresse, vel virtualiter, vel interpretative.

§. VI.

De distinctione specifica & numerica peccatorum.

Q. QUid est species mortalis peccati?

R. Est specialis malitia, per quam unum peccatum essentialiter differt ab alio.

Q. *Quomodo peccata specie distinguuntur?*

R. Primo. Per oppositionem diversis specie virtutibus, sic ebrietas a furto differt specie, quia illa temperantiæ, hæc justitiæ opponitur.

Secundo. Distinguuntur specie ex diversis specie motivis, sive finibus intentis, ut mentiri ex fine joci, & mentiri ex intentione alterum graviter decipiendi sunt diversa specie peccata.

Tertio. Ex diverso modo tendendi: sic habere simplicem complacentiam in malo, & habere desiderium efficax, sunt specie diversa peccata.

Quarto. Ratione circumſtantiarum tenentium ſe ex parte objecti talium, quæ dicuntur mutare ſpeciem, ſic ſimplex furtum, quod eſt contra juſtitiam tantum, eſt peccatum diverſum ſpecie a furto ſacrilego, quod eſt contra Religionem.

Quinto. Peccata ſpecificam differentiam deſumunt a ſpecie diverſis materialibus objectis v. g. Odium Dei, & odium proximi ſunt diverſa ſpecie peccata.

Q. *Unde colligi poteſt diſtinctio numerica peccati?*

R. *Primo*. Ex objectis diverſis numero, non tantum materialiter & phyſice, ſed etiam formaliter & moraliter diſtinctis. Unde verba impudica, oſcula, copulam ſeu pollutionem intentam antecedentia, ſi ea in effectu ſequatur, unum numero peccatum conſtituunt, quia ad eundem finem referuntur.

Secundo. Ex interruptione morali actuum, quæ fit per contrariam voluntatem & propoſitum, vel per liberam ceſſationem ab actu, vel per ceſſationem naturalem, v. g. ſomnum.

Unum numero peccatum committit, qui uno actu odii vel detractionis fertur in decem homines: qui uno ictu duos occidit: qui uno actu vult omittere Officium Horarum Canonicarum per menſem, qui furatur Bibliothecam per totam noctem, etſi ſæpius voluntatem furandi renovet, unum furtum: & qui ad occidendum alium pergens ſæpe voluntatem renovat, unum homicidium committit, quia eſt una actio externa ab internis intenta, in qua internæ omnes complentur, & moraliter uniuntur.

Q. *An actus voluntatis internus & externus executivus ejuſdem voluntatis, circa quem prior ille verſatur, unum numero peccatum conſtituunt?*

R.

R. Affirm. Sic v. g. volitio furandi, & ablatio rei alienæ unum eundemque totalem actum constituunt moralem.

§. VII.

De materia proxima, scilicet dolore.

Q. Quid est dolor?

R. Est detestatio mali commissi sive peccati propter aliquem finem cum proposito illud in posterum vitandi.

Q. *Quotuplex est dolor?*

R. *Primo. Naturalis*, qui elicitur ex motivo naturali, v. g. si quis detestatur furtum a se commissum ideo, quia illi infamiam, vel pœnam infert.

Secundo. Supernaturalis, est, qui elicitur ex motivo supernaturali, si quis v. g. dolet de peccatis propter amissum cælum, vel promeritum infernum.

Dolor *supernaturalis* duplex est: 1. *Perfectus*, qui elicitur ex motivo perfecto, scilicet *ob amorem, aut bonitatem infinitam Dei*, vocaturque hic dolor, *Contritio perfecta*.

2. *Imperfectus est*, qui ex alio motivo, supernaturali tamen, elicitur, v.g. *amissionis cæli*, vel *ex metu gehennæ*, & vocatur *Attritio*.

Q. *Quomodo pœnitens se præparare debeat ad Confessionem Sacramentalem?*

R. Post invocationem Spiritus S. examinare debet conscientiam suam, & in memoriam revocare peccata. 2. dolorem elicere. 3. Firmum propositum facere amplius Deum non offendendi.

Q. *Qualis esse debeat diligentia in examine?*

R. Non requiritur, ut sit nimis scrupulosa, sed mediocris, & humana; qualem solemus adhibere in rebus, & negotio magni momenti,

& quæ diligentia sufficit moraliter ad cognoscenda commissa peccata.

Q. *Dolor sive sit contritio sive attritio, ut sit sufficiens qualis esse debet?*

R. 1. Debet esse dolor *formalis* seu *actualis*, de peccatis commissis & simul propositum amplius non peccandi, & occasiones fugiendi.

2. Debet esse *universalis*, de omnibus peccatis. 3. Debet esse actus internus, non requiritur omnino externus. 4. *Supernaturalis*, factus ex motivo supernaturali, auxiliante gratia Dei. 5. Dolor debet esse *appretiative summus*, hoc est: peccator debet odio habere peccata super omnia alia mala, & debet esse paratus pati potius omnia mala, quam peccare mortaliter. Tandem dolor debet esse conjunctus cum spe veniæ.

Q. *Contritio & attritio in quibus conveniunt?*

R. In his: 1. Quod utraque versetur circa peccatum, detestando illud, ut est offensa Dei. 2. Utraque excludit voluntatem peccandi. Utraque debet esse supernaturalis, elicita ex motivo supernaturali, & cum auxilio Divino.

Differunt in his: 1. Quia *Contritio* procedit ex perfectiori motivo, scilicet ex *motivo bonitatis Divinæ*, & *amoris erga Deum*. *Attritio* vero ex motivo v. g. *turpitudinis peccati*, *amissionis cæli*, *vel ex metu gehennæ*. Qui dolor est etiam *supernaturalis*, & ad Pœnitentiæ Sacramentum omnino necessarius. 2. Quia *Contritio* perfecta potest hominem justificare extra Sacramentum, cum voto tamen saltem implicito suscipiendi Sacramentum. Commun. Theol.

Jam vero *Attritio* non est sufficiens extra; nisi intra Sacramentum.

Q. *Quando homo tenetur elicere contritionem?*

R.

R. 1. In articulo mortis, ſi non adſit Confeſſarius. 2. In tentatione, & occaſione ad peccandum. 3. Sacerdos in neceſſitate adminiſtraturus Sacramentum aliquod in peccato mortali exiſtens, ſi non habeat Confeſſarium.

§. VIII.

De Confeſſione.

Q. QUid eſt Confeſſio?

R. Eſt accuſatio de propriis peccatis coram legitimo Sacerdote ad eorum remiſſionem obtinendam per abſolutionem virtute clavium.

Q. *Quid eſt clavis modo dicta?*

R. Eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi, qua Confeſſarius poteſt dignos recipere, indignos a regno cæleſti excludere.

Q. *Quotuplex eſt integritas Confeſſionis?*

R. Duplex: *Materialis*, quæ tunc habetur, quando pœnitens omnia peccata ſecundum ſpeciem, & numerum confitetur. Alia *Formalis*: quando in aliqua neceſſitate confeſſis aliquibus peccatis, in aliud tempus reſervat reliqua. Poteſt quis excuſari a *materiali integritate*; numquam tamen a *formali*.

Q. *Magnus concurſus populi in die Indulgentiæ, vel feſtivitatis magnæ, an excuſat ab integritate materiali Confeſſionis?*

R. Non; contraria damnata ab Innoc. XI.

Q. *An tenetur pœnitens confiteri per interpretem, ſi idiomatis Confeſſarii ſit ignarus?*

R. Non; niſi velit ipſe ex pietate, neque tunc tenetur confiteri omnia, maxime ſi timeret aliquod ſcandalum.

Q. *In quibus caſibus licita eſt Confeſſio integra formaliter?*

R. 1, In extrema neceſſitate. 2. Si duo in-

firmi in eodem lecto jaceant. 3. Si sit parturiens fœmina. 4. Si vulnerato non possit postea adhiberi medicina. 5. In conflictu, naufragio.

Q. *Licitumne est fidelibus latini ritus confiteri coram Sacerdotibus Græcounitis, & e contra?*

R. Licitum est; decrevit S. Congr. de Propag. Fid. 1626. 1. Jun.

§. IX.

De Satisfactione.

Q. QUid *est satisfactio?*

R. Est compensatio pœnæ temporalis peccatis debitæ post remissionem culpæ per bona opera a Confessario injuncta, vel voluntarie assumpta.

Q. *Quotuplex est satisfactio?*

R. Una *in re*, quæ est ipsum opus a Confessario injunctum. Alia *in voto*, seu in proposito pœnitentis, quo velit obligationem annexam peccato adimplere, ac injuriam Deo illatam in hoc, vel in altero mundo reparare. Et hæc, etsi non sit pars essentialis Sacramenti, est tamen essentialis Sacramento, & implicite contenta in proposito observandi mandata Dei, inter quæ est etiam satisfactionis præceptum. *Gamach. Sacr. Pœnit.* C. 23.

Satisfactio in re est solum pars integralis Sacramenti, cum sine illa foret Sacramentum validum, v. g. si Confessarius illius imponendæ oblivisceretur, vel pœnitens illa non impleta, decederet.

Q. *Quot modis potest fieri satisfactio?*

R. 1. Per bona *Corporis*, v. g. jejunia, flagellationes, peregrinationes. 2. Per bona *Animæ*, v. g. orationes, spirituales lectiones,

Missas &c. 3. Per bona externa: uti eleemosynas, &c.

Q. *An Confessarius potest mutare pœnitentiam impositam a priori Confessario?*

R. Potest, sed solum in foro conscientiæ; si id ratio exigit, tenetur iterum pœnitens peccata sua confiteri, si recordatur. Pœnitens autem propria authoritate non potest mutare etiam in meliorem, vel majorem.

Q. *Ad quid tenetur pœnitens, qui oblitus fuit pœnitentiæ sibi impositæ?*

R. Non tenetur repetere confessionem, sed solum confiteri suam oblivionem, & tunc judicio Confessarii imponenda est nova pœnitentia juxta præsentem statum pœnitentis.

Q. *Quomodo peccat pœnitens, si sponte non absolvat pœnitentiam sibi impositam?*

R. Juxta *Suar.* Si fuerit gravis, & illam totaliter omittat, vel ejus notabilem partem, peccabit mortaliter. Si fuit levis, v. g. quinque *Pater*, & *Ave*, aut modica pars omittatur, non erit mortale; nam etiam hic parvitas materiæ excusat a mortali.

Q. *Quamdiu pœnitens possit pœnitentiam differre absolvendam?*

R. 1. Satisfactio seu pœna a Confessario assignata est duplex: *Medicinalis*, per quam pœnitens præservatur in futurum a relapsu; talis esset, si injungeretur consuetudinario fuga ab occasionibus peccati, oratio &c. juxta qualitatem conscientiæ pœnitentis. Alia *Vindicativa*, per quam intenditur vindicta peccatorum confessorum, uti est jejunium, disciplina, & alia pœnalia opera, quæ aliquando per longius spatium adimplentur.

R. 2. Tenetur absolvere pœnitentiam, quam primum commode poterit. *Bona.* Si satisfactionem vindicativam differat ad mensem, non esse mortale, docet *La-Cro. l. 6. p. 2.*

Q. *Si alicui injunctum sit omni die Sabbathi per annum jejunare, si illum diem omittat, num peccabit?*

R. Affirm. non tamen obligatur alio die jejunare. *Gob. Spor.* quia in talibus circumstantiis videtur mens Confessarii esse de jejunando die Sabbathi tantum, & non alio, nisi aliter expresse jusserit.

Q. *Persolvens pœnitentiam debetne esse in gratia Dei?*

R. Affirm. Si tamen per negligentiam differendo absolveret in statu peccati, venialiter solum peccaret. *Fill.*

Q. *Quid observandum in praxi Confessario, si gravior pœnitentia assignari debeat?*

R. Debet leniter pœnitentem disponere ad agnoscendam gravitatem suorum peccatorum. Semper tamen magis cavere debet excessum, quam defectum in assignanda pœnitentia; *facilius erit enim Confessario reddere rationem ex clementia, quam ex crudelitate.* Mens est *S. Chrysost.* Unde si Sacerdos suspicatur de aliquo, quod non sit absoluturus pœnitentiam ex imbecillitate, vel alia causa, debet ipsi assignare mitiorem, non obstante quod non sit proportionata peccatis. *Ger. par. 2.*

Non assignentur pro pœnitentia variæ diversæ orationes, quas pœnitens memoria tenere non possit, ob varios inde oriri solitos conscientiæ angores, & scrupulos.

Optime faciet Confessarius, quando injunget pœnitenti, ut ipse applicet pro peccatis suis merita, & passionis Christi satisfactiones.

Caveat Confessarius pro peccatis occultis, quantumvis gravibus injungere pœnitentiam publicam, utpote infamativam. Neque talem, ex qua domestici possent devenire in notitiam gravioris criminis, v. g. flagellationes, multa jejunia, nisi habeatur occasio, similes pœnitentias secreto peragendi.

§. X.

§. X.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Q. *QUæ est forma hujus Sacramenti?*

R. Sunt verba absolutionis a Sacerdote prolata, scilicet illa, *Ego te absolvo a peccatis tuis &c.*

Q. *Quæ verba sunt essentialia?*

R. Hæc: *Absolvo te.* In magno pœnitentium concursu potest omitti: *Misereatur*, & *Indulgentiam*. In gravi, & urgente necessitate hæc forma serviat: *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis.*

Q. *Quibus verbis solet dari absolutio in Confessione?*

R. Ex communi praxi Ecclesiæ his verbis: *Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum & tu indiges: Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. M. V. & omnium Sanctorum quidquid boni feceris, aut mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* *Nota*: ly, *Suspensionis* semper omittitur, si pœnitens nullum habeat ordinem, vel saltem primam tonsuram.

Forma absolutionis ab hæresi intra confessionem.

Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius & SS. Petri & Pauli Apostolorum, nec non Sanctiss. Domini nostri Papæ N. mihi concessa, nec hactenus revocata, absolvo

te

te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris propter hæresim, in qua vixisti, & incorporo te gremio S. matris Ecclesiæ communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem sanctæ Romanæ Catholicæ & veræ Apostolicæ Ecclesiæ. Deinde eadem authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris &c. Passio Domini nostri Jesu Christi &c.

Forma absolutionis a Suspensione, vel interdicto extra, vel intra Confessionem.

Misereatur &c. Indulgentiam &c. Authoritate mihi ab N. tradita: Ego te absolvo a vinculo suspensionis, vel interdicti, quam, vel *quod propter tale delictum N. vel causam incurristi, seu incurrisse declaratus es, In nomine Patris &c.*

Forma dispensationis super irregularitate: Post absolutionem a peccatis, subjunget Sacerdos sive intra, sive extra Confessionem.

Et eadem authoritate dispenso tecum super irregularitate, in quam ob causam N. incurristi, & habilem te reddo, & restituo executioni Ordinum, & officiorum tuorum, in nomine Patris &c.

Si nullum Ordinem habeat, dicatur: *Habilem te reddo ad omnes Ordines suscipiendos,* vel etiam ad alia juxta tenorem facultatis, seu mandati, & juxta exigentiam casus.

Quod si necesse sit titulum Beneficii restituere, & fructus male perceptos condonare, subjunget: *Et restituo tibi titulum, seu titulos,* si plures habet, *& condono tibi fructus male perceptos, In nomine Patris &c.*

Q. *An peccat, qui sine justa causa, in eadem Confessione absolutionem repetit super eadem peccata?*

R. Affirm. quia secunda absolutio est irrita, defectu novæ materiæ.

Si faciat id ex scrupulo, aut sit ita perplexus,

xus, ut æque malum putet esse, non repetere, quam repetere, poterit nullum esse peccatum.

Q. *Si pœnitens statim post Confessionem redeat, & sola venialia afferat, aut circumstantias mortalium non notabiliter aggravantes, repetendane est absolutio?*

R. Negat *Spor.* nisi adferat aliquod mortale.

Q. *An absolutio possit dari ab uno pluribus simul?*

R. Affirm. sic possunt absolvi multi milites in prælio dicendo: *Ego vos absolvo a peccatis.*

Q. *An absolutio data sub conditione de futuro v. g. absolvo te, si restituas, valida sit?*

R. Neg. quia non est in potestate Ministri suspendere effectum Sacramenti, absolutio tamen de præsenti, v. g. *absolvo te, si habes intentionem restituendi.* Etiam absolutio de præterito, v. g. *absolvo te, si restituisti*, valida est. Dum Confessarius absolvit sub conditione, sufficit solum in mente habere conditionem.

Q. *Quomodo verba absolutionis proferri debent a Confessario?*

R. Modo imperativo. *Comm. DD.* unde si proferrentur modo deprecativo, v. g. *Absolvat te Deus*, invalida esset forma, quia hoc Sacramentum institutum est a Christo per modum judicii, & ideo forma ejus debet proferri per modum judicialis sententiæ, non vero deprecationis, aut impetrationis.

Nota: Quod in Sacramento pœnitentiæ datur duplex absolutio, una peccatorum, altera censurarum consueta in illa oratione: *Dominus noster Jesus &c.* quæ juxta *Suar.* debet sub mortali prius dici a Confessario, quam absolutio a peccatis, maxime quando prudens dubium adest, num pœnitens non sit innodatus

tali

tali vinculo : quia Ecclesia graviter præcipit ; ut nemo excommunicatus ullum Sacramentum recipiat, antequam prius tollatur tale vinculum.

Q. *A quibusnam pœnitens Censuris absolvitur per illa verba : Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis &c?*

R. Ab omnibus in confessione expressis, quam etiam ab illis, quorum pœnitens non recordatur, aut ipse Confessarius hic & nunc ignorat, uti sunt plane innumeræ, inquantum facultas Confessarii se extendat, & pœnitentis adsit intentio satisfaciendi oneri, si aliquod adsit, & remaneat.

Q. *Quæ Oratio dici solet a Confessario supra pœnitentem immediate ante Confessionem?*

R. Hæc : *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne & competenter confitearis peccata tua. In nomine Patris, &c.*

Q. *An valida sit absolutio data ignorantibus necessaria necessitate medii?*

R. Invalida, Bened. XIV. *Encycl. T.* 1. n. 42. Si vero ignoret pœnitens *necessaria necessitate præcepti*, & rite doleat de hac ignorantia, ac emendationem promittat, posse absolvi judicat. *Idem ibid. n.* 12.

Q. *Quid Confessario faciendum est post auditas Confessiones?*

R. I. Debet Deo gratias agere pro collato sibi, & pœnitentibus auxilio ad hoc Sacramentum rite administrandum, vel suscipiendum, novaque sibi, & illis auxilia a Deo emendicare ad faciliorem propositorum executionem.

II. Exercere debet varios actus humilitatis, credens se longe magis ingratum esse omnibus suis pœnitentibus, ob majus lumen, uberiora auxilia, plura, & efficaciora præsidia, quibus tam segniter cooperatur.

III. Conetur oblivisci omnium auditorum in

in confessione, & surda aure recurrentes species, molesteque allatrantes pertransilire.

§. XI.

De Sigillo.

Q. QUid est sigillum confessionis?

R. Est obligatio illa, qua in secreto teneri debent peccata ex Sacramentali confessione cognita. Dicitur *metaphorice* sigillum, quia sicuti res sigillo materiali munitæ debent esse integræ, occultæ, & secretæ, ita peccata in confessione enarrata.

Q. *Quo præcepto obligatur Confessarius ad servandum sigillum?*

R. Triplici: *Naturali*, quia de jure naturæ, est servare secretum sibi commissum. 2. *Divino*, 3. *Humano*, seu *Ecclesiastico*. Tenetur confessarius ad sigillum, etsi ob aliquam rationem non dederit absolutionem pœnitenti. Item tenetur etiam post mortem pœnitentis, quia ex tali revelatione odiosum redderetur Sacramentum audientibus aliena peccata ex confessione cognita, & revelata.

Q. *Quæ cadunt sub sigillum?*

R. *Primo*. Omnia peccata pœnitentis tam ficta, quam vera. *Secundo*. Pœnitentia imposita, si gravis sit. *Tertio*. Virtutes aut defectus naturales pœnitentis, aut corporis occulta vitia, aut scrupuli, quoties hæc alioquin nota non sint, & eorum manifestatio creditur ingrata pœnitenti futura. *Quarto*. Omnis ea actio, quæ ex notitia peccati cum periculo directe, vel indirecte revelationis procedit. *Quinto*. Factum quodcunque ruborem, vel molestiam pœnitenti creans, si advertat id ex notitia confessionis procedere. *Fag. Lug.*

Q. *Qui obligatur ad sigillum servandum?*

R.

R. Præter Confeſſarium, omnis ille, qui licite, vel illicite, mediate, vel immediate audit aliquod peccatum, ſive ſit interpres, ſive caſu audierit.

Q. *Poteſtne Confeſſarius uti ſcientia cum damno occulto pœnitentis illato propter publicum bonum?*

R. Neg. nam Innoc. XI. in Congreg. gener. 18. Nov. 1682. inhibuit expreſſe ſcientia confeſſionis uti cum aliquo gravamine pœnitentis, ex qua reſponſione.

Nota Primo. Quod non poteſt Parochus ſuo famulo tenenti clavim, illam auferre, ſi præciſe ex confeſſione ſciat, quod illa abutatur. Poſſet tamen tunc alio licito modo ſubvenire ſuo, aut communi bono abſque fractione ſigilli, v. g. poterit obligare famulum, ut quantum poteſt reſtitutionem faciat, vel clavim ad manus Parochi deponat &c.

Secundo. Cavendum eſt omnibus Confeſſariis, ne dum vocantur ad audiendas confeſſiones illorum, quorum ex repetita confeſſione noverint conſcientiæ ſtatum, mutationem oſtendant faciei, multo magis dicant aliquid, per quod ſaltem in confuſo cognoſci ab illis poſſit illorum conſcientia, v. g. *ſemper unum loquitur &c.* aut aliquid ſimile. Tales noverint ſe eſſe hoc ipſo fractores ſigilli Sacramentalis.

Tertio. Caveant etiam ſummopere Sacerdotes in præſentia ſæcularium perſonarum ſermonem miſcere de confeſſione, v. g. proponendo dubia, enarrando inexpectatos, ridiculos, aut admirabiles ſibi, vel alteri cuipiam contigiſſe, vel audiviſſe caſus in confeſſione; id etenim notabilem in ſæcularibus parit admirationem, animi perturbationem, & ſæpe ſæpius grave ſcandalum, ac Sacramenti pœnitentiæ vilipenſionem.

Q. *An licet Confeſſario extra confeſſionem loqui*

qui cum pœnitente de peccatis in confessione auditis?

R. Comm. DD. non licet, quia talis loquela ruborem affert, & redderet confessionem odiosam. Licebit autem de licentia pœnitentis, si ipse prius de peccatis suis loqui incipiat, verum & hic cautus sit Confessarius.

Q. *Debetne pœnitens complicem peccati manifestare coram Confessario si aliter non possit explicare peccatum?*

R. Variæ sententiæ in hoc casu sunt DD. Proinde melius faciet pœnitens, si confiteatur coram Confessario, qui non noscat complicem peccati.

Q. *Licitumne Confessario interrogare pœnitentem de complicis nomine, aut loco habitationis, vel aliis adjunctis circumstantiis?*

R. Nullo modo licet, patet recentissime ex *Brevi* Bened. XIV. *Suprema omnium &c.* Et *Constitutione* ejusdem Papæ ann. 1746. *Ubi primum*, in qua sub excommunic. scilicet Papæ reservata, & in articulo mortis absolvenda, prohibet talia fieri.

In dicta *Constitutione* omnes obligat, qui aliunde, quam ex confessione sciunt Confessarium interrogare de complicis nomine, ut talem ad Episcopum denuntient. Postremo: *Ad perpetuam rei memoriam*, tulit ultime decretum confirmatorium utriusque *Constitutionis* suæ, quod incipit: *Ad eradicandum* ann. 1746. Caute itaque in hac re procedendum est Confessariis, prædicta enim prohibitio non tantum procedit de illo, qui interrogaret de *nomine complicis*, sed etiam *de officio*, *& aliis circumstantiis*, ex quibus curiose devenire possit persona complicis ejusdem, qui, seu quæ confitetur.

Q. *Si pœnitens occidisset fratrem Confessarii, vel cum ejus sorore peccasset, poteſtne tacere tale pec-*

peccatum in confessione, si non habet Confessarium alium, & præceptum confessionis urget?

R. Potest, cum proposito illud confiteri quam primum sine suo, vel alterius damno poterit. *Tol. &c.*

Q. *Licetne duobus Confessariis, qui pœnitentem de iisdem peccatis se accusantem audiverunt, ad invicem colloqui de auditis in confessione?*

R. Non, quia uterque sigillo obstrictus est.

Q. *Quomodo Confessarius respondere debet, si interrogetur de peccato pœnitentis?*

R. Non debet tunc tergiversari sic, ut pœnitentem reddat suspectum, sed respondere debet, etiam cum juramento, si opus sit, *se nihil scire de peccato illo*, scilicet in mente habendo: *ut hominem privatum, cui id revelare liceat.*

Q. *Confessarius ex certa causa non absolvit pœnitentem, hic autem rogat sibi dari testimonium confessionis, num Confessarius debet dare testimonium, quod sit confessus hic pœnitens?*

R. Plures DD. affirmant, alias esset fractio sigilli, veniret in suspicionem apud alios pœnitens. Nec tunc mentietur Confessarius, quia tantum testatur eum confessum esse. Nisi aliqua fraus pœnitentis interveniret.

Q. *Quotupliciter frangitur sigillum confessionis?*

R. Generaliter duobus modis: *Directe* tunc violatur, quando Confessarius expresse, vel aperte peccatum auditum, aut aliquod aliud dictum sub sigillum cadens manifestat. Et *Indirecte*: quando Confessarius licet nihil directe revelet, ita tamen verbis, vel signis se gerit, ut alter possit in notitiam peccati pœnitentis devenire, sive in specie, sive in confuso. Comm. DD.

Q. *Utrum liceat saltem indirecte violare sigillum?*

R. Nullo modo. Violaret autem Confessa-

rius indirecte sigillum. *Primo*. Si ob peccata occulta publicam imponeret pœnitentiam. *Secundo*. Si publice alicui negaret SS. Eucharistiam propter solam notitiam ex confessione habitam. *Tertio*. Si diceret, se non absolvisse Petrum, nullam aliam addendo rationem. *Quarto*. Si gravem pœnitentiam impositam pœnitenti propalaret. *Quinto*. Si Confessarius aversionem aliquam conciperet a pœnitente ex notitia in confessione accepta. His etiam & aliis similibus modis indirecte violaretur sigillum.

Q. *Sacerdos violans sigillum confessionis quot peccata committit?*

R. Tria: I. Committit peccatum *detractionis*, infamando proximum. II. Peccatum *infidelitatis*, non servando secretum in re gravissima. III. Committit *Sacrilegium*, faciendo contra reverentiam Sacramenti, & Religionis.

Q. *Quæ pœna statuta est pro Confessario revelante peccata in confessione audita?*

R. Depositio, intrusio in Monasterium, ad carceres perpetuos, ad triremes, fit infamis, & subinde irregularis secuta Judicis sententia. *Majol. Far. &c.*

Q. *An etiam ipse pœnitens teneatur ad sigillum, quo ad illa, quæ ipse dixit, vel Confessarius ei?*

R. Tenetur, non quidem ad sigillum Sacramentale, bene vero ad secretum naturale, & quidem sub mortali, quo ad illa, ex quorum propalatione sequeretur gravis infamia sui, aut Confessarii. *Felix Pot.*

§. XII.

De Confessario sollicitante Pœnitentem ad turpia.

Q. SI *Confessarius sollicitaret* (quod Deus avertat) *in confessione ad turpia, num posset talis absolvi a quovis Sacerdote?*

R. Quamvis committeret graviſſimum peccatum ſacrilegii, tamen jure communi non prohibetur abſolvi, niſi particularia alicujus Dœceſis ſtatuta aliud habeant.

Nota 1. Confeſſarius ſollicitans (quod ſi docuerit perſonam ſollicitatam non teneri ad eum denuntiandum, ſi confiteatur coram Confeſſario ſollicitante) non poteſt abſolvi, quia talis incurrit excommunic. Papæ reſervatam, ex Decr. Alex. VII.

Nota 2. Sacerdos ſollicitans antequam abſolvatur, debet exigi ab illo juramentum, ne amplius hoc crimen committat; ſi non vellet præſtare, non debet abſolvi tanquam indiſpoſitus; quia in enormibus omnino debet exigi juramentum. Comm. DD.

Q. *Daturne parvitas materia in ſollicitatione?*

R. Non datur, contraria opinio damnata eſt a Clem. VIII. teſte *Dia. p.* 3.

Q. *Quæ eſt obligatio pœnitentis ſollicitati a Confeſſario ad turpia?*

R. Tenetur per ſe, vel per alium ſub peccato gravi talem Confeſſarium deferre ad Epiſcopum, ſive ſollicitavit marem, ſive fœminam, ſive pro ſe, ſive pro alio, ſive in actu confeſſionis, ſive ante, ſive immediate poteſt: ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam tunc, aut poſt legendam. Bened. XIV. Conſtitutio, *Sacramentum Pœnitentiæ*.

Q. *Perſona ſollicitata neglecta denuntiatione poteſtne abſolvi?*

R. Si intra menſem non denuntiavit (quia tale tempus in edicto S. Inquiſ. ſtatutum eſt ad denuntiandum) & id *ſcienter* fecerit, incidit in excommunic. reſervatam S. Officio; conſequenter nullus inferior Confeſſarius poteſt abſolvere extra articulum mortis, neque ſub tempus Jubilæi. *Matheu. l.* 1.

Q.

Q. *Constitutiones Pontificum pœnas statuentes in sollicitantes sunt pro regnis nonnullis tantum?*

R. Sed eas *Greg. XV.* ad omnes fideles extendit Constitutionem *Universi Dominici gregis &c.*

Q. *Præceptum denuntiandi Confessarios sollicitantes, & pœnæ aliæ huic sollicitationi inditæ, an extenduntur etiam ad alia crimina a re venerea diversa?*

R. Non. *Bened. XIV. de Synod.*

Q. *Confessarius, si post sollicitationem statim se pœnitet sollicitasse, & hoc asserit pœnitenti sollicitatæ, debetne pœnitens talem Confessarium denuntiare?*

R. Debet sub peccato mortali, & sub excommunic. nam quilibet sollicitans ad effugiendas pœnas potest dicere se pœnituisse de sollicitatione, nam non sufficit post delictum se pœnitere, sed necessaria punitio ob bonum publicum. *Lez. Bon. Cab. &c.*

Q. *Confessarius sollicitans, quomodo sibi potest consulere, ut veniam impetrare possit?*

R. Debet sponte comparere coram Episcopo, & ibi fateri suum delictum, veniam petendo, & ita illam consequetur. *Lez. &c.* Ut autem præfatus delinquens gaudere possit *beneficio sponte comparentium*, necesse est, ut nullis præventus indiciis coram Episcopo compareat. Etsi est præventus, gaudebit beneficio comparentium non citatorum. *Far. Matheu.*

§. XIII.

Reliqua scienda de Confessione.

Q. C*onfessionem quis instituit?*

R. Christus Dominus (non Ecclesia prout mentiuntur diffidentium pastores) dicens ad Apost. *Quæcunque ligaveritis &c.* Matth. 18.

Et

Et Joann. 20. Proinde monet S. Jacob. c. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Q. *Nonne satis est soli Deo (cui nota sunt) confiteri peccata ?*

R. Non; quia Christus statuit, *loco cit.* etiam servis suis, videlicet legitime ordinatis Sacerdotibus, confitenda esse.

Neque sufficit se accusare coram Sacerdote, dicendo: *se esse peccatorem*, citatis enim textibus constituit Christus in Ecclesia sua judices spirituales cum potestate remittendi, & retinendi peccata, ut igitur sciant, quando *ligandum*, vel *solvendum*; quid *remittendum*, quid *retinendum*, omnino necessaria est distincta peccatorum confessio.

Q. *Utique Christus Magdalenam, & quosdam alios sine confessione absolverat ?*

R. Licitum illi fuerat, cui arcana cordium perspecta erant, habenti præterea absolutam potestatem.

Q. *Quod si pœnitens, alias bene dispositus, obliviscatur quorundam peccatorum ?*

R. Absolvitur etiam ab illis, quia fecit quantum modo humano poterat, quæ enim memoria excidunt, hæc confiteri, non est in nostra potestate.

Q. *Sed David ait* : Delicta quis intelligit? *Psalm.* 18.

R. Non est necesse ut pœnitens omnino comprehendat quantam delicta sua malitiam contineant: ad Confessarium spectabit talia humano modo discernere.

Q. *Fueratne confessio tempore Apostolorum in usu ?*

R. Fuerat: teste Jacob. c. 5. Et Actor. 19. *Multi credentes veniebant confitentes & annunciantes actus suos*. Et Joann. 1. Ep. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis, & justus, ut remittat peccata nostra.*

Q. *Ad*

Q. *Ad quid in confessione generali, id est in* Confiteor Deo &c. *fit mentio Sanctorum utique soli Deo, non Sanctis confessio instituenda?*

R. Falsum est, quod soli Deo, sed omnino etiam Sacerdoti facienda est; jam si coram homine mortali confiteor, cur præterea non potero protestari me quoque coram omnibus Sanctis cum Deo regnantibus fateri delicta mea.

Q. *Utilisne pœnitenti talis confessio, quæ coram ministro acatholico instituitur cum sola protestatione universali, se esse peccatorem, & in multis deliquisse?*

R. Non: & quidem ideo 1. quoniam id non est vere confiteri, & revelare ipsa peccata, sed solum in confuso fateri se peccatorem esse, quod ordinarie facere solent homines, modo se offerat occasio, etiam in medio fori, & coram quibusvis adstantibus.

2. Siquidem hujusmodi ministri sint puri laici, nullam prorsus habent potestatem absolvendi a peccatis, sicut plurimi ex illis ultro fatentur; ac proinde docent: *peccata per solam fidem in Christum remitti, pastor vero solum pœnitenti annuntiat, quod remissa sint peccata.* Ita *hæretici communiter.*

Veri Sacerdotes legitima Ordinatione & jurisdictione pollentes non annuntiant pœnitenti peccata sua esse remissa, sed habent potestatem a Christo collatam remittendi ea nomine Christi, cum expresse dicat: *Quorum remiseritis peccata &c.*

Q. *Quæ sub gravi obligatione tenentur Confessarii explicare illis præcipue, qui primo confitentur?*

R. Præter credenda necessitate *medii & præcepti*. 1. Animam hominis esse immortalem.

2. Quod Deus nobis dat bona supernaturalia, & remittit peccata ex meritis & passio-

ne Christi. 3. Quod gratia Dei sit nobis omnino necessaria ad consequendam salutem animæ. 4. Quod in Sacramentis Deus nobis infundit gratiam, promisitque æternam beatitudinem ex meritis Christi. 5. Quod Deus sit unicus noster finis.

Gravis insuper est obligatio Parochorum ut de virtutibus Fidei, Spei, & Charitatis erudiant suas oves, ut saltem sex vicibus, si non plus eliciant hos actus Fidei &c. per annum.

Q. *Quæ sunt Confessario observanda circa confessionem adolescentum puerorum & puellarum?*

R. Multi Doctores censent cum illis maximam esse difficultatem, quia sæpe dubium est, an habeant annos discretionis, an reipsâ peccaverint, &c. Proinde hæc sunt observanda: 1. Parvis, quamvis non sint aliquando capaces absolutionis, expedit illis permittere Confessionem, ut discant, & assuescant confiteri. *Unde tenetur Confessarius illos extra Confessionem instruere, quærendo primo de rudimentis fidei, tandem quæ spectant ad Confessionem & Communionem.*

2. Si Confessarius dubitet, an pueri vel puellæ septennes habeant sufficientem usum rationis, debent absolvi *sub conditione*, quia nullus privandus est jure suo ob aliquod dubium; *non vero absolute*; ob periculum nullitatis. *Gob. &c.*

3. Inculcet Confessarius horrorem peccati: *quia reddit animam turpem, & deformem instar dæmonis: reddit Deo odibilem, quia Deus vario modo hic temporaliter, ibi æternum punit &c. &c.*

4. Si Confessarius judicet talem parvum esse absolvendum, debet ipsum inducere ad dolorem, v. g. *Fili, qui peccant, quo perveniunt*

post

post mortem? Utique ad infernum, vel purgatorium; o quam graves pœnas ibi patiuntur! Quis detrudit ad tales pœnas homines? Deus. Ecce Deus id effecit, quod non sis hucusque detrusus, an non amandus talis Deus, qui tibi hæc, & alia multa bona præstat? ipse creavit, ipse redemit nos &c. amasne tam bonum Dominum &c. dolesne? Eodem modo procedendum cum rudibus.

Q. *Si pœnitens nullum habet peccatum, seu nullam adfert absolutionis materiam?*

R. Reperientur aliquando maxime ex rudibus nonnulli, immunes ab omni gravi noxa; proinde talis ex anterioribus confessionibus repetat aliquod peccatum, vel, sub conditione absolvendus erit.

Q. *Qualis pœnitentia pueris, & aliis rudibus imponenda est?*

R. Plerumque preces tantum imponendæ sunt, & quidem tales, quos statim post confessionem, vel proximo festo absolvere possunt. Interdum potest assignari frequentatio confessionis, concionis, vel alicujus devotionis in Ecclesia.

Q. *Quid in confessione mutorum & surdorum observandum venit?*

R. Ducendi sunt ad locum separatum, & (nisi scripto confiteri possint, & benevole velint) monendi sunt, ut genua flectant, nutu vel signo aliquo peccata sua confiteantur, quorum si aliqua quocumque modo narraverint, poterit illis Confessarius signum dare, percutiendo pectus, & oculos in cælum elevando, quo inquirat, num doleant de peccatis, pro pœnitentia assignando vel terram osculari, vel ostendere in globulis Rosarii, aut digitis tot & tot preces absolvendas, &c. Si acceperit Confessarius signum doloris, sine scrupulo absolvat,

 cum

cum in tali casu non requiratur confessio *integra materialiter*, sed sufficiat *formalis integritas*.

Q. *Quid agendum cum eo, qui a nativitate cæcus, mutus, & surdus existit?*

R. Talis præter Baptismum non posset ullum aliud Sacramentum recipere.

Q. *Quæ sunt maxime adhuc observanda Confessario?*

R. Præter dicta superius: I. Cavere specialiter debet, ne inter audiendas Confessiones dormitet, distrahatur, aut omnino obliviscatur peccatorum, antequam injunxerit pœnitentiam: nam si omnino nil percepisset de aliquo peccato, debet statim interrogare.

Si enim aliquid intellexisset, potest ad finem differri interrogatio, ne pœnitenti causet distractionem, dummodo moralis adsit certitudo, quod memoria non excidet. Si tamen perspectam habens pœnitentis conscientiam prudenter præsumere posset, eum nonnisi venialia confiteri solere, neque de peccato non percepto sine molestia illius possit interrogare, potest tunc interrogationem omittere.

Quod si nullum omnino percepisset peccatum, licet respectu talis pœnitentis etiam tunc omitti posset interrogatio, suadet tamen *Gob. T.* 1. Ut si absque notabili molestia pœnitentis fieri possit, jubeat repeti unum v. g. ultimum ex narratis peccatis.

II. Non nimis cito deproperet confessiones eo fine, ut plures audiat, meminerit moniti sapientissimi, *Gerso. Eligibilius est paucos audire complete, quam multos imperfecte . . . mallem, namque si Curatus essem, multorum differre confessiones post Pascha etiam, ubi quidam non redirent, quam quod cæcus cæcos seducerem, dum pro vere absolutis, ipsi non recte absoluti se gererent.*

III.

III. Tolerans ſit Confeſſarius moleſtiarum, & faſtidiorum, quæ pœnitens affert. Etenim qui nihil moleſtiæ in hoc Miniſterio ferre vult, plane ſe ineptum ad illud oſtendit. Signa proinde intolerantiæ aut nauſeæ (Deus avertat) nunquam prodat; his enim facile moveri poteſt pœnitens, ut ſacrilegio ſe involvat, reticendo quod admiſit, aut abrumpendo, aut excuſando, quod addendum fuit, & favendum; de quo ſane Confeſſario graviſſima coram Deo ratio reddenda manet.

Hoc loco ipſa praxis docet: mire conducere ad pœnitentis animum conciliandum, ſi ab initio Confeſſionis ſuaviter nomen illius quæratur (maxime ſi ſimplicior & rudior ſit) v. g. Age, dic mea anima, vel bone homo quando ultimo confeſſus es? & quibus peccatis Deum amantiſſimum Patrem tuum offendiſti? &c. *Tales enim quæſtiones præambulæ miros animos addunt pœnitenti, unde colligere poteſt, Confeſſarium in viſceribus charitatis cum eo agere paratum eſſe qui alioqui, ſi Confeſſarius nihil dicat uſque ad finem Confeſſionis, terretur, & hominem ſeverum ſuſpicatur, peccata ſubticet, aut certe minus confidenter ea exponit.*

Q. *Si aliquando duriores & laxiores reprehendendi ſunt?*

R. Id pariter fieri debet circa finem Confeſſionis in ſpiritu charitatis & lenitatis, abſtinendo ab omnibus conviciis, præſcribendo media, abſterrendo a peccatis, adhortando ad virtutes. Quo tamen in negotio ſedulo cavebit, ne fructum bonæ ſementis, a ſua potius induſtria, quam a Deo expectet, & pœnitentes nimis urgeat, ut uno quaſi volatu ad culmen perfectionis aſcendant. Conetur potius bonas cujuſque propenſiones cognoſcere, & methodum bene vivendi cujuſque conditioni, profectui, & viribus, convenientem præſcribat.

Præcipue vero laboret, ut pœnitentes ipsius assuescant omnia sua opera ad Deum referre, omnia de manu ejus patienter acceptare, ejusque voluntati æquo animo acquiescere: ad protectionem B. V. M. in necessitatibus magna cum fiducia confugere: examen conscientiæ quotidie facere: Sacramenta frequentare: liberorum & domesticorum sedulam curam gerere, occasiones peccatorum fugere, &c. hæc enim omnia, uti magis ab ipsis requirit Deus, ita præ omnibus aliis supererogatoriis grata atque accepta eidem erunt.

Nota: Homines prudentia præditi, docti, & valde graves, aut in magna dignitate constituti (præcipue si viri sint) plerumque non sunt arguendi, aut admonendi, cum prudenter supponi possit, quod ipsi jam sciant Officium suum, neque adeo magnum ex tali exhortatione fructum hausturi sint.

Etiam eos, qui frequenter confitentur, si multi adsint pœnitentes, plerumque sine adhortatione dimittet Confessarius.

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

De Reservatis Casibus.

Q. *Quid est reservatio?*

R. Est restrictio jurisdictionis in Confessario, ne pœnitentes suos in certis casibus, seu a certis peccatis absolvere possit.

Q. *Quid est casus reservatus?*

R. Est peccatum mortale, cujus absolutio nulli Sacerdoti permittitur etiam approbato, sed manet penes Superiorem, vel penes delegatum ab eodem.

Q. *Daturne in Ecclesia potestas reservandi ali-*

aliqua peccata ita ut inferior non valeat ab iis absolvere?

R. Datur: cum enim Christus principaliter & irrestricte Petro, ejusque successoribus dixerit: *Quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*, ideo poterunt hi, justis de causis, & propter majus bonum animarum, etiam potestatem absolvendi in Presbyteris inferioribus ligare.

Q. *Qui finis quod peccata nonnulla reserventur?*

R. Eo fine id fit, ut subditi intelligentes hujus aut illius sceleris absolutionem difficulter posse obtineri, magis exinde illius gravitatem apprehendant, ac ab eo committendo deterreantur.

Q. *Quomodo dividuntur casus reservati?*

R. In Papales, & Episcopales, & Prælatorum Regularium pro suis Religiosis.

Papa enim reservare potest pro tota Ecclesia: Episcopus pro tota Diœcesi; Minister Generalis pro toto Ordine.

Item alii sunt reservati cum annexa censura, alii sine ea, sed solum simpliciter sunt reservati.

Q. *Qui, & quot sunt casus reservati Papæ?*

R. Sunt varii, quorum 20. sunt præcipui, qui in *Bulla Cœnæ Domini* continentur.

Q. *Unde sumpta est hæc denominatio Bullæ Cœnæ Domini?*

R. Quia singulis annis Feria v. Magna, seu in die Cœnæ Domini publicari solet.

Reliqui vero casus partim sunt in *Jure Canonico*, partim in variis *Constitutionibus* Apostolicis, id est Pontificiis contenti. Sciendum autem est, quod fere omnia peccata Papæ reservata, ordinarie habent annexam excommunicationem Papæ reservatam.

Q. *Qui sunt casus, & excommunicationes Papæ reservatæ in Bulla Cœnæ?*

R. 1. Incidunt in Excomm. hanc, 1. Omnes hæretici, schismatici, eorumque fautores. Legentes libros hæreticorum de Religione tractantes, domi retinentes, vel imprimentes. Porro reservata est hæresis formalis & externa. Nam hæreticus pure externus (qui scilicet alio præsente negat verbis aliquem fidei articulum intus tamen credit) potest a quolibet approbato absolvi, quamvis peccaret graviter ratione scandali, & in foro externo puniretur.

2. Appellantes a Papa ad futurum concilium, eorumque fautores.

3. Pyratæ in mari Pontificio, eorumque fautores.

4. Naufragantium Christianorum bona surripientes.

5. Imponentes nova pedagia, seu gabellas præter habentes authoritatem ad hoc, uti sunt Reges, Principes absoluti in terris suis.

6. Falsificantes literas Apostolicas, vel falso fabricantes.

7. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Turcas, & alios nominis Christiani hostes.

8. Impedientes eos, qui victualia, aut alia necessaria Romam convehunt.

9. Vexantes, vel offendentes eos, qui Romam eunt pro negotiis, sive per se, sive per alium, *similis casus est n.* 10. & *n.* 12.

10. Offendentes, vel ostiliter insequentes Cardinales, Episcopos, & Legatos Apostolicos.

11. Appellantes a gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad laicam potestatem.

12. Usurpantes judicium competens Ecclesiasticis Judicibus.

13. Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt.

14. Impedientes, ne Judices Ecclesiastici sua jurisdictione fungi possint. Item qui eludunt judicium Ecclesiasticum, & recurrunt ad sæculares omnium horum auxiliantes & faventes.

15. Usurpantes fructus seu proventus Ecclesiasticos.

16. Imponentes Decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, & Monasteriis, sine licentia expressa Papæ.

17. Judices sæculares, Notarii &c. se interponentes in causis criminalibus contra spirituales, illos processando, capiendo, vexando, sine licentia Papæ.

18. Occupantes terras aut bona Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

Q. *Qui sunt casus & Excommun. Papæ reservata extra Bullam Cœnæ?*

R. Sunt plurimi, de nonnullis sparsim in variis materiis in hoc libro dictum est; alii in partibus nostris usitatiores hic sequuntur. *Ex Wigan. c.* 11. *&c.*

1. Incurrunt Excommun. Papæ reservatam: Sacrilegi effractores Ecclesiarum, ut eam spolient.

2. Communicantes in crimine cum excommunicato a Papa.

3. Omnes viri ingredientes Monasteria Monialium, & e contra omnes mulieres intrantes Monasteria Religiosorum.

4. Dantes, aut recipientes aliquid pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam.

5. Docentes & defendentes propositiones damnatas.

6. Sepelientes hæreticos in loco sacro.

7. Impedientes executionem literarum sacræ Pœnitentiariæ.

8. Tertiarii portantes habitum Fratrum Minorum sine licentia eorum.

9. Concionatores, qui S. Scripturæ sensum ab interpretatione Doctorum alienum, circa tempus Antichristi, & extremi judicii, & alia similia revelata prædicant.

10. Religiosi Apostatæ a Religione sua, quamvis maneant in Fide Cathol. Si enim non manerent in Fide, incurrerent casum Bullæ Cœnæ.

11. Religiosi & Clerici sæculares inducentes aliquem ad vovendum, jurandum, aut promittendum per pactum, ut in eorum Ecclesia sepulturam quis eligat, vel jam electam non mutet; etsi effectus sepulturæ non sit subsecutus. *In Clem.*

Non incurrunt, si ad id solum dederunt consilium, & adhortationem. Nec incurrunt excommunicationem, si inducant, ut quis eligat in aliena Ecclesia. Nec incurrit, qui non est Religiosus aut Clericus, quamvis inducat ad vovendum &c. *Mattheu.*

12. Omnis Sacerdos incurreret excommunic. Papæ reservatam, & invalide absolveret, si absolveret complicem suum contra sextum Præceptum Decalogi. Sive persona complex sit mas, sive fœmina: sive peccatum contra sextum præceptum sit opere consummatum, sive non; imo etsi tantum fuerant oscula vel tactum: etsi persona pœnitens complex sit ea, cum qua Confessarius peccavit tunc, cum adhuc in statu Laicali fuerat. Ita resolvit S. Pœnitentiaria Rom. 1751. 3. Sept.

13. Committentes simoniam confidentialem, h. e. quando aliquis accipit Beneficium eo pacto, ut illud alteri, qui modo est incapax, postea resignet.

14. Post defunctos Clericos rerum quarumcumque usurpatores; id est, in quacumque

spe-

ſpecie, ſive in pecunia, ſive in alia ſupellectili; requiritur tamen ſemper quantitas ſufficiens ad peccatum mortale: quia cenſura excommunic. præcipue Papalis, non fertur ob leve peccatum.

15. Regulares adminiſtrantes Viaticum, extremam Unctionem; ſolemnizantes Matrimonium ſine privilegio, vel ſpeciali licentia Epiſcopi, aut Parochi.

Excommunicationes Papæ non reſervatæ uſitatiores, ex Wigand. c. 11.

1. Contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus.

2. Cogentes fœminas ad Matrimonium, vel monaſterium.

3. Negligentes adminiſtrare juſtitiam Eccleſiaſticis &c.

§. II.

Reliqua ſcienda de reſervatis.

Q. *Suntne adhuc plures caſus habentes annexam cenſuram tam reſervatam, quam non reſervatam?*

R. Sunt, quorum ſeries etſi Confeſſario ſit ignota, non tamen exinde debet torqueri, & anxius eſſe. Judicium enim hoc Sacramentale humano modo exerceri debet, foret autem imbecillitati humanæ onus plane inſupportabile noſcendi omnes cenſuras, & memoria tenendi *Comm. DD. apud Rey. p. 1. Inſt. 6.*

Q. *Qui ſunt caſus Epiſcopo Diœceſano reſervati?*

R. Sunt illi, quos ſibi unuſquiſque Epiſcopus pro ſua Diœceſi ſpecialiter reſervat, a quibus nec Regulares abſolvere poſſunt ſine licentia Epiſcopi. *Contrar. damn. ab Alex. VII.*

Hi autem caſus non poſſunt per extenſum

recenseri, cum non sint uniformiter in omni Diœcesi iidem, sed pro libitu Episcoporum, juxta statum suæ Diœcesis diversi excipiuntur.

Q. *Quæ sunt observanda de casibus Bullæ Cœnæ?*

R. Hæc: I. Hi casus habent strictissimam reservationem, & annexam excommunicationem Papæ reservatam, cum derogatione privilegiorum quibuscumque concessorum. Unde præfatos casus, si qui memoria tenere non possint, debent eos apud se habere, ut cognoscant, ne errent, absolvendo illos, ad quos jurisdictio eorum non extenditur.

II. Sacerdos a casibus Bullæ Cœnæ absolvere præsumens extra periculum mortis, incurrit excommunic. ipso facto, licet non reservatam (a qua possit absolvi ab Episcopo. *Ita Wigand.*) & peccat mortaliter.

Ordinarie a casibus Bullæ Cœnæ, Papa absolvit, *si tamen sint occulti, & nondum ad forum contentiosum deducti*, absolvere potest Episcopus per seipsum, vel per suum Vicarium. *Trid. Sess.* 24.

Q. *An potest Episcopus in aliquo casu absolvere a casibus Bullæ Cœnæ etiam publicis?*

R. Potest, si adsint impedimenta, propter quæ pœnitens personaliter neque potest adire Nuncium Apostolicum neque Romam, quia Ecclesia utpote Mater censetur id concedere. *Wigand. &c.*

Q. *Quæ sunt illa impedimenta?*

R. 1. Si sit periculum mortis in itinere. 2. Si sit longa infirmitas, etiam non periculosa. 3. Si sit paupertas, ut si cogeretur mendicare, qui alias non solebat. 4. Ætas senilis, vel juvenilis. 5. Sexus fragilitas, ut si sit fœmina. 6. Si pœnitens non sit sui juris, ut filius respectu Patris, servus respectu domini. 7. Cura animarum. 8. Debilitas,

ob

ob quam molestiæ itineris ferri non possunt; item si sit cæcus, claudus &c. 9. Quodvis impedimentum, quod arbitrio prudentis judicatur legitimum.

Q. *Confessarius simplex an potest absolvere in articulo mortis a censuris?*

R. Potest ab omni hæresi, etiam publica: a duello, ab omnibus censuris sive sint *Bullæ Cœnæ*, sive extra *Bullam Cœnæ*.

Hæc tamen tunc esset observanda. I. Quod eo casu absolveret tantum *indirecte* ab iisdem censuris. Unde antequam absolveret sub peccato mortali obligatur imponere tria onera: 1. Ut pœnitens, si convaluerit, præsentet se Superiori, id est habenti potestatem in reservata. 2. Ut faciat promissionem de stando mandatis Ecclesiæ. 3. Si satisfactio debet fieri, debet id exequi, vel saltem cautionem juratam dare, tandem absolvat sub dicto onere: ut cessante morbo, præsentet se Superiori, vel coram ipsomet Confessario, postquam sibi procuraverit facultatem absolvendi; quod si id non præstiterit, ob inobedientiam, novam incurret excomm. Papæ reservatam.

II. Pro censuris reservatis in Bulla Cœnæ requiritur juramentum, seu promissio jurata; pro reservatis autem extra Bullam Cœnæ in foro Sacramenti sufficit simplex promissio: jam vero juramentum exigitur tantum pro foro externo. *Felix Pot.*

III. Absolutus in articulo mortis a reservatis, quæ non habent annexam censuram, licet convaluerit, nulli superiori tenetur se sistere, quia tunc omnis reservatio cessat.

Q. *Dum pœnitens invincibiliter ignorat tali vel tali peccato esse annexam reservationem Episcopi, num incurrit reservationem?*

R. Affirmat. quia reservatio principaliter afficit Confessarium, tollendo ipsi facultatem

in

in ordine ad abſolvendum a tali peccato pœnitentem.

Q. *Utique pœnitens non incurrit caſum Papæ reſervatum, ſi invincibiliter ignorat?*

R. Quia Papa ordinarie non reſervat ſibi caſum, niſi habeat cenſuram annexam; cenſura autem (ſi invincibiliter ignoretur) non incurritur, quia homo non cenſetur tunc fuiſſe contumax & Eccleſiæ inobediens. Epiſcopi vero ſolent caſus reſervare ſibi ſine cenſuris annexis.

Duo tamen caſus reperiuntur Papæ reſervati ſine cenſura. I. Malitioſa & injuſta accuſatio ſollicitationis contra Confeſſarium innocentem; taliter accuſantem nullus Sacerdos quocumque privilegio ac indulto munitus extra articulum mortis poſſet abſolvere, præter Romanum Pontificem. *Bened. XIV. Conſtit. Sacram. Pœnit.* II. Receptio donorum a Regularibus etiam Superioribus oblatorum (exceptis quæ fiunt propter remunerationem vel eleemoſynam) Urb. VIII. *Conſt. Nuper*, ubi ſtatuit, ne Confeſſarii ordinarii poſſint abſolvere præfatum caſum poſt publicationem ſuæ Bullæ, & ſi donum excederet 10. ſcuta, recipiens illud ne quidem a S. Pœnitentiaria poſſit abſolvi, niſi prius facta reſtitutione doni; quod etiam confirmavit Bened. XIV. in Bulla *Paſtoralis*, an. 1744.

Q. *Filia habens caſum reſervatum ſive ſine, ſive cum annexa cenſura, & adſtante matre debet ad S. Synaxim accedere. Vel Sacerdos in ſimili aliquo reſervato habet neceſſitatem celebrandi Miſſam, ſed caret Sacerdote approbato pro reſervatis, quid facere debet?*

R. Confiteri debet cuicumque approbato, ut abſolvatur *directe* a non reſervatis; *indirecte* vero & *conſecutive* a reſervatis.

Hoc tamen caſu habet obligationem poſtea adeundi ſuperiorem, ut *directe* a reſervato ab-

ſolvi

solvi possit. Vel eidem Confessario tenebitur confiteri, postquam procuraverit facultatem absolvendi a reservatis.

Q. *Regulares an subjacent casibus ab Episcopo reservatis?*

R. Non exempti, subjacent; exempti vero non subjacent, quia quo ad hoc non subsunt jurisdictioni Episcopi. Comm. DD.

Q. *Si quis commisit reservatum in sua Diœcesi, & accedet ad Confessarium in alia Diœcesi, in qua non est reservatum, rectene absolveretur?*

R. Affirmat. nisi venit in fraudem reservationis, tunc enim ratione malæ dispositionis absolvi nequit, fraus enim nemini patrocinari debet.

Q. *Si quis vero commisit delictum in Diœcesi ubi non est reservatum, an potest absolvi in Diœcesi ubi est reservatum?*

R. Non potest, ob subtractam facultatem Confessario.

Q. *Qui confessus est Sacerdoti habenti potestatem in reservata, & sine sua culpa oblitus exponere reservatum, an potest illud reservatum postea confiteri Sacerdoti non habenti potestatem in reservata, & ab eo absolvi?*

R. Potest, quia in priori absolutione sublata est reservatio per Sacerdotem, qui potuit absolvere ab ea.

Q. *Facultas concessa in reservata pro foro interno num expirat morte concedentis?*

R. Non, cum sit gratia.

Secus dicendum de jurisdictione pro foro externo, hæc enim mortuo delegante expirat, quia hæc facultas habet potius rationem mandati, & non gratiæ; mandatum autem expirat morte mandantis. *Lay. l. 5. &c.*

Q. *Qui habet facultatem absolvendi ab omnibus Papæ reservatis, potestne tunc etiam a reservatis Episcopo absolvere?*

R.

R. Non potest, nisi expresse habeat facultatem & in reservata Episcopo.

§. III.

De actibus humanis.

Q. QUid est actus humanus?

R. Est libera hominis operatio vel omissio.

Q. *An est unum dicere, actus hominis, & actus humanus?*

R. Theologice loquendo, non sunt idem, quia *actus hominis* est quæcumque actio ab homine procedens, sive sit libera, sive necessaria, sive cum advertentia, sive sine ea, v. g. *crescere*, *nutriri*, *&c.*

Jam vero, *actus humanus* est tantum illa actio, quæ ab homine procedit prævia cognitione, & voluntarie, sive ille actus sit bonus, sive malus, ut *exercere virtutes*, *committere peccatum*.

Q. *Actus humanus quotuplex est?*

R. Triplex: *Primus Moraliter bonus* est actus conformis rectæ rationi, & regulis morum, v. g. *Amor Dei*, *actus Fidei &c.*

Secundus. Actus moraliter malus, est actus difformis rectæ rationi, & regulis morum, v. g. *odium Dei*, & alia peccata omnia.

Tertius. Actus indifferens, est actus ille, qui neque est conformis, neque difformis rectæ rationi, & regulis morum, v. g. ambulatio, & recreatio secundum se considerata, neque est bona, neque mala; tamen potest esse bona, si fiat cum intentione bona. Contra, potest esse mala, si in finem malum instituatur.

Q. *Quibus modis procedunt ab homine actus tam hominis, quam humani?*

R.

R. Cogitatione, locutione, & operatione; vel horum omnium omissione.

Q. *Actus humanus quotuplex adhuc considerari potest?*

R. Duplex: I. *Actus necessarius*, qui necessario procedit ab aliqua potentia, hoc est, qui positis omnibus requisitis non potest non poni, v. g. intellectio ab intellectu, & primi motus a voluntate necessario procedunt.

II. *Actus liber*, qui libere procedit a voluntate, v. g. locutio, visio &c.

Nota: Actus internus est ipsa volitio, ver. gr. quando quis vult & intendit aliquem occidere. *Actus externus* est ipsa actualis occisio.

Q. *Actus externus an addit bonitatem vel malitiam actui interno?*

Q. Actus externus per accidens habet distinctam malitiam & bonitatem ab actu interno, ita ut cum actu interno faciat majorem bonitatem, vel malitiam extensive.

Q. *Quæ sunt constitutiva actus humani?*

R. I. *Voluntarium*, & est, quod procedit ab intrinseco, ex cognitione finis, sic amor Beatorum in Deum est voluntarium, est tamen simul necessarius, seu non liber, quia impossibile est Deum videre in Patria, & eum non amare.

II. Et *liberum*, quod procedit ab extrinseco aliquo principio se ipsum ex electione determinante, ita ut possit se non determinare. Sic opera bona & mala libere procedunt ab hominibus. Hinc omne liberum est voluntarium, non e contra.

Q. *Quotuplex est voluntarium?*

R. Multiplex: *formale*, *actuale*, *habituale*, *virtuale*, & de his ita loquendum est, sicut de divisione intentionis.

Aliud *directum*, quando aliquid volumus in se ipso. Si v. g. aliquis omittit Missam audi-

re

re studio, & ex negligentia. Et *indirectum*, quando unum volumus in alio. Sic indirecte volo omittere Sacrum, dum venationem die Festo instituo.

Aliud *interpretativum*, quod formaliter hic & nunc non pendet a voluntate alicujus; tamen fit dependenter ab aliqua interpretatione, & præsumptione de illius voluntate, ex quibusdam rationibus, signis & circumstantiis, v. g. Si servus aliquid faceret præsente, & non contradicente Deo.

Q. *Actus humani unde desumunt suam moralem bonitatem & malitiam?*

R. Ex objecto, ex fine, & ex circumstantiis.

Notandum: Ut sit *actus bonus honestus*, debet necessario desumere suam bonitatem ex triplici capite: *Ex objecto, fine, circumstantiis, prout conveniunt naturæ rationali, & legi Divinæ*, nimirum debet esse de objecto bono, vel saltem indifferente, sed conducibili ad bonum finem; debet fieri modo conveniente, debet esse in circumstantiis objecto debitis, & debet esse propter finem honestum.

Secus dicendum *de actu malo*: ut sit actus malus malitia ejus potest desumi non tantum ex triplici, aut duplici, sed etiam ex uno capite, v. g. si fiat aut propter finem malum, aut objectum inhonestum, aut circumstantias inhonestas, & disconvenientes naturæ rationali, & legi Divinæ. *Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.*

Q. *Quot sunt regulæ morum seu actionum humanarum?*

R. Duæ: *Ratio* seu dictamen conscientiæ; & *Leges*, quæ fundantur in voluntate Divina.

§. IV.

§. IV.

De Conscientia.

Q. Quid est Conscientia, seu dictamen rationis?

R. Est judicium practicum particulare, quod dictat hic & nunc tale malum esse fugiendum, & tale bonum esse amplectendum.

Q. *Cur dicitur*: judicium practicum, *seu* judicium intellectus practici?

R. Quia conscientia versatur circa humanas actiones, non tantum ut illas cognoscat, sed etiam ut illas regulet, & dirigat.

Q. *Quid est synderesis?*

R. Est habitus primorum principiorum moralium & practicorum, dictans in genere, quod bonum est faciendum, & quod malum est fugiendum, v. g. *Deus est colendus*, *quod tibi non vis fieri*, *alteri ne feceris*, *&c.*

Q. *Quo differt conscientia a synderesi?*

R. Synderesis proponit principia communia, generica & universalissima; jam vero conscientia proponit aliquid faciendum, vel fugiendum hic & nunc in particulari, v. g. *Missa audienda est hodie*, *quia est Festum &c.*

Q. *Quotuplex est conscientia?*

R. Quintuplex: I. *Recta & certa*, quæ certe & recte judicat aliquid esse faciendum, vel non faciendum.

II. *Erronea conscientia* est, quæ falso judicat aliquid esse faciendum, vel non faciendum.

Q. *Cur dicitur recta*, *erronea*, *&c.?*

R. Quia judicium intellectus, seu conscientia aliquando recte, aliquando erronee, aut scrupulose judicat hoc esse tale, vel tale; & ideo si recte judicat, erit recta; si erronee, erronea; si scrupulose, scrupulosa.

Q.

Q. *Conſcientia erronea quotuplex?*

R. Duplex. *Erronea vincibilis, ſeu vincibiliter*, cujus error, moraliter loquendo vitari potuit, & debuit, & ideo eſt culpabilis. Et *erronea invincibiliter, ſeu invincibilis*, cujus error etſi adhibita diligentia morali vitari non potuit, & ideo ad culpam non imputatur.

Q. *Si quis ex conſcientia erronea judicet eſſe mortale, quod eſt veniale, & illud faciat, vel omittat?*

R. Peccat mortaliter. *S. Thom.* 1. 2. *q.* 19. Dummodo illud opus ſit liberum. Unde incarceratus etſi putaret ſe mortaliter peccare, non audiendo Miſſam, non peccat, quia non eſt ei liberum de carcere exire.

Q. *Dum qui credit actionem, vel omiſſionem aliquam ſub veniali eſſe prohibitam?*

R. Dum facit, vel omittit, non contrahit aliam, niſi venialem malitiam, licet alioqui actio vel omiſſio illa mortaliter ſit peccaminoſa. *Comm. Theol.*

Q. *Quali modo conſcientia vincibiliter erronea deponenda eſt?*

R. Inveſtigare debet homo diligentius veritatem, attente conſiderando, in quo ſe falli ſuſpicatur. Tum etiam adhibendo conſilium prudentioris. In quo caſu, ſi prudens conſuleret falſe, & errans homo innixus ejus conſilio operaretur, non peccaret, quia pro tunc haberet conſcientiam invincibiliter erroneam.

III. *Conſcientia dubia* eſt, quæ nihil judicat, ſed manet ſuſpenſa ſeu anceps inter hanc & illam partem, v. g. *an hoc ſit licitum, an non*.

Alia eſt conſcientia *ſpeculative dubia*, dum quis dubitat nude & præciſe de veritate aliqua, v. g. *An ſi Adam peccaſſet, Chriſtus veniſſet.* Alia *dubia practice*: ſi dubitat de actione, ejuſque honeſtate in particulari hic & nunc exercenda.

Q. *An*

Q. *An licet operari cum conſcientia practice dubia?*

R. Non licet. Hinc v. g. Petrus dubitans an licitum ſit Eccleſia ſpuere; ſpuere licite non poteſt. Debet ergo ſuam actionem ſuſpendere, donec re mature examinata dubium prudenter deponat, formando judicium determinatum de honeſtate, ſeu bonitate actionis.

Q. *An licitum cum conſcientia ſpeculative dubia operari?*

R. Licitum, ſi practice judicem opus illud eſſe hic & nunc ſibi licitum; v. g. *Si dubitem an hodie ſit jejunium, & poſt adhibitam diligentiam reſcire non poſſum; potero me practice reſolvere quod non teneor hodie jejunare, quia eſt poſſeſſio in mea libertate.*

Q. *Si dubitem de aliqua lege an ſit lata? vel de voto an emiſerim?*

R. Poſſum me tuta conſcientia reſolvere, tali lege, aut voto non obligari.

At ſi mihi conſtet legem aut votum exiſtere, ſed tantum dubito, an illis ſit ſatisfactum, ad ſatisfaciendum obligor; quia tali caſu lex, & votum eſt in poſſeſſione. *Hinc Sacerdos plene & prudenter dubitans an Horas Canonicas perſolverit, tenetur eas perſolvere.*

Q. *Qui certus eſt de lege lata, ſed dubius eſt, an caſus hic & nunc occurrens lege illa comprehendatur, an recte reſolvit ſe quoad illum caſum non obligari?*

R. Recte, quia præſumptio, quo ad hoc punctum eſt pro libertate, v. g. *Præceptum eſt, die feſto abſtinere ab opere ſervili, dubito an pingere, ſit opus ſervile, non teneor a pingendo abſtinere.*

Q. *Qui dubius eſt poſt diligens examen, an aliquid alteri debeat, utrum tenetur ſolvere?*

R. Neg. quia iniqua eſſet ſolutio certa, pro debi-

debito incerto. Verum, qui certus est de debito, sed dubius est, an persolverit, a solutione non eximitur, eo enim casu possessio stat pro debito. *Suar. Vas. &c.*

Q. *An obstet bonæ fidei possessori dubium superveniens?*

R. Non, v.g. si emerem librum bona fide, & postea dubitarem, an fuerit Petro ablatus, retinere possum, si nihil certius occurrat.

Sciendum: Quotiescunque Confessarius animadvertit pœnitentem esse in bona fide cum ignorantia invincibili circa aliquod peccatum commissum vel committendum, sive sit peccatum ex infirmitate proveniens, sive ex malitia, prævidetque pœnitentem quamvis instrueretur, & a sua bona fide ac ignorantia per ipsius peccati declarationem retraheretur, non idcirco a peccato recessurum esse, eo casu, si sperat probabiliter suam admonitionem non profuturam, non tenetur pœnitentem monere; foret enim actus inutilis.

Quod si vero pœnitens vel minimum patiatur dubium, illiusque resolutionem petat, tenetur Confessarius illi veritatem aperire, licet non ignoret pœnitentem suis monitis & dictis non obtemperaturum; eo enim ipso, quod pœnitens dubitet, jam habet in conscientia remorsum peccati sui, ita ut non amplius in illa bona fide foret, si non vellet instrui. *Sanch. Bertau &c.*

Exempli gratia: duo contraxere Matrimonium bona fide cum impedimento dirimente, accedit conjux confessionale, confitetur; Confessarius probabiliter credit, etiamsi impedimentum istud illi declaret, se nihil effecturum, nihil tenetur dicere, sed ipsum in sua bona fide relinquat.

Item, conjugata quædam bona fide ad secundas convolavit nuptias, eo quod suum conju-

jugem obiisse intellexerit. Confessarius vero certo scit, ipsum adhuc vivere, nihil illi dicat, nisi inde aliquem fructum sperare possit; reservet negotium in tempus commodum, quo majorem fructum sperare possit, contentus hic & nunc, quod suus pœnitens in generali protestetur, malle se mori, quam Deum mortaliter offendere.

IV. *Conscientia probabilis* est, quæ cum formidine oppositi judicat aliquid ex rationibus non levis momenti, vel ex authoritate Doctorum.

Q. *In quibus casibus non licet sequi opinionem probabilem relicta probabiliore?*

R. *Judici* in judicando; *Medico* in medendo; *Sacerdoti* circa essentialia Sacramentorum. Nam hi sub mortali tenentur sequi opinionem probabiliorem.

V. *Conscientia scrupulosa* est, quæ aliquid judicat ex frivolis & levibus rationibus; Hinc oritur timor, & anxietas, suspicando esse peccatum, ubi non est peccatum: & hoc vocatur *scrupulus*.

Q. *Quæ sunt indicia Conscientiæ scrupulosæ?*

R. Perturbatæ actiones. 2. Pertinacia judicii, non enim vult acquiescere consiliis Confessarii, neque aliorum prudentum. 3. Timor peccati in omni actione. 4. Anxie orat, semper subsistit, eadem repetit &c.

Q. *Quæ sunt privilegia scrupulosi?*

R. Non tenetur ad tantam diligentiam in examinando conscientiam, prout alii. 2. Non tenetur confiteri dubia, sed quæ certo jurare potest, quod commiserit, & nondum sit confessus.

Q. *Ex quibus causis scrupuli proveniunt?*

R. *Primo*. Ex mala constitutione hominis, scilicet ex natura timida frigida, melancholica &c. *Secundo*. Ex infirmitate, præsertim do-

lo-

lore capitis. *Tertio*. Ex diuturna tristitia, per quam acquiritur melancholia. *Quarto*. Aliquando ex permissione Divina, ut homo patiatur hunc cruciatum ob pœnam peccati, præsertim superbiæ, contemptus aliorum; aliquando etiam prosunt scrupuli majus meritum, ut constat ex Vitis Sanctorum, &c.

Q. *Quæ sunt remedia contra scrupulos?*

R. *Primo*. Scrupuli possunt tolli per medicinas, ut tollantur humores, & melancholia. *Secundo*. Debet esse frequens recreatio, distractio. *Tertio*. Sit refugium ad Deum per orationes contra tentationes diaboli. *Quarto*. Non facile credat, quod præbuerit consensum, quia in hoc sæpe fallitur. *Quinto*. Studia sunt temperanda, jejunia fiant tantum ex consilio Confessarii, consortia cum scrupulosi sunt vitanda &c.

Q. *Quomodo Confessarius se gerere debeat cum scrupulosis?*

R. Magna scientia, prudentia & discretio requiritur in Confessario, ne magis conturbaret, affligeret, induceretque in desperationem. Proinde

Hæc sunt observanda: *Primo*. Ut habeat Confessarius remedia, seu responsa in promptu, & sine ulla hæsitatione instruat, injungendo hoc esse faciendum omnino, vel omittendum. *Secundo*. Prolixos discursus non faciat, neque multiplicet rationes, ne occasio præbeatur plurium scrupulorum, sed sine discursu captivet intellectum. *Tertio*. Persuadeat, & injungat promptam obedientiam, ut abjecto suo judicio, exequatur jussa Confessarii. *Quarto*. Extra confessionem non permittat adire, propter interrogationes faciendas de dubiis. *Quinto*. Non permittat confessiones anteriores repetere, & facere generales, nisi sit magna & evidens necessitas. *Sexto*. Prohibeatur lectio ri-

rigidiorum librorum etiam Asceticorum. *Septimo*. Non fiat crebra mutatio Confessariorum. *Octavo*. Scrupulosis exhortatio facienda est suavis, mitis & benigna, ne afflictio addatur afflicto. Si tamen sit necessitas, potest adhiberi aliquando discreta austeritas, ut amoveatur pertinacia scrupulosis inesse solita.

§. V.

De Indulgentiis.

Q. *Quare Confessarii quædam opera pœnitentiæ injungere solent?*

R. Ut pœna temporalis, quam pro peccatis nostris meremur, per jejunium, orationes, eleemosynas &c. avertatur.

Q. *Utique per absolutionem Sacerdotis absolvitur homo nomine Christi ab omnibus peccatis, & pœnis?*

R. Absolvitur a peccatis & pœna æterna, non tamen a pœna temporali.

Q. *Ergo solet Deus remittendo peccatum, & consequenter etiam pœnam æternam, adhuc reservare pœnam temporalem?*

R. Solet, teste Script. Num. 14. v. 18. *Dominus patiens est, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.*

Q. *In exemplo?*

R. 2. Reg. 12. Expertus David, cui licet fuerit remissum peccatum adulterii, & homicidii, pœna tamen temporalis non remissa: *Verumtamen filius tuus morietur*, inquiebat Propheta.

Item Num. 14. v. 20. Quamvis Deus ad orationem Moysis dimisisset delicta populo, mulctati tamen sunt plurimi pœna temporali,

ne videlicet terram promissionis ingrederentur.

Q. *Utique Christus pro nobis satis passus?*

R. *Primo*. Verum est, nihilominus tot crucibus premuntur homines, ut docet experientia. Christus etiam pro Paulo passus, & tamen 1. Cor. 9. inquit ille: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*.

Secundo. Abunde Christus satisfecit pro peccatis omnium hominum, nihilominus præterea obligavit, ut hanc sibi satisfactionem applicarent, sicut in ordine ad remittendam culpam, & pœnam æternam per Sacramentum Pœnitentiæ, ita etiam ad remittendam pœnam temporalem per opera a Confessario injuncta, aut alio modo. Scimus de Ninivitis *Jonæ* 3. De Rege Achaz 3. *Reg*. 21. Et *Daniel*. 4. v. 24.

Q. *Habeturne adhuc facilior modus pro declinanda pœna temporali?*

R. Habetur nimirum usus Indulgentiarum.

Q. *Si quis in hac vita non exsolvat pœnam temporalem, & prædictis modis a se non avertat?*

R. Is tenebitur id facere in altera vita, in Purgatorio.

Q. *Quid est Indulgentia?*

R. Est remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus, quoad culpam jam remissis facta extra Sacramentum per applicationem thesauri Ecclesiæ.

Q. *Quid est iste thesaurus Ecclesiæ?*

R. Sunt, infinita ac pretiosissima opera, & satisfactiones Christi Domini, item merita B. V. M. ac aliorum omnium Sanctorum.

Q. *Ubinam hic thesaurus existit?*

R. Cum sit spiritualis, non requirit locum materialem, sed est in suprema potestate clavium, nempe penes Papam, (cui commissæ sunt claves) qui habet potestatem applicandi eas-

easdem satisfactiones etiam aliis Christi fidelibus. Vid. *Matth.* 16. v. 19. *Joan.* 21. v. 15. 16.

Q. *Ad quid Indulgentiæ sunt necessariæ?*

R. Postquam homo in Sacramento Pœnitentiæ nomine Christi absolutus est a peccatis suis, & a pœna æterna, applicantur eidem merita Christi per orationes, aut alia pia opera, in ordine ad extinguendam quoque pœnam temporalem ex toto, vel saltem ex parte, juxta varietatem Indulgentiarum.

Q. *Possuntne Indulgentiæ pecunia emi?*

R. Nullo modo, cum Indulgentiæ ex meritis Christi profluant, quæ sunt infiniti valoris.

Q. *Pro quo igitur solvitur Romæ?*

R. Pro labore, quem describendis & imprimendis Brevibus Apostol. impendunt: *Dignus enim est operarius mercede*. Luc. 10. Prò vialibus, aliisque expensis fieri solitis.

Q. *Quæ requiruntur conditiones ex parte nostra ad lucrandam Indulgentiam?*

R. Præcipue sequentes: *Primo*. Volens lucrari debet esse baptizatus, non excommunicatus, debet esse in statu gratiæ, saltem tunc, quando ultimum opus præscriptum completur.

Secundo. Requiritur ut omnia opera injuncta adimpleantur, quæ ordinarie solent injungi: *oratio*, *jejunium*, *eleemosyna* &c.

Tertio. Detestatio omnium peccatorum requiritur, propositum ac sollicitudo satisfaciendi Deo per congruas satisfactiones.

Q. *Quomodo Indulgentiæ prosunt vivis, & quomodo defunctis?*

R. *Vivis*, per modum sententiæ, seu judicialis potestatis. *Defunctis* vero deprecative per modum suffragii, quia animæ Purgatorii sunt extra forum jurisdictionis Papæ.

Q. *Quando oramus pro anima, quæ non est in Purgatorio, an inanis est oratio?*

R. Non eſt inanis, ſed nobis eſt meritoria; & prodeſt aliis animabus indigentibus.

Q. *An ad lucrandas Indulgentias neceſſario præmittenda eſt Confeſſio?*

R. Si in conceſſione Indulgentiæ non exprimitur, ſufficit, ut lucrans ſit in gratia; vel ſi in peccato exiſtit, & confiteri hic & nunc non poteſt, contritionem eliciat; niſi confeſſio omnino ſit injuncta.

Q. *Quotuplex eſt Indulgentia?*

R. *Plenaria*, per quam plene remittitur pœna temporalis; Et *non plenaria*, per quam ſolum pars pœnæ temporalis remittitur.

Plenaria, ſolet ſubdividi in *pleniorem*, illa eſt, dum poteſtas abſolvendi a caſibus reſervatis ſuperadditur. Et in *pleniſſimam*: dum ultra hæc etiam diſpenſationes in votis conceduntur, ut fit in Jubilæo, & in Indulgentiis in forma Jubilæi datis.

Indulgentiæ 100. *vel* 1000. *annorum* ſenſus eſt: quod per talis Indulgentiæ collationem tanta pœna remittitur cuipiam, quanta remitteretur virtute illius pœnitentiæ, quæ ſecundum formam juris, & conſuetudinem Eccleſiæ olim ſtatuebatur, ſi ipſa tot diebus vel annis in hoc mundo peragéretur.

Quadragena, eſt Indulgentia 40. dierum; ideſt relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet redempta per pœnitentiam 40. dierum, olim ab Eccleſia pro certis peccatis ſtatutam.

Septena, eſt Indulgentia ſeptem annorum, ſeu relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet redempta per pœnitentiam ſeptem annorum.

Carena, eſt Indulgentia utramque complectens: ita ut ſit remiſſio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet remiſſa per pœnitentiam 40. dierum in pane & aqua peractam, & per aliam pœnitentiam ſeptem annorum ſubſequentem.

Indulgentia alia eſt *perſonalis*, quæ conce-

ditur alicui personæ determinatæ, vel toti Religioni. Alia *Localis*, quæ alicui pro loco conceditur ad ejus devotionem augendam, in ordine ad personas in tali loco orantes. *Alia Realis*, quæ conceditur rebus mobilibus, v. g. Rosariis, Imaginibus &c. In ordine ad homines consequi Indulgentiam volentes.

Q. *An possumus una eademque die plures lucrari Indulgentias?*

R. *Non Plenarias*, possumus. *Plenarias* vero non, nisi semel pro nobis. *S. Cong.* 1688. Pro animabus vero possumus lucrari toties, quoties de die elicimus opus, uti annexa est Indulgentia communicabilis illis.

Q. *An si ob leges Rubricæ Festum aliquod in Parochia transferri debeat, etiam Indulgentias ob Festum concessas pro illo primum die, in quem transfertur, promulgare debeat?*

R. Negant quidem *Azor. Fag.* sed probabilius affirmant multi Doct. apud *Dia. Gob.* eo quod tunc ratio, propter quam ad tale festum Indulgentia concessa est, adhuc vigeat, nempe, ut festum tale a fidelibus cum tanto majori frequentia celebretur.

Q. *An si Ecclesia in qua Indulgentiæ propositæ sunt, nimis angusta sit, possit publice fideles hortari, ut foris in Cœmeterio preces præscriptas persolvant?*

R. Affirmat. quia tales adhuc censentur moraliter præsentes. *Lay. Suar. &c.*

§. VI.

De Jubilæo.

Q. *Indulgentia plenaria distinguiturne a Jubilæo?*

R. Distinguitur solum accidentaliter, in quantum Jubilæum superaddit potestatem a re-

servatis, & commutandi vota, licet non omnia.

Q. *Quid est Jubilæum?*

R. Est Indulgentia plenaria a Summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, & præscripta pia opera peragentibus, una cum concessione certarum facultatum in Brevi Apostolico expressarum.

Q. *Quotuplex est?*

R. *Ordinarium*, quod post Annum Sanctum Romæ celebratum, conceditur Regnis & Provinciis extra Italiam.

Et Jubilæum *Extraordinarium*, quod conceditur vel post coronationem neo electi Papæ, vel in gravi aliqua necessitate Ecclesiæ.

Q. *Hæc vox* Jubilæum *unde suam originem traxit?*

R. A voce *Jobel*, quæ buccinam significat. Nam populus Israeliticus excitabatur tubis ad recolendum annum quinquagesimum ingressus filiorum Israel in terram promissionis. In hoc anno quinquagesimo, qui Judæis erat *Jubilæus*, debita remittebantur gratis, servi libertate donabantur, & sic nostrum præfigurabat *Jubilæum*, in quo fideles servitutis jugum, quo a diabolo premuntur, excutientes, redeunt in possessionem hæreditatis æternæ.

Antehac Jubilæum non concedebant Pontifices nisi singulis 100. annis. Dein singulis 50. tandem indulserunt, ut ob brevitatem vitæ humanæ singulis 25. annis celebraretur.

Q. *Quæ sunt requisitæ ad lucrandum Jubilæum?*

R. Eadem quæ ad lucrandum *Indulg. plen.* de quibus dictum superius. Et insuper illa omnia, quæ in Bulla Jubilæi præscribuntur: uti sunt *jejunium*, *eleemosyna*, *visitatio Ecclesiarum*, *oratio*, *confessio*, *communio*. Hæc omnia ita, & eo modo, ac illo tempore sunt adimplen-

plenda, quo sunt præscripta. *O quam sæpius propter suam incuriam multi frustrantur Jubilæi gratia!*

Jejunium debet omnino feria 4. 6. & Sabbatho absolvi. Ad quod absolvendum tenentur etiam illi, qui sunt a jejunio Ecclesiastico de jure liberi, uti juvenes ante annum 22. & senes post annos 60.

Q. *Jejunium Feria sexta per annum habetne aliquod fundamentum in Scriptura?*

R. Habet, *Matth. 9. v. 15.* ait Christus: *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc jejunabunt.* Porro sponsus, id est Christus ablatus est feria sexta.

Q. *Quid respondendum iis, qui objiciunt: ubi Deus jejunium præcepit?*

R. Illud Christi Domini: *Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus &c.* Matth. 18.

Q. *An tenetur quis in eodem loco, v. g. in eadem urbe omnes conditiones Jubilæi exequi?*

R. Non tenetur, sed potest in illa Ecclesia, ubi manet, v. g. jejunare, & alibi confiteri, & communicare, quia favor Jubilæi non est localis, sed personalis. Comm. Doct.

Q. *Quæ privilegia solent Confessarii habere tempore Jubilæi?*

R. Possunt absolvere a quibusvis casibus etiam Bullæ Cœnæ, excepta hæresi formali, si ita Bulla sonat. Item, conceditur facultas commutandi vota omnia, excepto voto castitatis & ingrediendæ Religionis. *In reliquo legatur Bulla Jubilæi.*

Q. *Si quis fuit in via longa, & veniens in locum suum, invenit jam finitum tempus Jubilæi, num poterit inibi opera Jubilæi peragere, & sic lucrari Indulgentiam?*

R. Poterit, hoc enim solet concedi in Bulla.

Q. *Quæ Indulgentiæ suspenduntur tempore Jubilæi?*

R. Omnes, etiam perpetuæ, quoad vivos; nisi cum aliquibus sit specialiter dispensatum.

Et sic: Non suspenduntur Indulgentiæ, sive sint Altaris privilegiati, sive alio modo applicabiles animabus Purgatorii. Innoc. X. declaravit.

Neque suspenduntur Indulgentiæ concessæ pro articulo mortis. Clem. X. declaravit.

Indulgentia Portiunculæ in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Assisii, nec pro vivis, nec pro defunctis suspenditur. In aliis vero Ecclesiis Ord. Min. suspenditur pro vivis, non vero pro defunctis. *Plura apud Theol.*

Q. *An possit Jubilæum bis obtineri?*

R. Probabiliter non potest, etiam in diversis Civitatibus, quia licet locus sit diversus, idem tamen est Jubilæum.

EXA-

EXAMEN III.

Pro Institutione ad Beneficium.

§. I.

De Beneficio.

Q. QUid est Beneficium?

R. Est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium aliquod spirituale authoritate Ecclesiæ constitutum.

Q. *Quotuplex est Beneficium?*

R. I. Beneficia alia sunt *Majora*, ut Papatus, Episcopatus &c. *Minora* sunt, quæ immediate dictis sunt inferiora.

II. Alia *Curata*, quæ curam animarum pro foro interno, & Sacramentali habent, v. gr. Parochia. Alia *Non curata*, quæ aliter vocantur *Simplicia*, quibus nulla annexa est cura animarum, uti sunt, *Capellaniæ*, *Præbendæ*, *Altaria*.

III. Aliud Beneficium est *Manuale*, quod confertur ad nutum Superioris. Aliud *Non manuale*, quod confertur in perpetuum, & hoc est proprie Beneficium.

Aliud est Beneficium *Patronatus*, quod ad præsentationem Patroni a Prælato Ecclesiastico confertur. Aliud *Electivum*, ad quod per viam electionis Beneficiatus assumitur.

Regulare, quod regitur per Religiosos, vel ex fundatione, vel Episcopi institutione, vel annorum 40. cum bona fide & titulo, præscriptione.

Sæculare, quod regitur a Clericis Sæcula-

ribus, qui nullam profitentur Regulam, sed in sæculo militant, ac Deo serviunt.

Q. *Quot sunt species Beneficiorum simplicium?*

R. Plures: Præstimonia, Canonicatus &c.

Q. *Quid est Præstimonium?*

R. Est Beneficium institutum pro Clericis, ut studiis vacent, habetque sæpe adjunctum onus orandi aliquas preces.

Canonicatus, est jus spirituale, per quod aliquis spectans ad Capitulum, stallum habet in Choro, & vocem in Capitulo.

Commenda, est Officium in quo alicui commendatur administratio aliqua spiritualis, v.g. administrandi Sacramenta.

Coadjutoria, est facultas alicui concessa adjuvandi Beneficiatum in sui Beneficii regimine, ideoque per se non est proprie Beneficium, potestque dari ad tempus, vel ad vitam coadjuti, idque sine vel cum futura successione, tam in simplicibus, quam Curatis Beneficiis.

§. II.

De requisitis ad obtinendum Beneficium.

Q. QUæ *qualitates extrinsecæ requiruntur in ordine ad obtinendum Beneficium?*

R. Ut Beneficium volens obtinere sit Clericus saltem primæ tonsuræ. Ut habeat ætatem convenientem, scientiam debitam, morum probitatem: ut sit cœlebs, ut non sit in aliqua censura, vel irregularitate, ut sit legitime vocatus, electus, vel præsentatus.

Q. *Quid est electio?*

R. Est designatio alicujus personæ capacis ad aliquod Beneficium facta per suffragia.

Q. *Quid est Collatio?*

R. Est concessio Beneficii ex solo jure & libertate conferentis absque præsentatione Patroni.

Q.

Q. *Quid est Præsentatio?*

R. Est exhibitio personæ beneficiandæ facta illi, ad quem pertinet instituere.

Q. *Quid Institutio?*

R. Est attributio, sive concessio Beneficii facta ex præsentatione Patroni.

Q. *Quid Provisio?*

R. Est quidem genericum, & significat dispositionem de Beneficio in favorem alicujus. Hinc qui præsentavit, aut contulit alicui Beneficium, dicitur, *illi providisse*, & qui Beneficium accepit, dicitur, *provisus de Beneficio*.

Q. *Quot modis Beneficia amittuntur?*

R. Quatuor. 1. Per mortem Beneficiati. 2. Ex dispositione juris, ut dum quis Religionem ingreditur, in eaque professionem faciat; vel propter alterius Beneficii incompatibilis consecutionem, vel per contractum Matrimonium, si fuerat v. g. Clericus in minoribus Ordinibus; vel per commissionem criminis, v. g. hæresis. 3. Per sententiam Judicis. 4. Per liberam resignationem.

Q. *Quot modis acquiritur Beneficium?*

R. 1. Præsentatione. 2. Electione. 3. Libera collatione. 4. Concursu.

Q. *Quæ conditiones possunt apponi resignationi?*

R. I. Ut Beneficium conferatur alicui designato, & hæc dicitur, *in favorem*.

II. Ut Resignatarius vicissim ipsi permutet suum Beneficium, & hæc dicitur, *Permutatio Beneficii*.

III. Ut sibi reserventur omnes, vel aliqui fructus, & dicitur, *sub Pensione*.

IV. Ut regredi, vel ingredi possit ad Beneficium, v. g. si Resignatarius præmoriatur. Ingredi autem, v. g. si alicui sit collatum Beneficium, & hic ante captam possessionem cedat alteri sub pacto, ut post absoluta studia,

illud recipere possit, & dicitur, *Resignatio cum regressu, & accessu*.

Q. *Coram quo debet fieri permutatio Beneficii, seu resignatio in favorem tertii, seu resignatio cum reservatione annuæ pensionis vel fructuum?*

R. Coram Episcopo. Nam si fiat private, seu authoritate propria, erit simonia juris humani. Omnis Resignatio Beneficii ordinarie debet fieri coram Episcopo, aut ejus officio.

Q. *Præsentatio, vel collatio Beneficii facta excommunicato majore excommunicatione, an est valida?*

R. Non, etiamsi sit ab homine injuste excommunicatus; modo rite sit lata dicta excommunicatione, quamvis sit *Toleratus*, & occultus, aut nesciatur talis, vel putetur absolutus, etsi ipse *electus*, seu *præsentatus* ignoret se esse excommunicatum. Cap. *Postulatis*. Similiter ipso jure est irrita collatio Beneficii saltem curati, facta infami, vel publice criminoso nondum emendato. Cap. *Cum in cunctis*.

Collatio autem Beneficii facta excommunicato excommunicatione minori, non est quidem irrita ipso facto, sed tantum per sententiam irritanda, si id scienter factum.

Q. *An excommunicatus occultus tenetur se manifestare, ne Beneficium accipiat?*

R. Si potest sine scandalo, & gravi sua infamia, tenetur; sin secus Ecclesia non obligat cum tanto incommodo. Debet autem, si potest, honesto titulo se excusare; vel si illud acceptavit, debet quamprimum petere absolutionem a S. Pœnitentiaria.

Q. *Irregularitas redditne etiam inhabilem ad Beneficium, & ad fructus percipiendos?*

R. Affirm. Imo si aliquis in censura & irregularitate accipiat Beneficium, etiam sublato impedimento, v. g. post obtentam dispensationem in irregularitate, non potest illud retinere sine nova collatione.

Q.

Q. *Qui recipit Beneficium per Simoniam, vel in excommunicatione, aut irregularitate, teneturne Horas Canonicas persolvere?*

R. Etsi ratione Beneficii non teneatur, quia non habet Titulum verum Beneficii, nec facit fructus suos, tenebitur autem ratione Ordinis Sacri, si quem habet. *San.*

Q. *Petrus tempore Collationis non erat excommunicatus, sed crastina die, tempore Institutionis incidit in excommunic. acceptatne valide tale Beneficium?*

R. Affirmat *Bon.* quia jura solum irritant collationem, seu electionem, non vero acceptionem Beneficii, nam cum versemur in materia odiosa, extendi non debet ad casus non expressos jure.

Q. *Poteſtne quis tuta conscientia plura habere Beneficia?*

R. Non potest, licet sint simplicia, si personalem requirant residentiam; vel si sint supra sufficientem & honestam possidentis sustentationem. *Trid. Seff.* 24.

Habens ergo unum Beneficium sufficiens, non potest retinere duo; vel habens duo per se separatim insufficientia, sed simul juncta, sufficientia, non potest tertium retinere tuta conscientia.

Proinde qui habet Beneficium quantuncumque simplex, quod per se sufficiat ad vitam honestam Beneficiati, non potest aliud tenere sine peccato mort. *Glos. in Cap. Dudum.*

Nemini ergo suffragatur dispensatio Pontificia ad possidendum plura simul Beneficia, nisi ex justa causa fuerint obtenta. *Mach.* &c. v.g. in utilitatem Ecclesiæ, secus non esset homo securus coram Deo. *Comm. DD.*

Q. *Poteſtne Episcopus dispensare, ut aliquis possit habere duo Beneficia simplicia?*

R. Potest, si primum non sufficiat ad honestam sustentationem. Non potest autem Episcopus

scopus absque Apostolica dispensatione plura simplicia, ultra duo conferre. *Trid.* 24.

Q. *An omnis Beneficiatus tenetur ad horas?*

R. Affirm. *Conc. Lat. Sess.* 9. Quia Beneficium propter officium, in quo comprehenduntur preces Canonicæ; etsi Beneficiatus non sit in Sacris.

Q. *Quid adhuc requiritur in instituendo ad Beneficium?*

R. Debet Professionem Fidei facere in officio, intra duos menses a die adeptæ possessionis. Qui autem eam scienter non fecerit, fructibus Beneficii privatur, & mortaliter peccat. *Lohn. Barb.*

Notandum Bened. XIV. *Inst. Eccl.* 60. §. 3. citans Decretum S. Congr. docet: Professionem Fidei fieri debere per seipsum Beneficiandum, & non per Procuratorem.

§. III.

De Jure Patronatus.

Q. *Quid est jus Patronatus?*

R. Est potestas nominandi, seu præsentandi Clericum idoneum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans.

Q. *Quotuplex est jus Patronatus?*

R. Triplex. I. *Ecclesiasticum*, quod personæ Ecclesiasticæ competit ratione Ecclesiæ, vel Dignitatis, aut Beneficii Ecclesiastici.

II. *Laicale*, quod competit alicui laico, vel Clerico ratione proprii Patrimonii, seu successionis paternæ, aut ratione tituli sæcularis.

III. *Mixtum*, quod partim nomine Ecclesiæ ad Clerum, partim ex alio titulo ad ipsum, vel ad laicum spectat. Ut si Clericus ex bonis Ecclesiæ fundaret, & Laicus dotaret eandem Ecclesiam.

Aliud iterum est *Activum*, quando patronus potest præsentare ad Beneficium. Aliud *passivum*, quando certi ex familia (dummodo idonei adsint) exclusi extraneis, debent ad Beneficium præsentari.

Aliud *personale*, quod personæ Fundatoris, vel ejus hæredi competit.

Aliud *Reale*, quod competit certo loco, v. g. Castro, Monasterio, Capitulo.

Nota: Qui habet *jus Patronatus*, vocatur *Patronus*.

Q. *Quibus modis acquiritur jus Patronatus?*

R. Præcipue tribus, Fundatione, Ædificatione, & Dotatione, juxta illud:

Patronum faciunt: Dos, Ædificatio, Fundus.

Fundasse dicitur: qui fundum, seu terræ solum dedit, in quo Ecclesia construeretur.

Ædificare dicitur, qui Ecclesiam suis sumptibus construxit.

Dotasse, dicitur, qui Ecclesiæ annuos redditus sufficienter assignavit.

Jus Patronatus potest acquiri privilegio, si alicui bene in Ecclesia merito Papa, & non alius conferret.

Q. *Quot modis potest jus Patronatus ab uno ad alterum transire?*

R. 1. *Successione* per hæreditatem, vel per testamentum. 2. *Donatione*. 3. *Permutatione*. 4. *Venditione*, non quidem solius Patronatus, quia esset *Simonia*, sed v. g. cum bonis.

Q. *Quomodo jus Patronatus cessat?*

R. 1. Per voluntariam remissionem hujus juris. 2. Extincta familia, cui erat affixum. 3. Si Ecclesia penitus destruatur sine spe reædificationis. 4. Per sententiam in pœnam delicti. 5. Per præscriptionem. 6. Per occisionem vel mutilationem Clerici Ecclesiæ Patronatæ. 7. Si Patronus consentiat ut Beneficium uniatur, v. g. Monasterio. 8. Per Simoniam in cessio-

cessione ejus commissam. 9. Si Patronus usurpet bona Beneficii. 10. Si ingratus sit Ecclesiæ.

Q. *Quot sunt jura Patroni?*

R. 1. Jus præsentandi. 2. Præcedendi v. g. in processione, in sede, in thurificatione. 3. Defendendi Ecclesiam. 4. Ut indigenti aliquomodo succurratur de Ecclesia, cujus est Patronus.

Q. *Quis est capax juris patronatus?*

R. Clerici, laici tam masculi, quam fœminæ. Infidelis est incapax, etsi Ecclesiam ædificaret.

Q. *An Patronus potest seipsum præsentare?*

R. Non, sed potest præsentare amicos suos, consanguineos, imo & filios suos. *Engel.* Potest autem Episcopum rogare, ut si inveniatur dignus, sibi illud Episcopus conferat. Vel si antecedenter Episcopus offerat Beneficium Patrono, hic poterat consentire. *Abb.*

Q. *Patronus intra quot menses tenetur præsentare?*

R. Si sit *Laicus*, intra 3. Si sit Ecclesiasticus, intra 6. menses. Si vero jus Patronatus sit *Mixtum*, id est & Laicus & Ecclesiasticus Patronus, uterque habet 6. menses. *Reysen.*

Q. *Quomodo hoc tempus computari debet?*

R. Non a die vacantiæ Beneficii, sed a die notitiæ dictæ vacationis, quam supponuntur habere Patroni juxta locorum distantiam. Quod si intra hoc tempus Patronus præsentare neglexerit, vel quia lis oriretur de Jure Patronatus, statim elapso illo tempore, ad illum devolvitur collatio Beneficii, ad quem spectat institutio.

Q. *Quæ est differentia inter jus præsentandi Patroni Ecclesiastici, & jura præsentandi laicis?*

R. 1. Ecclesiasticus, si semel aliquem præsenta-

ſentavit, jam non poteſt variare, & alium præſentare, ſi primus ſit dignus. Secus vero Laicus Patronus habet privilegium, utrum & alterum præſentare intra quatuor menſes, ſic jura ſtatuunt.

Si ergo Eccleſiaſticus ſcienter indignum præſentabit, ipſo jure privatur ea vice poteſtate præſentandi. Non ſic autem Laicus, qui poterit alium, & alium digniorem præſentare].

R. 2. Laicus omni tempore præſentare poteſt, Eccleſiaſticus vero (ſi ei competit jus prout perſonæ ſpirituali, ſeu ſi Beneficium ſit de bonis Eccleſiaſticis) præſentat, ſolum in his 6. menſibus: Febr. Apr. Jun. Auguſt. Octob. Decemb. In reliquis menſibus præſentat Papa, vel indicitur concurſus.

Q. *Præſentatio facta antequam vacat Beneficium an valida?*

R. Negat. Hinc *Loh.* docet mortaliter peccare Patronum, ſi juret ſe præſentaturum Cajum, dum Beneficium vacabit, quia Eccleſia graviter prohibuit, ne detur occaſio alienæ mortis deſiderandæ.

§. IV.

De Parocho.

Q. *Quid eſt Parochus?*

R. Eſt Clericus perfectam curam habens totius populi intra certos limites congregati, cui Sacramenta adminiſtrare tenetur.

Q. *Quem ætatis annum habere debet, qui Parochiam obtinere nititur?*

R. Completum 24. *Trid. Seſſ.* 24. In quo Epiſcopus diſpenſare non poteſt. Soli enim Papæ competit diſpenſare in ætate ad obtinendum Beneficium. *Decr. Conc. Later. & Lugd.*

Q. *An*

Q. *An Beneficium curatum potest accipere, qui nullum sacrum Ordinem habet?*

R. Potest, dummodo intra annum ad Sacerdotium promoveri possit. Alias post expletum annum ipso jure Beneficio esset privatus, etiam sine ulla monitione præmissa, ita ut in illa vacatione nullatenus illud Beneficium ei iterato conferri possit. Cap. *Licet*.

Excepto tamen si intra hunc annum ægrotaret graviter, vel Episcopus non haberet ordinationes, aut justo aliquo Canonico obstaculo non posset ordinari.

Q. *Quæ ætas requiritur ad obtinendum Beneficium simplex?*

R. Sufficit annus 14. nisi in fundatione, cui per Concil. non derogatur, sit ætas major vel minor præscripta. *Trid.* 23. *Sess.*

Q. *Quæ dotes requiruntur in eo, qui vult institui ad munus Parochi?*

R. Probitas, ætatis maturitas, sufficiens literatura, in ordine ad fidem defendendam, ad dandam salutarem doctrinam populo, Sacramentorumque administrationem.

Q. *Quid est Vicarius?*

R. Est Sacerdos, qui Beneficio alicui alieno nomine præest. Horum alii sunt *Perpetui*, qui ad præsentationem Patroni per Episcopum, vel alium Prælatum perpetuo titulo instituuntur. Alii *Temporales*, qui ad beneplacitum Prælatorum, vel Rectorum Ecclesiæ exponuntur.

Q. *Quæ est differentia inter hos Vicarios?*

R. 1. *Perpetui*, cum sint intitulati, seu instituti nec a Rectore, nec a Successore illius amoveri possunt ab Ecclesia, nisi ob crimen, vel aliam justam causam per sententiam competentis judicis id fiat.

Temporales vero hoc ipso, quod titulum non habent, ad nutum amoveri possunt.

2. Per-

2. *Perpetui Vicarii* sunt veri Beneficiati, utpote qui jus reale ac verum titulum Canonicum Beneficii acquirunt; secus dicendum de *temporalibus Vicariis*.

Q. *Quæ pericula seu vitia maxime curatus fugere debeat?*

R. 1. *Otium*, quia docet omnem malitiam. 2. *Luxuriam*, quia affert summam infamiam. 3. *Avaritiam*, quia tollit æstimationem Sacerdoti, qui in contemptu mundi ac rerum terrenarum exemplo præire deberet sæcularibus. 4. *Crapulam*, seu *ebrietatem*, quæ in persona spirituali summe est abominabilis, ac omnibus modis scandalosissima. *Eheu! quoties ob ingluviem gutturis castitas Sacerdotalis læsa exstitit! Officium Divinum perperam persolutum, aut pene omissum: infans absque Baptismo, æger Sacramentis destitutus miserrime decessit; Deus, & proximus gravissime offensus: quot animæ Acatholicorum, vel unico in Sacerdote ebrietatis scandalo deterritæ a fide vera perierunt, alias salvandæ!*

§. V.

De obligatione Parochi.

Q. Quod munus & obligatio Parochi?

R. Pascere oves Christi doctrina, exemplo bono, & Sacramentis.

Q. *Quo titulo obligatur Parochus administrare Sacramenta?*

R. Triplici: I. Titulo *Obedientiæ*, ut pareat præcepto Divino, Ecclesiastico, & Naturali, a quibus adstringitur ad suam vocationem, seu Ministerium rite implendum.

II. Titulo *Justitiæ*, ut serviat in spiritualibus sibi concreditis ovibus, a quibus ideo corporaliter alitur.

III.

III. Titulo *Charitatis*, ut cooperetur proximorum saluti.

Q. *An sub gravi peccato obligatur animarum curam habens ad administranda Sacramenta?*

R. 1. Citra omne dubium, cum objectum hujus obligationis de se grave sit, ipsaque salus animarum sibi concreditarum a tali administratione pendeat.

R. 2. *Possev. &c. DD.* docent innodari talem peccato mortali, qui non negat quidem Sacramenta, sed reddit se difficilem, objurgando aspere, si petatur, ut per hoc amoveat a frequenti receptione Sacramentorum oves suas.

Q. *Quibus diebus obligatur Parochus Missam offerre pro Parochianis?*

R. Præcisa aliqua obligatione, tenetur per se, vel per alium singulis Dominicis & Festis celebribus.

Q. *An Parochus celebrans in irregularitate incurrat novam irregularitatem?*

R. Negat. sed toties mortaliter peccat, quoties celebrat.

Q. *Parochus omittens uno mense dicere Parochianis verbum Dei num peccat?*

R. Peccare mortaliter docent *Bon. &c. DD.*

Q. *Parochus obligaturne personaliter residere in sua Parochia?*

R. Omnino, tam jure Divino, quam Ecclesiastico. *Trid. Sess.* 23.

Q. *Quæ pœnæ statutæ sunt pro Parochis non residentibus in sua Parochia?*

R. Tales non possunt tuta conscientia retinere fructus sui Beneficii ad ratam temporis absentiæ, sed illos tenentur absque alia declaratione applicare Ecclesiæ, vel erogare pauperibus, retenta tamen sibi aliqua parte fructuum, concernente recitationem Officii Divini tempore absentiæ. *Possev. Bonac. &c.*

Se-

Secundo. Post tres citationes successive præcedenter factas potest privari Beneficio ab Episcopo.

Q. *Quæ sunt causæ excusantes Parochum a dicta residentia?*

R. Charitas Christiana, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, v. g. ad promovendam pacem inter Principes, vel ob bonum fidei procurandum, vel ad defendenda jura Ecclesiæ.

Item, si infirmitas urgebit se sistere medico. Item, si Episcopus ob legitimas rationes dispensaverit, sine cujus facultate per duos menses abesse non potest a sua Parochia.

Q. *Quæ est obligatio Parochi tempore pestis?*

R. Potest se Parochus cum facultate Episcopi tunc subducere, si substituat alium idoneum, æque profuturum, & subsistat in loco, in quo possit gerere curam gregis sui.

Si autem substituere non possit idoneum, non potest tunc uti privilegio *Tridentini Conc.* scilicet emanendi ad bimestre. Neque tuta conscientia potest resignare Beneficium, est enim conductus pro tali necessitate, sicut miles pro futuro prælio. Comm. DD.

Obligatur ergo Parochus etiam cum periculo vitæ administrare in peste specialiter Sacramenta *necessaria necessitate medii*, id est *Baptismi*, si nullus alius esset, & *Pœnitentiæ*.

Non videtur tam gravis obligatio se extendere ad administranda Sacramenta *Euchar.* & *Extr. Unct.* nisi æger aliis Sacramentis juvari nequeat. *Lopez. &c.*

Q. *Teneturne Sacerdos non curatus, vel Religiosus cujuscunque Ordinis tempore pestis ministrare Sacramenta, etiam cum periculo vitæ?*

R. *Primo*. Si desit proprius Parochus, vel peste laboret, vel moriatur, tunc quicunque

Sa-

Sacerdos ex lege charitatis, & legalis justitiæ tenetur. Comm. DD.

R. *Secundo*. Tenetur tunc, dum ad hoc munus pro tunc ab Episcopo deputetur, vel ab eodem cogatur; cui tunc vel maxime quisque Sacerdos etiam Regularis (qui tunc tenetur magis Episcopum, quam suum Superiorem audire) debet obedire, ut promisit in sua ordinatione. *Chap. Cas. San. &c.*

Q. *Quid agendum Curato dum peste (aut alio contagioso morbo) infectorum Confessiones sunt excipiendæ?*

R. Ante omnia curet prius, ut domus infirmi purgetur ab aere infecto, fenestrarum aperitione, suffitu ex juniperis, aliisque similibus mediis.

2. Curet, ut si fieri possit, in loco libero, seu aere non infecto infirmus sit constitutus. Quamobrem ipsi etiam infirmi obligati sunt, ut e cubili aut domo ad confitendum egrediantur, si id sine gravi eorum incommodo fieri possit. *Lay.*

Si infirmus egredi nequit, in tali casu communiter loquendo, accedere debet Curatus, poterit eum rogare, ut statim graviora confiteatur quædam, aliis omissis. *Lohn.*

Q. *Sacerdotes tempore pestis exponentes se periculo vitæ administrando Sacramenta, quam mercedem habent?*

R. Maximam: in hac vita promotionem, in altera pro his actibus hæroicis magnum expectant præmium; habentur enim ut Martyres, in Martyrologio Romano a Baronio edito legitur: *Commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum, qui tempore Valeriani Imperatoris cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit &c.*

Q. *An*

Q. *An plene officio suo satisfecit Parochus, qui postquam munivit moribundum Sacramentis, eum deserit, nec ulterius visitat?*

R. Minime, quia quo vicinior est mors, eo magis salutis periculum ingruit a dæmone infestante, & tanto major est corporis, & animi infirmitas; ergo tunc maxime tenetur ex officio Parochus saluti suorum providere.

Q. *Proventus ex Beneficio quomodo disponere debeat Parochus?*

R. In honestam sustentationem sui, superflua vero cedere debent in fabricam Ecclesiæ, in subsidium pauperum.

Consanguineis suis potest quidem Beneficiatus quivis dare aliquid de redditibus Ecclesiæ, sed tanquam pauperibus, ne solum indigeant, (mens S. Thom. 2. 2. q. 185.) non autem ut ditentur.

§. VI.

De potestate Parochi.

Q. PArochus *nondum Sacerdos, quæ per se exercere in Ecclesia potest?*

R. Omnia, quæ ad Parochum spectant, exceptis iis, quæ illum Ordinem (quem nondum habet) concernunt.

Q. *An Parochus potest concedere suis Parochianis licentiam laborandi diebus festivis ad tempus ex causa legitima?*

R. Affirmat. *Sua. Azor. &c.*

Q. *Potestne Parochus suorum Parochianorum confessiones audire in aliena Diœcesi, sine approbatione ejusdem Diœc. Episcopi?*

R. Potest. Comm. DD. apud Antoin.

Q. *Potestne Parochus quoscunque Religiosos confitentes audire?*

R. Af-

R. Affirmat, si peregre veniant, quia prudenter supponere potest, illos non petituros, si facultatem non haberent a suis Superioribus confitendi coram extraneis.

Non posset tamen eos absolvere a reservatis in Religione, nisi expressam licentiam haberent a suo Provinciali.

Q. *An Parochus possit cogere Parochianos ad Missam in Parochiali Ecclesia audiendam?*

R. Nunc omnes fere DD. negant; cum & Pontifices varii expresse id deciderint, & ratio manifesta suadeat, quæ dictat Episcopum aut Parochum non posse tollerare, aut restringere jus commune, & generalem totius orbis consuetudinem. *Loch.*

Q. *Potestne Catholicus Parochus assistere Matrimoniis Hæreticorum, quos habet in sua Parochia?*

R. Potest, sed benedictio (maxime hæc quæ dari solet tempore Missæ) non est danda.

Q. *Quæ sunt jura Parochialia?*

R. Illa, quæ ita competunt Parocho, ut a nullo altero, nisi de ejus, vel Episcopi licentia exerceri licite possit. Et talia sunt: *Primo*, Benedictio Fontis Baptismalis. *Secundo*. Administratio Sacramenti Eucharistiæ tempore Paschali. *Tertio*. Administratio infirmis *Viatici*, & *Extremæ Unct.* *Quarto*. Delatio stolæ in processionibus, & funeralibus. *S. Cong. Con.* 25. *Jun.* 1695. *Quinto*. Acceptio decimarum. *Sexto*. Benedictio domorum in Sabbato Sancto. *Septimo*. Benedictio Sponsorum. *Octavo*. Publicatio Matrimonii, & Festorum, vigiliarum.

Q. *An Regulares requisiti ab agrorum dominis possint absque licentia Parochi benedicere agros; & an in hujusmodi functionibus peragendis uti possint stola absque licentia Parochi?*

R. S. Congr. Card. ad utrumque respondit negative. Ann. 1688, 28. Aug. Ita *Monac.* p. 2. Form. Tit. 13.

Q. *Quæ*

Q. *Quæ sunt illæ res, quas, si Parochus benedicere vellet, facultatem ab Episcopo habere deberet?*

R. Indumenta Sacerdotalia ad Missam adhiberi solita. Mappæ, seu linteamina Altaris: Corporalia, Vascula pro S. Eucharistia conservanda, vel ad infirmum portanda. Cruces novæ, Imagines Christi Domini, B. V. M. & aliorum Sanctorum, lapis primarius pro ædificanda nova Ecclesia, novum Cœmeterium. Insuper nullam rem benedicere potest, ubi unctio S. Olei intervenit. *Rit. Rom.*

Q. *Quid Parochus tenetur successori suo derelinquere?*

R. Annum gratiæ, h. e. quando cedit Beneficio, vel moritur in *Januario*, *Febr. Mart.* debetur ipsi tantum quarta pars omnium reddituum juxta valorem sui Beneficii, sed Successori relinquet frumenta æstivalia ad seminandum.

Si in *Apr. Majo Jun.*, debetur ipsi medietas. Si in *Jul. Aug. Sept.*, debentur ipsi tres partes, sed frumentis hyemalibus successori relinquet ad seminandum. Si vero residuis mensibus, habet totum hujus anni proventum cedens, seu mortuus. *Constitut. Synod.* pag. 177.

§. VII.

De Sepultura.

Q. Ubi *fideles sepeliri debent?*

R. In Ecclesiis, sive circa Ecclesiam suam Parochialem, nisi sibi alibi elegerint sepulturam.

Q. *Qui in loco S. prohibentur ab Ecclesia sepeliri?*

R. Omnes, qui sine Baptismo *fluminis* & *flaminis* mortui: hæretici non tolerati, & eo-

rum fautores, Apostatæ a Fide, Schismatici, publice excommunicati, aut nominatim interdicti, se ipsos ob desperationem vel iracundiam occidentes; nisi ante mortem dederint signa Pœnitentiæ. Item ignotus non sepeliatur, priusquam probabilia indicia non habeantur, quod Catholicus fuerit, & ut talis obierit. Deinde si quis occisus inveniatur, terræ prius non mandet Parochus, quam Magistratus de facta cæde fuerit certior factus. Item omnes, qui in peccato mortali, absque Pœnitentia mortui certo sciantur, & qui in loco duelli obierunt.

Prædicti omnes solum tunc privantur sepultura Ecclesiastica, quando ante mortem pœnitentiam non egerunt. *Can. 6. de Consec.* Ubi vero in prædictis casibus dubium occurrerit, Episcopus consulatur.

Q. *Quam cito post mortem, sepelienda sunt corpora?*

R. Saltem post spatium 24. horarum.

Q. *Quo tempore?*

R. Omnibus diebus etiam Dominicis, Festis, si id ratio exigat. Feria sexta Magna, si sepeliantur abstinendum est a pulsu campanæ, qui tunc est prohibitus.

Q. *An Parochus potest differre sepulturam, vel retardare propter jus sepulturæ nondum solutum?*

R. Nullo modo; cum nulla ratio patiatur, ac Christianæ pietatis repugnans videatur, ob pecuniarum interesse cadavera insepulta remanere. *Sac. Congr. Episc. & Regul.* 17. *Septemb.* 1717.

Q. *Corpora defunctorum quomodo ponenda sunt in feretro, dum in Ecclesiam deportantur?*

R. *Laicorum*, pedibus versus Altare majus; *Presbyteri* vero habent caput versus Altare.

Extra Ecclesiam consuetudo habet, quod pedes

des *Laicorum* ſint verſus orientem; *Presbyterorum* vero caput.

Q. *Quid eſt quarta pars Funeralium?*

R. Eſt quædam portio a Canonibus inducta, & approbata, Parocho pro ſuſtentatione debita, ex iis, quæ Regularibus obveniunt, ex quo in ipſorum Eccleſiis eligat quis ſepulturam, & apud eos ſepeliatur.

Quantum tamen ad ſolutionem hujus portionis Canonicæ non concordant DD. in aſſignanda quota. In quibuſdam enim partibus debetur Parocho medietas, in aliis tertia, & quarta, ſecundum varia jura, & conſuetudines antiquas.

Q. *Quæ ſunt obſervandæ circa ſepulturas, quando fiunt apud Regulares?*

R. I. Non omnino corpora in Eccleſia Regularium ſepelienda deferri debent ad Eccleſiam Parochialem, S. R. C. 14. Mart. Anno 1722.

II. Parochi aſſociantes funus ad Eccleſiam Regularium arceri non poſſunt ab ingreſſu Eccleſiæ illius cum Cruce, & ſtola. Bened. XIII. Bul. *Pretioſus*.

III. Pro cadaveribus apud Regulares ſepeliendis non licet Parochis plus exigere, quam ſi in eorum Eccleſiis ſepelirentur. S. C. Ep. & Regul. 18. Jan. 1672.

Q. *Quando cadavera ſepulta licite exhumari poſſunt?*

R. 1. Quando perpetuæ ſepulturæ non ſunt adhuc tradita, ſed tantum depoſita in aliqua Eccleſia, aut Capella. 2. Dum exigit Capellæ renovatio. 3. Quando ſepulta ſunt contra voluntatem Teſtatoris. Ex Decr. S. C. Epiſc. 31. Octobr. 1640.

In aliis autem caſibus licite exhumari non poſſunt abſque Epiſcopi facultate, etiamſi Judex ſæcularis pro recognitione corporis petat

llius exhumationem, eo quod magna suspicio existat de morte violenta defuncti. S. C. Ep. 11. Sept. 1643.

Pro commodo curam Animarum gerentium adduntur casus nonnulli scitu necessarii.

§. I.

I. Q. *Quid faciendum Curato cum Pœnitente maleficiato?*

R. 1. Signa maleficiati sunt hæc: 1. Si ægrotus magis horret cibos in occulto benedictos, quam alios. 2. Si laboret siti, aut fame, & tamen neque bibere, neque manducare potest, neque illi ullæ medicinæ aliquid prosunt, quæ in similibus prodesse solebant. 3. Si ex ore ejusdem exeant quasi infernales fœtores sulphuris, picis &c. 4. Si ex ventre ejus procedant insoliti clamores ranarum &c. 5. Si per vomitum ejiciantur ranæ, vermes, crines, aciculæ, vitra, & alia similia.

Circa conjugatos solent hæc esse signa maleficii.

1. Si maritus uxorem absentem satis diligit, præsentem vero odio habet. 2. Cum vir uxori, nec vicissim, appropinquare potest ad habendum maritalem actum, tunc signum est, quod sagæ aliquod corpus intermedium existat. 3. Dum natura licet sit satis robusta, & tamen debilitatur, quando maritalis attentatur copula. 4. Si uxor sit capax, pro illo tamen tempore, dum tentatur copula, subito ita constringitur, ut penetrari nequeat. 5. Si maritus sit capax ad coeundum cum aliis, non vero cum uxore propria, etiamsi eam diligat, &c.

R. 2. Post peractam rite Confessionem cognito

gnito maleficio, poterit Curatus facere exorcismum, & illis remediis uti, quæ solent applicare communiter exorcistæ *ex Rituali*. Ante cubitum aspergendi sunt aqua benedicta, & aliis rebus Sacris muniri debent.

Maleficio affectus potest uti balneo, seu lavacro ex variis herbis, exorcismo præmisso, benedictis.

II. Q. *Quid faciendum Parocho, si aliqui accedant ad Confessionem quasi obsessi a dæmone?*

R. 1. Signa vere obsessi certa, & secura sunt hæc; si noscatur ante rudis & illiteratus, postea disputet subtiliter; si variis linguis loquatur, quas numquam scivit; si intelligat verba lingua ignota prolata: si vere occulta & remota intra brevissimum tempus annuntiet; si ante fuerat debilis, nunc supra modum robustus: si certo sciatur per aliquot dies nihil manducasse, aut bibisse, & tamen fortis appareat: si insolitus, & contranaturalis tumor in corpore appareat: si se cruentat, saxis collidat, in ignem mittat, nec ullum malum sequatur: si se aliquo instrumento lædat, & mox sine ullo remedio sanetur: si elevetur in aera: si ad Sacra contremiscat, unde detur ipsi ad bibendum aqua benedicta, & non benedicta; vera aliqua Reliquia S. & frustum ligni in involucro, si sciat semper discernere, signum est veræ obsessionis.

Plurima alia sunt signa, in quibus, uti & in recensitis sit Curatus ex omni parte cautus, ne in illis simulata malitia interveniat, præsertim in mulieribus, quibus non facile credendum est.

R. 2. Si probabile signum adest, probet ulterius Parochus tali v. g. modo: privato adhibitis duos vel tres testibus (quod fieri potest sine scitu Episcopi) disponat obsessum, ad

actum Fidei, una cum ipso oret, *Pater noster*, *Credo &c.* Invocato Spiritu S. ponet manum super obsessam personam cum fiducia ad Deum dicendo secreto præceptum illud: *Ego N. Minister Christi, & Ecclesiæ in nomine Jesu Christi præcipio vobis immundi spiritus, si qui latetis in corpore hujus hominis a Deo creati, vel si quo eum modo vexatis, ut statim mihi præbeatis aliquod signum evidens, & certum præsentiæ vestræ absque documento quocumque.*

Simile præceptum formetur, si persona obsessa vult aliquod Sacramentum suscipere, & diabolus eam torquet: *Ego N. Minister Christi, & Ecclesiæ in nomine Jesu Christi præcipio vobis immundi spiritus, ut hanc personam non vexetis, nec eam ad hoc Sacramentum N. accedere impediatis.*

R. 3. Habito autem evidentissimo signo veræ obsessionis procedat Parochus ad expulsionem; si tamen velit exorcizare publice & solemniter, prius omnino licentiam ab Episcopo habeat, & quæ erunt tunc facienda, prolixam informationem reperiet *in Rit. Majori.*

Si nullum signum certum appareat obsessionis, persona talis discrete castigetur, & si est advena, e finibus Parochiæ pellatur, ne Deum amplius offendat, Ecclesiæ illudat, homines præsertim infideles scandalizet.

III. Q. *Quid faciendum Parocho cum pœnitente, si confiteatur se esse subscriptum diabolo?*

R. 1. Cautissime cum talibus procedendum est, ne ipsum Confessarium & Sacramentum turpis lucri gratia illudant, sperantes a Confessario se aliquid accepturos, maxime si dicant id factum esse ob paupertatem, & maximam miseriam.

Deinde attendat Sacerdos, si non sunt sagæ, seu personæ vitæ suspectæ, quæ jussu dæmonis

solent

solent absque ulla verecundia peccata luxuriæ confiteri, ut ipsum Confessarium exinde tentationibus repleant.

Aliæ personæ simulabunt se esse sagas, seu se posse nocere in vita, vel in sanitate iis, qui eas eleemosyna non dignantur: Aliæ accusabunt se de horrendis & inauditis peccatis eo fine, ut Sacerdos ex commiseratione succurrat: in his & aliis similibus opus est magna prudentia hæc omnia discernere.

R. 2. Quodsi nulla deceptionis signa appareant hoc modo cum talibus, sicut cum obsessis procedat. 1. Disponat pœnitentem ad Confessionem perfectam. 2. Detestetur pactum cum diabolo, illudque per merita Christi annullet cum plena fiducia; nil obstat, etsi dæmon non reddat Chyrographum. 3. Dicat cum eo Professionem Fidei ex *Conc. Trid.* 4. Muniatur SS. Reliquiis. 5. Oret frequenter cum summo dolore, ac sæpius muniat se signo S. Crucis cum aspersione aquæ benedictæ. 6. Resistat fortiter tentationibus, neque timeat horribiles aspectus diaboli. 7. Firmam fiduciam habeat in Deo, & meritis ac Passione Christi, non desperet de salute. 8. Dum imminet tempus determinatum subscriptionis, huic Sacerdos assistat personaliter, suadendo ante hoc tempus Confessionem denuo faciendam esse, & S. Communionem. Utatur Sacerdos Exorcismis huic actui convenientibus.

IV. Q. *Quid faciet Parochus, si quæ persona confitetur se esse vere magam seu sagam?*

R. Talis examinanda est de Apostasia a Fide: de Idololatria; Diabolum enim loco Dei adorant: de blasphemia in Deum & Sanctis; de Saerilegio, seu abusu rerum sacrarum, & Eucharistiæ: de commixtione luxuriosa cum dæmone: de damnis hominibus illatis, iisque resarciendis; libri, si quos habet, comburantur;

tur; si ostendat Chyrographum, Sacerdos dilaceret, & in igne benedicto comburat.

Finita Confessione repetat Sacerdos cum tali dolorosam detestationem suorum peccatorum cum firmo proposito emendationis, ac renunciationem diabolo, & affectui ejusdem: dicat cum illis Professionem Fidei.

Moneat talem, quod per hanc renunciationem, & Confessionem seriam, omnia jam pacta diaboli solvantur, & subscriptio ei data penitus cessat, etiamsi Chyrographum datum amplius non redderet. Tandem detur absolutio (habita facultate) ab omnibus censuris & peccatis. Et quia tamen solet dæmon infestare, muniatur rebus sacris.

Q. *Si intra Confessionem prædicta Persona fateatur aliquos infantes in nomine diaboli, aut alio quovis modo invalide baptizasse?*

R. Obligabit illam Sacerdos, ut sibi id extra Confessionem manifestet, ut talibus in remedio salutis summe necessario subveniri possit.

Q. *Si dicat se S. Hostiam in terra servasse?*

R. Si non pridem hoc factum sit, curet Sacerdos pro posse invenire. Si vero longo jam tempore, commendabit hanc rem Deo, quia in loco humido supponitur species panis jam corruptas esse.

Q. *An Parochus debet tolerare consuetudinem probandi sagas per aquam?*

R. In Polonia statutum est in *Const.* A. 1543. Causam incantationis & magiæ ad judicia spiritualia pertinere; probatio autem per aquam omnino est illicita.

V. Q. *Quid faciendum Parocho, si vocetur, ut spectra diabolica, vel magica expellat a domibus, quæ infestantur?*

R. Debet præ primis attendere, & examinare omnes circumstantias loci, temporis, per-

sona-

ſonarum &c. an ſint vera ſpectra, vel potius vanus timor, aut aliqua fraus humana?

Si cognoverit, quod ſint ſpectra diabolica, præmiſſis orationibus, jejuniis, Sacrificio Miſſæ, ante omnia Deo confiſus Sacerdos puram habens conſcientiam, patremfamilias, ac congregatos domeſticos ad firmam fidem, & fiduciam in Deum, ac Chriſti Domini merita, ad contritionem de peccatis adhortetur. Poſtea indutus ſuperpelliceo, ſtola, cruce, acqua benedicta accepta, & candelis benedictis accenſis, ſimul cum habitantibus proceſſionaliter accedat ad portam domus, ibique Litanias de omnium Sanctorum inchoabit, quas circumeundo continuabit, & in loco principaliter infeſtato coram Crucifixo finiet.

His peractis tanquam Judex a Deo deſtinatus, voce gravi præceptum probaticum contra dæmonem pronuntiet dicendo: *In virtute SS. Trinitatis, & in nomine D. N. J. C. præcipio vobis dæmones, ut ſi habeatis aliquam poteſtatem in hanc domum, detis mihi ſine ulla læſione ſignum evidens præſentiæ veſtræ, cauſando aliquem tumultum, aut rumorem, quem prius me abſente cauſare conſueveratis.*

Quod ſi nullus tumultus, aut aliud ſignum præſentiæ habeatur, recte infertur, aut ibi nullum fuiſſe ſpectrum, aut jam evanuiſſe, aut eſſe animam damnatam, vel in purgatorio exiſtentem.

Ultimus genuflexis cæteris, & firma fide ac fiducia in Deum, orantibus, ipſe Sacerdos ſedens pro tribunali, ad expulſionem procedet faciendo Exorciſmum ex aliquo Rituali approbato convenientem huic actui.

Q. *Quid faciendum, ſi adhibitis omnibus modis adhuc dubitetur an ſit ſpiritus bonus, vel malus?*

R. Poteſt practicari modus P. Joan. Godi;

Vid. *Armam. p. 2. c. ult.* Ille enim vocatus ad similem actum recitavit Officium Defunctorum. Postea strepitu audito adjuravit spectrum in virtute SS. Trinitatis, & Nominis Jesu, ut non recederet de loco, priusquam ad ea, de quibus interrogaverit, veraciter respondeat.

Quæsivit autem 1. An esset spiritus bonus, vel malus? *Poterit (si dicat se spiritum bonum) peti, ut secum nomen Jesu honoret, & devote invocet.* 2. Instabat quis esset, quid velit, quibus cognitis illam animam dimisit, & pro illa, quæ petebat, facienda curavit.

Signa malum spiritum apparere, sunt: si ad verba: *Omnis bonus Spiritus laudat Dominum* fugiat, vel contrarie se exhibeat. 2. Si res benedictas horreat. 3. Si prætendat suæ apparitionis causam pravam, aut falsam. 4. Si proferat quid contra fidem, vel bonos mores, 5. Si appareat in forma deformi, & horrifica cum tumultu, vel in specie sordidi animalis &c. 6. Si postquam præstitum est, quod petiit subsidium, rursus quæsitis aliis causis redeat.

Q. *Quæ remedia domum ab omni infestatione diabolica præservandi?*

R. 1. Vera fides, & roborata fiducia, quod Deus hanc domum, omnesque habitatores certo sit ab omni vexatione diabolica protecturus.

2. Paterfamilias qualibet vespera domum aqua benedicta aspergat, simulque præceptum formet Dæmonem excludens, imo quilibet incola in suo loco privato, dicendo ver. gr. *In nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio vobis dæmonibus omnibus, ne ullus vestrum per se, nec per ulla instrumenta vestra me aut meos molestare præsumat, in Nomine* ✠ *Patris &c.*

VI. Q. *Quid faciendum Parocho cum illis, qui proponunt in Confessionali varias sibi revelationes factas, aut in extases se raptas.*

R. Nec talibus facile credendum, neque statim applaudat Sacerdos tali Pœnitenti laudando illum, aut miretur quasi Sanctum; quinimo moderate increpet, tentando illum, num aliqua in ipso simulatio sit, aut superbia.

Bene advertat Sacerdos. 1. An materia revelata nihil contineat contra Fidem. 2. An talis pœnitens sit vitæ vere devotæ, humilis, & abnegans se ipsum. 3. An supra suum statum pusillanimitatis revelat difficilia. 4. An non sit nimis melancholicus. 5. An revelata tendant ad majorem Dei gloriam. *Plura scienda suppeditabunt libri Mystici.*

Sciendum autem est, quod plures morbi sunt, qui habent quandam similitudinem cum extasi naturali, ut sunt, *Catalepsis*, qua homo destituitur omni sensu. *Cares*, qui est somnus profundissimus. *Suffocatio uteri* est morbus fœminis familiaris, qui si magnus, mulieres tanquam mortuæ apparent, transacto autem, proxime audita referunt.

§. II.

Q. QUid observandum sit Parocho seu Confessario illius, qui deliberat de statu vitæ eligendo?

R. 1. Acturus cum deliberante Confessarius, sit prorsus indifferens, ne Deum præveniat, sed sequatur. Vocatio est lumen Dei, a quo, qui alio declinat, errat. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater cælestis eradicabitur.* Math. 15.

2. Rem hanc, a qua deliberantis æterna salus pendet, Deo Patri luminum sæpius com-

mendet Confessarius. Multi sub Missa in *Memento* eorum recordantur, quos in anima dirigendos assumpserunt.

3. Ut melius dirigere possit, conetur deliberantem prius non tantum, quoad internum animæ statum, sed etiam quo ad naturam, talenta, educationem, inclinationem &c. perspectum habere; præcipue considerandi sunt habitus, seu consuetudines peccandi; tales enim, si quis in se habeat, cautissime debet eligere, ne se conjiciat, in statum, in quo moraliter certum sit, quod vitam ducturus sit sceleratam, scandalosam & tandem æternum periturus. Hinc nemo unquam prudens suaserit alicui habituato in vitio carnis, & ebrietatis, ut statum spiritualem, aut Religiosum Ordinem talem assumat, in quo major, quam in aliis libertas; ordinarie enim nihil boni sperandum, nisi emendatio seria & solida præcedat, vel certe eligendus is status Religiosus, in quo periculis labendi severissime præcautum sit.

4. Jubeat deliberare an in sæculo manere velit, an spiritualem seu Ecclesiasticum assumere præstet, an Religionem ingredi velit. Si Religionem, investigandum qualis Religio perplacet.

Quisque debet se primo resolvere ad statum in genere, postea ad statum in particulari, & denique ad statum in individuo.

5. Suadeatur, ut rationes (quibus ad hunc potius statum eligendum permotus sit) scripto adnotet, uti & illas, ob quas alios status sibi non judicat convenire. Juvabit etiam eidem quædam contra illum statum, quem deliberans eligere vult, objicere, ita tamen, ut positive nullum ei statum dissuadeat, moneatque quatenus primam curam habeat de anima.

6. Co-

6. Conetur Confessarius deliberantis motiva discernere an a Deo, an ab amore proprio, an a consanguineis, vel dæmone sint profecta; reque diu coram Deo considerata, suum ei consilium aperiat, memor, quod hanc animam, quam Deus ejus curæ tradidit, etiam ab eodem sit repetiturus.

7. Etiam extra confessionem cum deliberante agat Confessarius, in rebus spiritualibus instruat, communicando ipsi devotos libellos. Et ingressuro statum Ecclesiasticum, seu Religiosum explicet status difficultates, suadeat tales corporis mortificationes, quæ illi statui sunt præscriptæ, ne nova deinde omnia videantur.

Q. *Quæ sunt suadenda a Confessario ipsi deliberanti in actu deliberationis?*

R. 1. Inchoaturus deliberationem det se orationi in conscientia munda a peccato mortali, frequentet Sacramenta *Pœnitentiæ* & *Eucharistiæ*. Siquidem opus hoc gravissimi momenti est, in quo agitur de negotio omnium maximo, quod est æterna salus propriæ animæ, ideo rogandus est Spiritus S. ardenter, habeat particulares suas devotiones ad B. V. M. S. Angelum Custodem, & ad alios Sanctos Patronos, si quos in hunc finem sibi elegit.

2. Assuescat frequenter usurpare pia suspiria, v. g. *Domine quid me vis facere? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Domine doce me facere voluntatem tuam &c. &c.*

3. Finis ultimus semper spectandus, & regula in omnibus eligendis est hæc: *Dei honor & obsequium, nostraque æterna salus*, ita ut quidquid nobis magis deserviet ad hunc finem, id nobis eligendum sit, quod minus eo conducet, id non sit eligendum.

4. In-

4. Innuat Confessarius, quod singuli status *Sæcularis*, *Spiritualis*, & *Religiosus* afferunt sua commoda in ordine ad consequendam salutem: *Sæcularis* per eleemosynas, per piam educationem prolium, per bona exempla apud domesticos &c. *Spiritualis* per administrationem Sacramentorum, per occupationem ferme continuam in cultu Divino: per continuas pauperibus, benefaciendi occasiones tam in temporalibus, quam spiritualibus, per bona exempla confratrum &c. *Religiosus* per observationem votorum: per separationem a rebus mundanis; per pia exercitia, quæ regula præscribit: per vigilem curam Superiorum &c.

Econtra etiam singuli illi status habent sua incommoda, eo quod afferant occasionem & pericula peccandi. *Sæcularis* per injustitiam, avaritiam, discordias in conjugio, per adversitates cum liberis, exempla mala corrupti sæculi &c. *Spiritualis* per nimiam libertatem, conversationes periculosas, abundantiam eorum, quæ sunt illicia peccandi &c. *Religiosus* per tentationes, per adversitates, quæ aliquando causantur ob indiscretionem Superiorum, immortificationem fratrum, cum quibus agendum est &c.

5. Ut deliberans eligat, non debet ad hoc præcise attendere, quis status sit in se perfectior, alioqui omnes deberent fieri Religiosi; sed attendere debet, quis status respective ad se sit melior, id est, quis status futurus sit ipsi magis accommodatus, *ut ipse melius Deo serviat in hac vita, & in altera securius salvetur*. Et quia multi hoc non considerant, male eligunt, licet fiant Religiosi, qui si in sæculo mansissent, fuissent salvati, nunc damnantur, quia eligunt statum respective ad se non convenientem, & in quo propter naturam ineptam,

vel

vel habitus pravos non observabunt illa, quæ in tali statu sunt observanda.

Q. *Ex quibus signis agnoscere quis possit vocationem suam?*

R. 1. Si ab ipsa pueritia diu & constanter sentiatur affectus ad aliquem statum, idque maxime sub oratione, & pietatis exercitiis, absque eo, quod ille status ab ullo sit persuasus.

2. Si quis ita constitutus sit, ut nisi crederetur hic instinctus a Deo, promptissimus foret ei nullo modo obtemperare.

3. Si quoties recordatur hujus instinctus, toties sentiat se impelli ad bonum, & desideria Christum sequendi, eaque omnia præstandi, quæ ad animæ salutem & Dei gloriam spectant.

4. Si talis instinctus veniat cum animi pace, & lætitia, & in longiori ejus cogitatione gustum & consolationem sentiat, e contra dum ab eo se avertit, & mentem alio applicat, sentiat animo suo non satisfieri.

5. Si sentiat sibi in animo quasi promitti vires ad perferendum omnia onera, & incommoda illius status, adlique spem ad vincendas impugnationes tum dæmonum, tum aliunde occurrentes.

6. Si rationes sibi objectas facile solvere possit, nec aliorum dissuasiones multum curet; nec moveatur in oppositum aliorum exemplis, quidcunque alii agant, aut eligant.

7. Inclinatio ad aliquem statum non necessario debet esse valde vehemens, sed sufficit, ut sit talis, ut adverti possit. Errant proinde, qui non credunt se vocari, nisi quasi ardeant præ desiderio alicujus status: aut nisi continuo diu noctuque se impelli, ac quasi per capillos ad eum se trahi sentiant, quod licet aliquando faciat Deus, plerumque tamen non

fa-

facit. Tonabat quidem vehementius, dum Saulum ad se vocabat, Apostolos tamen in sibilo auræ tenuia per modum transeuntis vocavit, & uterque modus erat vox Dei.

8. Præter hanc affectionem ad aliquem statum, solet Deus vocare per illustrationem intellectus, qua quis perpensis rationibus agnoscit quis status pro sua salute, aliisque circumstantiis sit melior.

9. Si quis aspiret optima mente ad Religionem, qui tamen teneretur succurrere parentibus, non agitur a bono spiritu, nec enim Deus suadet bonum, ut inde eveniat malum; nec minus bonum, impeditivum majoris. *Heven.*

10. Si quis moveatur ad Religionem, antequam ullum in ea noscat, vel cum ullo agat, signum est operantis Spiritus Sancti, adeoque tuto hunc sequi potest.

11. Si Deus alicui negavit id, quod hic aut ille status postulat, probabile est, quod illum non destinet ad hunc statum.

12. Si se determinare non posset deliberans, non est suadendum, ut rem sorti committat v. g. diversos status diversis chartis inscribendo, quem sorte traheret, ad illum se resolveret, sed potius pro determinatione pleniori devotionem aliquam sibi eligat, vel *Recollectiones* per aliquot dies absolvat.

Q. *Quæ monita danda sunt a Confessario aspiranti, & jam se determinanti ad statum spiritualem seu Religiosum?*

R. 1. Diabolus videns brevi sibi tempus superesse, hic potissimum laborat, & conatur mille impedimenta ponere, ideo aspirans in omnibus cautus esse debet.

2. Determinatio ad certum statum non omnibus est promulganda, quia multa hinc sequi solent incommoda.

3. Non velit, quasi a bacchanalibus ad

Qua-

Quadragesimam, ita a comessationibus, conviviis, saltibus per cognatos institutis transilire ad statum spiritualem sive religiosum; etenim pessimæ species inde colliguntur, in quibus ejiciendis multum laboris habebit. Potest valedictio fieri etiam sine his comessationibus, quæ & sanitati, & famæ, & non raro etiam animæ nocent. Stulta præparatio per offensam Dei, se velle ad Deum disponere, *Nec enim ad virtutem*, ait S. Basil. *iter est per vitium*.

4. Maxima cura cavenda est societas, & consuetudo, nunquam plus orationi, quam nunc, insistendum.

5. Non audiendi tentantes, qui, ubi determinatio innotuit, sunt plurimi. Hic promittit montes aureos, spondet promotiones, viam ostendit ad divitias, & nescio quas delicias; ille cavillatur statum, quem aspirans ingredi intendit, narrat mira, & sæpe infamissima, alter exprobrabit ætatis imprudentiam, suadebit differendam executionem; in quibus omnibus constantem se exhibere debet, & similia vel joco excipere, vel spirituali doctrina retorquere.

6. Præparet se ad ultimos parentum conatus, blanditias & lachrymas: quomodo iis obviare debeat, ne his emolliatur animus.

7. Abiturus, illa die communicet, & parentibus valedicens, ab iis flexis genibus paternam benedictionem petat, sicque resolutus calcato mundo ad Christi militiam & Crucem avolet. Resolutione generosa reddat sibi facilem a charis separationem. Caveat tristitiam aliquam admittere, nam hilarem datorem diligit Deus.

§. III.

Q. QUid *observandum Parocho cum captivis ad mortem?*

R. 1. Imprimis Sacerdos ingressus carcerem debet sibi conciliare amorem & confidentiam rei. 2. Excitet reum ad virtutem pœnitentiæ, patientiæ & resignationis in voluntatem Dei. 3. Ordinarie non inducatur reus ad confessionem sacramentalem faciendam, donec prius judicialiter sit sua crimina confessus; nisi sit graviter infirmus, vel aliud immineat periculum.

Q. *Si Confessarius resciverit ex Sacramentali confessione reum esse innocentem, sed vi tormentorum, vel falsis testibus esse convictum?*

R. Non propterea adeundus est judex, sed hanc rem Deo commendet. Quia judex ex una parte, nihil ad persuasionem faceret, cum ipse judicaverit secundum allegata & probata; ex altera parte daretur occasio aliis etiam nocentibus sua crimina reticendi in confessione.

4. Non exprobret reo crimina, nisi quantum ad forum conscientiæ necesse fuerit. Adhortandus est ad confessionem generalem. In die fatali rursus confiteatur.

5. In via Sacerdos post reum ibit, cavebit, ne reum jubeat citius ire. Non detur reò nimium vini bibere. Post mortem anima circumstantibus recommendetur, & fiat exhortatio, (si eo loci fieri solebat in similibus casibus) ut alii abstineant a vitiis. Monendi parentes de bona educatione liberorum &c. &c.

Q. *Si reus vi tormentorum fassus est crimen, quod non fecit, an Confessarius eum debet adstringere ad revocationem?*

R.

R. Non; eo quod non teneatur reus cum tanto cruciatu vitam tueri. *Tan. Les. Lohn.* &c.

Q. *Quæ cautelæ circa Confessionem damnatorum ad mortem adhiberi debent a Confessario?*

R. *Primo*. Ut si pœnitens confiteatur, se aliquot crimina, etiam semiplene probata, negasse, non importune urgeat ad illa adhuc coram Judice confitenda. *Les. Fil.* &c.

Secundo. Ut neque fugam suadeat, nec ad eandem ullo modo per oblationem instrumentorum, aut pecuniæ cooperetur; quia, etsi per se omnes, qui non sunt ministri justitiæ, cooperari posse ad talem fugam, armaque ad effringendos carceres offerre. *Vasq. Les.* doceant, ut tamen Confessarius id faciat, non expedit, quia posset sibi, totique Clero grandem aversionem judicum creare, efficereque, ut deinceps tam libere non permitterentur Sacerdotes agere cum reis. Eleemosynam posset dare pro necessitatibus rei.

Tertio. Ut, si forte reus in foro externo jam convictus, ideoque ad mortem etiam damnatus, constanter adhuc crimen neget, atque etiam in ipsa Confessione Sacramentali innocentem se esse dicat, eidem absolutionem quidem impertiat, (cum in foro interno magis reo, quam omnibus aliis credendum sit) interea tamen moneatur de obligatione illud fatendi, si illud revera commiserit, & saluti suæ prospectum velit.

Quarto. In dicto immediate casu, & aliis, non recipiat in se patrocinium supplicii remittendi, quia sic reum non posset tam commode disponere ad officium suum faciendum, utpote qui semper haberet spem vitæ a Confessario obtinendæ, & si spe cadat, animum ab eo penitus abalienaturus esset.

Quinto. Ut nullo modo ipsemet Confessarius sen-

sententiam mortis reo indicet, sed dicant suum officium esse, ad mortem pie, fortiterque obeundam, reum disponere.

Q. *Si reus ad mortem damnatus (vel alius quispiam, v. g. infirmus morti proximus) ex pertinacia, vel desperatione confiteri nolit?*

R. *Primo*. Confessarius se ad preces conferat, & maxime ad SS. Missæ Sacrificium, ubi dum Sacram Hostiam in manu habebit, illis Estheris verbis Salvatorem suum & rei alloqui poterit: *Si inveni, o Domine, gratiam in oculis tuis, & si placet tibi, dona mihi hanc animam, pro qua rogo, &c.* Eundem in finem etiam aliorum piorum hominum preces implorare poterit.

Secundo. Maximam, quam potest, charitatem, tum per blanda colloquia, tum per opera misericordiæ, v. g. cibi, aut potus emendicationem, exhibeat.

Tertio. Offerat aliqua Sacrificia pro animabus Purgatorii, constat enim hoc medium sæpius non parum efficax fuisse ad felicem negotii hujus successum impetrandum.

Quarto. Narret interdum adstantibus historias quasdam, vel de magnitudine gaudiorum cœlestium, vel tormentorum infernalium. Interdum proderit etiam historiam aliquam tragicam impœnitentis hominis, & turpiter a Diabolo contra promissionem derelicti narrare; aut etiam alterius cujusdam in ipso mortis articulo resipiscentis, & cum magno spectatorum gaudio & commendatione morientis.

Quinto. Si tempus fatalis diei advenerit, suaviter interroget, an non meliora consilia conceperit, adesse jam paulatim momentum, a quo pendeat felix, aut infelix æternitas. Roget per vulnera, & sanguinem Christi, ne salutem suam negligat. Imo interdum expediret etiam in genua provolvi atque ad idem faciendum adstantes hortari.

Sex-

Sexto. Si lictores veniant ad illum abducendum, indicet, nunc eum vere iter æternitatis ingredi. Alloquatur coram reo Christum crucifixum, quem in manibus habet, rogetque ne permittat perire hanc animam suo sanguine redemptam, aliaque plura in hunc finem apta proferat.

Septimo. In egressu, si nolit orare reus, non urgeat eum, sed potius cum sociis lingua vernacula preces fundat pro eo ad Deum, & nonnunquam suaviter quærat, an non refocillatione aliqua indigeat.

Octavo. Ubi ad locum supplicii deventum fuerit, jubeat omnes adstantes genuflectere, & pro reo preces fundere. Quod si nihil his omnibus effecerit, aliqui putant ad terrorem & exemplum adstantium ei, dum ictum fatalem excepturus est, minaci vultu dicendum: *Ergo abi maledicte in ignem æternum, qui paratus est &c.* Ego tamen potius ingeminanda adhuc pia suspiria contritionis judicarem, ut vel in ultimo articulo non desertus forte resipiscat. *His mediis & aliis similibus uti potest Curatus in convertendis obstinatis hæreticis*.

§. IV.

Q. AN, *& quomodo Curatus hæreticos a sua hæresi adducere debeat?*

R. Omnino ad zelosum Curatum pertinet Dei gloriam, Ecclesiæ Catholicæ augmentum, & animarum salutem procurare; ideo necesse est, ut sedulo curet, errantes oviculas quærere, atque ad ovile Christi cum magno Dei, Angelorumque gaudio, & ipsarum ovicularum solatio reducere.

Q. *Quibus mediis reduci possunt errantes ad Fidem Catholicam?*

R. *Primum* medium, *Oratio assidua*. Certe hic,

hic, si ullibi alias locum habet illud Christi Joan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

Secundum. Ut ad *bonorum operum exercitium*, si potest, eosdem Curatus animet.

Tertium est, *inductio*, ut Templa nostra frequentent, & Conciones audiant; sic enim alia longe (quam sibi falso hactenus persuaserant) videbunt, & audient. Certe experientia constat, quosdam, cum in libris per pastores diffidentium editis horrendas picturas seu icones Ecclesiam Catholicam malitiosissime denigrantes, ac exosam reddentes, vidissent: impudentissima mendacia, enormia convitia, inauditas calumnias in Catholicos, & eorum Religionem scriptas legissent, vel a suis parentibus & hæreticis ministris audivissent, ubi postea templa nostra ingressi, tantam in officiis Divinis peragendis uniformitatem & reverentiam adverterunt, in hæresi nutare cœpisse, atque ad Fidem Catholicam amplectendam animum habuisse. *Hæc omnia ipsa experientia coactus sum annotare*.

Quartum est, ut per *amicam conversationem* cum ipso Sacerdote, vel aliis Catholicis factam, paulatim ad suos errores detegendos inducantur, & occasione data interdum eorum falsa dogmata non directe statim impugnentur, sed solummodo ostendatur, ob has vel illas causas sibi ea creditu difficilia videri; sic enim paulatim iterum dubitare de veritate suorum dogmatum incipient, & salutares scrupulos, velut scintillas in ipsum denique accuratioris investigationis incendium erupturas concipient.

Quia tamen frequenter horrent ejusmodi personæ cum ipsis Sacerdotibus ab initio statim agere, ideo alii interdum, cum quibus habitant, instruendi sunt, quomodo cum iisdem

agere, & nonnunquam scrupulum injicere possint, quem in finem etiam libelli ejusmodi materias facili, & claro modo tractantes suppeditari possunt.

Q. *Quæ cautelæ circa ejusmodi personas adhibendæ sunt a Curato?*

R. Præcipue sequentes. *Primo*. Ut non nimis credulum se earundem narrationibus præbeat, sed per varias quæstiones diversis temporibus factas probet, an dicta illarum sibi satis cohæreant? An jam non sint absolutæ ab hæresi?

Secundo. Ut nec magnam sollicitudinem suscipiat in pecuniis pro ipsarum sustentatione colligendis, ne occasionem præbeat, ut propter ejusmodi commoda potius, quam veritatis agnitionem ad Fidem Catholicam transeant.

Tertio. Ut non nimis familiarem se illis præbeat, nec in privata conversatione quidquam aut dicat, aut agat, quod dictum aut factum nollet, si illæ ad vomitum redirent.

Quarto. Ne libros, aut alias quascunque res grandioris pretii iisdem commodet, quia experientia compertum est, non semel eas talia vendidisse, aut cum iisdem aufugisse.

Quinto. Non facile aliis Catholicis eas commendet per literas, ne onus earundem juvandarum satis ordinarie molestum ab humeris suis excutere, & in alias transferre voluisse videatur.

Verum tamen magna cum benevolentia & charitate tales sunt suscipiendi, ut tanta suavitate deliniti, suos errores, & vulnera tanto libentius aperiant, seque totos directioni committant.

Q. *Quid observandum Curato circa ægrotos?*

R. *Primo*. Invocato Dei auxilio faciat fir-

mum

mum propositum nihil aliud quærere nisi salutem proximi. Eadem promptitudine adibit tam pauperes, quam divites.

Secundo. Ante ingressum interroget domesticos de conditione morbi, moribus infirmi, ut possit ei condolentiam magis familiarem facere. Ingressus cubiculum dicat, *Pax huic domui*, aspergatque infirmum aqua benedicta.

Tertio. Patienter ferat Sacerdos infirmi discursum de suo morbo, verbis condolentibus, ac placidis captet sibi benevolentiam, prudenter ac discrete inclinet discursum ad præstanda remedia animæ.

Quarto. Si infirmus renuat confiteri, Sacerdos discrete, ac suaviter id ei innuere non omittat, ne in spem futuræ incertæ sanitatis differat confessionem.

Quinto. Post confessionem peractam, assignata ipsi levi aliqua pœnitentia, si nimium sit debilis, absolvatur, & dicantur cum ægroto Actus *Fidei*, *Spei*, *doloris* &c. Tandem dabitur Viaticum, Extr. Unctio, prout videbitur.

Q. *Moribundus destitutus usu linguæ, si pectus pulset, oculos in cœlum levet, vel aliud signum doloris ostendat, debetne absolvi?*

R. Quod si dubium sit, utrum ista signa fuerint orta ex vi contritionis, vel potius mœrore mortis, danda est absolutio sub conditione, ne exponatur nullitati Sacramentum.

Idem faciet si nec signa, nec testes signorum haberet Sacerdos, dummodo sciatur, quod moribundus hic christiane se gesserit frequentando Sacramenta.

Q. *Quæ sunt scienda circa Indulgentiam in articulo mortis?*

R. Bened. XIV. 5. Apr. 1747. concessit Indulgentiam plenariam, si has conditiones observet moribundus. 1. Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis quan-

quantum infirmitas permittit, recipiat. 2. Ut ex manu Domini mortem ipsam patienter subeundam, ac omnes dolores in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruerit libenter acceptet. 3. Ut benedictionem seu absolutionem a Sacerdote recipiat sub nota forma, *Adjutorium nostrum &c.*

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat; statim Sacerdos benedictionem incipiendo a verbis istis: *Dominus noster &c.* ei impertiatur. Et non tantum moribundis in lecto, etiam in executione justitiæ civilis quocumque modo interimendis, cum æque sint in articulo mortis, quam benedictionem quivis Sacerdos impertiri potest.

§. IV.

Decreta S. R. C. scitu necessaria.

1. IN die Octava Dedicationis Ecclesiæ lectiones 1. Noct. sunt de Communi, & non de Scriptura accipiendæ. S. R. C. 2. Septembris A. 1741.

2. In benedicendo populum cum Sanctissimo, Sacerdos debet perficere circulum redeundo ad Altare ex parte manus dexteræ. S. R. C. 21. Mart. A. 1676.

3. Cruces Altarium vel Processionum non sunt benedicendæ de præcepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non solemniter. 12. Jul. A. 1704.

4. Sacerdotes non debent deferre strophium super calicem tam in eundo, quam redeundo ab Altari, neque illud debent collocare super Altare, sed appendere subter casulam. 1. Septemb. A. 1703.

5. Omnibus diebus Dominicis, quæ non habent suam propriam Præfationem in Missa dici, seu cantari debet Præfatio de SS. Trinitate, etiamsi in eam Dominicam incidat Festum primæ vel secundæ Classis nisi Præfationem propriam habeat. 3. Jan. 1759.

6. Quando Sanctissimum est expositum, omnes penes illud transeuntes cujuscumque Ordinis, & conditionis sint, sive ad illud accedentes, sive ab eodem recedentes semper utroque genu flectere debent. 16. Aug. 1651.

7. Non sunt inserendi alii Sancti in Litaniis omnium Sanctorum præter ibi scriptos, neque tempore pestis addendi sunt Tutelares, & Civitatis Patroni sine speciali concessione. 10. Jun. 1690.

8. Dum Missa cantatur coram Sanctissimo in Altari exposito, debet fieri commemoratio de Sanctissimo post omnes alias commemorationes de præcepto; & in Missis Solemnibus Festorum 1. vel 2. Classis facienda est sub una conclusione. 23. Jun. 1736.

9. Coram Sanctiss. in Altari exposito Concio debet fieri capite detecto. 16. Febr. 1730. Intellige si SS. non est obvelatum.

10. Quando Antiphonæ & ℣. *in Vesp.* variandi sunt pro commemoratione alicujus simplicis, vel Octavæ facienda, tunc ad Vesperas (supple post orationem Officii) prima accipienda est Antiphona cum ℣. Laudum. Si vero plures sint commemorationes simplicium ejusdem qualitatis, v. g. *Confessorum*, *Martyrum &c.* tunc secunda sumetur commemoratio ex secundis Vesperis cum ℣. secundi Nocturni. Tertia vero commemoratio fiet desumendo Antiphonam primam ex Noct. 3. cum ℣. ejusdem Noct.

Ad *Laudes* post orationem Officii prima commemoratio cum ℣. erit propria ex primis Vesperis,

ſperis, ſecunda commemoratio fiet cum Antiph. Noctur. tertii cum ℣. ejuſd. Noct. Tertia autem comm. fiet deſumendo Antiph. ex Veſp. ſecundi, & ℣. ſecundi Noct. S. R. C. 5. Maji 1736.

11. In depoſitione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum ſervo tuo &c.* etſi ſit mulier, aut plures defuncti, non poſſunt hæc verba: *Servo tuo &c.* mutari in *ſerva tua*, vel *ſervis tuis*, ſed immutabiliter tota hæc oratio legatur. 31. Aug. 1697.

12. In Ordinum collatione diebus a jure ſtatutis dicenda eſt ſemper Miſſa de feria occurrente, non de Sancto in ea cadente. 21. Mart. 1744.

13. Sacerdos Sæcularis vel Regularis habens Officium duplex, quin etſi duplex 1. vel 2. Claſſis celebrans ex devotione in Eccleſia, ubi celebratur Feſtum ſolemne: debet Miſſam celebrando conformare ſe illi Eccleſiæ, ubi celebrat, etiam quoad ſolemnitatem, & colorem apparamentorum. 29. Jun. 1752.

14. Sacerdos tam Sæcularis, quam Regularis habens Officium duplex, quin etſi dupl. 1. vel 2. Claſs. celebrans in aliena Eccleſia ex obligatione in ſolemni ſepultura alicujus cadaveris, vel Exequiis ſolemnibus, debet ſe conformare illi Eccleſiæ celebrando Miſſam *de Requiem*. Anno, & die, ut ſupra. *Quæ Decreta cum poſteriora ſint, derogant quibuſcumque aliis anterioribus in hacce materia.* Ita *Caval.* An. 1757. *apud Fer.* T. 8.

15. Cadavera non ſunt ſepelienda privatim ſine lumine, Cruce, Parocho, etiamſi id ordinaſſet defunctus, cum talis diſpoſitio tanquam irrationabilis una cum conſuetudine, quæ alicubi innixa eſſe poſſit, ſit rejicienda. *Rota Rom.* 15. Jul. An. 1699. Et Bened. XIV. T. 2.

16. In Vigilia Nativitatis Domini, ſicut & in tota ejus Octava (idem dicendum de Epiph.)

prohibentur Missæ Votivæ privatæ, & *de Requiem*, excepta una solemni pro re gravi, & *de Requiem* cantata præsente cadavere, vel in Anniversario vero depositionis defuncti in Ecclesia tumulante. 15. Sept. 1714. & 16. Sept. 1730. 10. Dec. 1718. *Dies Anniversariæ numerari debet a die obitus defuncti, & non a die sepulturæ, ut colligitur* ex Decr. 19. Jun. 1700. *Diei autem 3. 7. & 30. numerationem petendam esse non a die obitus, sed a die sepulturæ; quamvis non desint, qui censeant ab utroque die numerationem peti posse*. Ferrar.

17. Missa *de Requiem* cantari potest præsente corpore triduo ante Cœnam Domini. Item post Octavam Paschæ, & Pentecostes, & Corporis Christi. 11. Aug. 1736. & 7. Septemb. 1741. *apud Fer. T.* 8.

18. Privata Officii defunctorum recitatio Vesperarum & Matutini cum laudibus pro generali illorum commemoratione absolvi potest licite post Vesperas Festi omnium Sanctorum, secus vero in Choro. 4. Sept. 1745.

19. Quando est expositum Sanctissimum in Altari, non est omnino necesse Crucem collocare, quia Prothotypus adoratur. 7. Septemb. 1741.

20. In Missis defunctorum non potest fieri Communio per modum Sacrificii, nempe de illis particulis, quæ intra eandem Missam fuissent consecratæ; bene vero per modum Sacramenti extrahendo pyxidem e Ciborio. 2. Sept. 1741.

21. Extra ambitum Ecclesiæ suæ non licet Regularibus facere Processiones, nisi de licentia & consensu Parochi. 26. Febr. 1628. Quod debet intelligi etiam de Processione, quæ solet fieri a Regularibus infra Octavam Corporis Christi. 11. Dec. 1613.

22. Sacerdotes exteri confluentes ad Ecclesias Re-

Regularium, dum celebrant apud eosdem, debent se conformare cum iisdem Regularibus, quoad *Credo*, & numerum orationum, (id est, non possunt plures dicere, quam quot in illis Ecclesiis dicuntur) si Festum celebratur cum solemnitate & concursu populi. Si vero absque solemnitate celebratur, possunt se quidem conformare, sed non tenentur. 11. Jun. 1701.

23. Similiter tenentur eundem colorem adhibere, quo utuntur Regulares, & possunt dicere commemor. Octavæ, si quæ fiet in eadem Ecclesia, quam conformitatem etiam Regularibus concedit eadem S. R. C. Anno eodem, dum celebrant in alienis Ecclesiis.

24. In Festo Corporis Christi Sanctissimum non est deferendum per plateas Judæorum. 22. Februar. 1593.

25. Missa Votiva dum cantatur pro re gravi de aliquo Sancto semper dici debet cum *Gloria*, & *Credo*, & in colore, quo utitur Ecclesia in Festo ejusdem Sancti cujus Missa cantatur. S. R. C. 13. Aug. 1667.

26. In Ecclesiis ubi non cantatur quotidie Missa (intellige omnes alias Ecclesias præter Collegiatas, & maxime in pagis, & Oppidulis) si occurrat Festum *Patroni*, *seu Titularis*, *vel Dedicationis*, his diebus, quibus non potest de eo fieri Officium, potest nihilominus (diebus non exceptis a Rubrica Missalis Tit. 6. *De translat. Festorum*) cantari Missa de *Patrono*, seu *Titulari*, licet non cantetur altera Missa concordans cum Officio. S. R. C. 23. Aug. 1704. Aliæ autem omnes Missæ privatæ tunc dici debent de Officio occurrente.

§. V.

Reliqua notanda scitu necessaria.

1. ANte versiculum, qui dicitur *Communio* in Missa, cooperiendus est calix velo in anteriori parte (ut calix non appareat) sicut in principio Missæ. S. R.C. 1. Mart. 1698. Pariter dum defertur a Sacerdote ante Missam ad Altare, & post Missam, velum calicis debet pendere, & non involvi super bursam. *Rub. Miss.*

2. Ablutio digitorum in Missa post Commun. debet fieri in vino, & aqua. *Gav. Mer.*

3. Dum dicitur Votiva infra aliquam Octavam, v. g. Ascensionis Domini habentem *Præfationem* propriam, & *Communicantes*, debet in ea dici *Præfatio* hujus Octavæ, & *Communicantes*. Si autem illa Votiva habeat *Præfationem* propriam, v. g. de *Beata*, vel de *Cruce*, tunc propria Votivæ *Præfatio* dicitur, sed *Communicantes*, ut infra Octav.

4. Infra Octavam Corporis Christi *Sequentiæ*, seu *Prosa*: *Ecce Panis* &c. tunc tantum cantatur, quando Missa est de Festo Corporis Christi; hinc in Dominica, & Festis duplicibus tunc occurrentibus cani non debet.

5. Dum in aliqua Ecclesia præter Missam Conventualem (quæ cantatur de Officio currenti) cantantur Missæ Votivæ ex fundatione, in his Votivis (secus in privatis) jam non debet sumi Commemoratio Officii, seu Festi currentis juxta Decr. S. R. C. 28. Jul. 1736. sed orationes duæ assumantur ad complendum numerum ternarium, prout fit in Missa de Festo semidupl. (dum nulla alia commemor. in Officio occurrit) juxta diversitatem temporum, v. g. 2. Oratio *A cunctis*, 3. ad libitum, vel 2. Oratio de Beat. 3. Eccl. vel pro *Papa*.

6. Mis-

6. Missa Votiva *de Beata*: *Rorate*, dicta, quæ in Regnis Poloniarum cantari solet per totum Adventum, cantari debet cum *Gloria in excelsis*, sine *Credo*, cum commemorationibus devotioni antiquæ competentibus, juxta *Rubr. Miss.* uti in Ecclesia Cathedr. Cracov. ab immemorabili tempore practicatur, optandum ut ubivis locorum propter uniformitatem hic Ritus servetur.

Circa commemorationes in hac Missa Votiva faciendas, hæc regula servanda est, v. g. in Dominicis Adventus post *Gloria in excelsis*, 2. Oratio erit Dominica, 3. de Spiritu S. 4. Ecclesiæ, vel pro Papa, sine *Credo*.

Aliis diebus, si occurrat Festum sive duplex, sive semiduplex, secunda Oratio erit Festi, tertia Feriæ. Si autem facienda sit commemoratio alicujus Festi simplicis, vel infra Octav. erit quarta Oratio, quinta de Spiritu S. sexta Ecclesiæ, vel pro Papa. *Præfatio* de Beata, *Et te in Veneratione*.

Dixi, *secunda Oratio erit Festi*: In Ecclesiis enim, ubi cantatur Missa Conventualis (sive Parochialis) de Festo, ibi non debet sumi in Votivis in cantu fundatis Oratio Festi (secus in privatis) juxta Decr. S. R. C. 23. Junii 1736.

Missa hæc, *Rorate*, cantari debet summo mane & eodem Ritu etiam in Festis B. V. M. Immacul. Concept. & Domus Lauret. & expectationis Partus; sed in illis Festis versus *Præfat.* mutatur, & dicitur in Festo, & per Octavam Conceptio: *Et te in Conceptione*. In aliis dictis Festis, *ut in Direct. notatur*.

In Ecclesiis autem ubi unus tantum Sacerdos, tunc in Dominicis, & Festis celebribus debet cantari Missa (& si mane cantetur) de Domin. aut de Festo occurrente, non autem Votiva *Rorate*. S. R. C. 9. Decemb. anno 1634.

Totum hoc excerptum est ex Annotat. in Direct. Diœc. Crac. Anni 1774.

7. In Officio defunctorum duplicari Antiph. debent scilicet in commemoratione omnium fidelium defunctorum. Item in die obitus, seu depositionis defuncti; item in die 3. 7. 30. ac Anniversario vero. S. R. C. 8. Mart. 1738. Extra hos casus etiamsi ex fundatione contingat decantari præfatum Officium Defunctorum, tertium Nocturnum, quod certe contingit in quibusdam Ecclesiis quolibet mense, aut quartuali, non debent duplicari Antiph. sed sub Ritu semiduplici hocce Officium peragi debet. *Caj. Sect.* 11.

8. In Officio defunctorum dicitur *Invitatorium*, *Regem cui* &c. in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Item in die obitus seu depositionis defuncti. Item in die 3. 7. & 30. ac in Anniversario vero defuncti. Et quandocumque dicuntur tres Nocturn. alias nunquam dici debet. *Rubr. Brev.*

Ad majorem Dei gloriam.

IN-

INDEX MATERIARUM.

De abortus procuratione; pag. 202
Absolutione a Censuris. 136
Acolithatu. 58
Actibus humanis. 448
Adjuratione. 196
Ægrotis visitandis. 503. & seqq.
Aggressore. 204
Angelica Salutatione. 2
Apostasia. 84
Approbatione. 389
Assassinus quis. 185

De Bannis. 351
Baptismo. 280
Bello. 206
Beneficio. 465
Bibliis. 66
Bigamia. 38
Brevi Apostolico. 169
Bulla. 170

De Canonibus. 251
Captivis. 498
Censuris. 130
Cessatione a Divinis. 154
Charitate Dei. 90
Charitate proximi. 91
Censu 129
Cœlibatu. 355
Communione Paschali. 251. & seq.

Confessarii scientia ac prudentia. 400
Confessario sollicitante ad turpia. 429
Confessione. 417
Confessione adolescentum puerorum, & puellarum. 434
Confirmatione. 290. & seq.
Conscientia. 451
Consiliis Evangelicis. 253
Contractibus. 225
Cultu Religionis. 176

De Decretis variis Sacræ Congregationis. 505
Defectibus in Missa. 326
Delectatione morosa. 213
Deliberante ad statum. 491
Detractione. 234
Diaconatu. 163
Dimissoriis. 51
Dispensatio quid sit. 159
Dispensatione in impedimentis Matrimonii. 384
Distinctione peccatorum. 413
Divinatione. 173. & seq.
Divortio. 383
Dolore. 415
Duello. 207

De Ecclesia. 73
Ecclesiæ Capite. 78
Effectu Sacramenti Ordinis. 46
Epikiia. 170. & seq.
Eucharistia. 296. & seqq.
Excommunicatione. 140. & seqq.
Exorcistatu. 56
Extrema Unctione. 345. & seqq.

De Festorum observatione. 197. & 243
Fide. 60. & seqq.

Fi-

Fidei motivo. 63
Forma Pœnitentiæ. 421
Fraterna correctione. 94
Furto. 215

De *Gratia Dei.* 267

De *Hæresi.* 84
Hæreticis convertendis. 501
Hæreticorum libris. 85
Homicidio. 201
Horis Canonicis. 114

De *Jejunio.* 245
Ignorantia. 134
Illegitimis. 35
Immunitate loci. 183
Impedimentis Matrimonii. 362. & seqq.
Incarnatione Christi. 9
Indulgentiis. 457
Inferno. 98
Infidelitate. 82
Intentione. 43
Interdicto. 152
Irregularitate. 155
Jubilæo. 461. & seqq.
Judæis. 87
Judicio. 233
Juramento. 191
Jure patronatus. 470. & seqq.
Justificatione peccatoris. 272

De *Lectoratus Ordine.* 55
Legibus. 168
Libero Arbitrio. 276
Luxuriæ speciebus. 209. & seqq.

De Maleficiato. 484
Matrimonio. 353
Merito. 253
Moderamine inculpatæ tutelæ. 202
Missæ auditione. 243. & seqq.
Missæ Sacrificio. 307
Missæ pro defunctis. 342
Missæ stipendio. 337

De Necessitate bonorum operum. 273

De Obsessis. 485
Oratione Dominica. 2
Ordinibus in communi. 39
Ostiariatu. 53

De Parentum honore. 200
Parochi obligatione. 475
Parochi potestate. 449
Parocho. 474
Patrinis Baptismi. 287
Peccatis in genere. 15
Peccatis in specie. 18
Percussione Clerici. 144
Perjurio. 194
Pœnitentia. 410. & seqq.
Pollutione Ecclesiæ. 180
Potentia Dei absoluta &c. 256
Præceptis Decalogi. 166. & seq.
Presbyteratu. 293
Privilegio Fori, & Canonis. 31
Purgatorio. 96

De Reductione Missarum. 344
Requisitis ad Ordines. 33
Reservatis. 438. & seqq.
Restitutione. 220

Re-

Restitutione famæ. 237
Restrictio quid. 193. & seq.
Ritu Horarum Canonicarum. 121
Ritu Rubricis Missæ. 331
Rudimentis Fidei. 1

De Sacra Scriptura. 64. & seq.
Sacramentalibus. 278
Sacramentis in genere. 254
Sacrilegio. 179
Satisfactione. 418
Scandalo. 20
Schismate. 84
Sepultura. 481
Sigillo. 425
Signis malæ vocationis. 25
Signo S. Crucis. 6
Simonia. 188
Sodomia. 212
Spe. 88
Spectris. 489
Sponsalibus. 348
Subdiaconatu. 99
Superstitione. 171
Suspensione. 147
Symbolo. 4

De Testamento. 231
Testimonio falso. 234
Titulo Ordinis. 103
Prima Tonsura. 23
Traditionibus. 68
Transubstantiatione. 279
Trinitate Sanctissima. 8

De Unione Hypostatica. 256
Usura. 229

De

De Veneratione Sanctorum . 12
Veneratione Imaginum . 14
Viatico . 304
Vicario . 474
Virtutibus . 22
Votivis . 338
Voto . 106

Omnia cedant

Ad M. D. G.

Ctnis Damasi Szczepanis
Franciskani

Adm Rndo ac Eximio Patri
Patrono Colendissimo.
N.
A.A. LL. et Sacrae theologiae Doctori
Ministro Provali Comissario Gnli
Ordinis Minorum S. P. N. Fr. Conv.
Patri Dignissimo

Annulus qd e aliud? nisi sinceræ
fidei signaculum. S. Ambroz. in
Lucæ cap. 15.
Że się zaś ten pierścień kładzie
na serdeczny palec ta iest racya,
bo iako Gellig pisze: od tego
palca idzie żyłka do serca, które
iest mieyscem miłości, a ta nigdy
w małżeństwie ustawać niepo
winna, ieżeli więc tęcza na nie
bie iest znakiem, iż Bog nie bę
dzie karał drugi raz swiata
potopem wam niech będzie
pierścien na znak że się ni
gdy z sobą nie rozdzielicie

Ex fondatio #1

Cognosce cujs sit annulus. Gen. 38.
Kiedy Eleezer dla Izaaka Syna Abraamowego stara się w meżu po
[illegible] w Mieście Nachor o Córkę Batuela y Rebeki godnych Rodziców,
tak zaraz na pytanie tusze odpo wiedzieli Rodzice, iż w tym nic nie
czynimy, byle tylko ona sama chciała: Et dixerunt; vocemq.
Puellam, et quaeramq. ipsius voluntatem. Gen. 24. tak y teraz nie zawadziło
się dowiedzieć ieżeli Kawaler ieżeli Panna nie czyni to z przymusu
Rodziców, ieżeli sami szczera, a nie zmysloną do zawarcia nierozerwaney
przyjaźni Kontraktowaney maią Intencyą; Lecz o tym niewątpiąc gdyż ich widziemy
w parze stojących.
O Pierścionkach mowię. Na przód Pierścień dla czego okrągły? dla tego że iak Końca nie
ma, tak miłość Małżeńska końca mieć nie powinna ale trwać aż do śmierci. Pierścień
co więcey znaczy; o to wiarę Małżeńską iako na to mowi S. Ambroży